UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

urn:nbn:de:hbz:466:1-66495

Visual Library

Th. 5178.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
A QUODAM ANONYMO CONTINUATA,
ATQUE A
R. P. ALEXANDRO
A S. JOANNE DE CRUCE CARMELITA EXCALCEATO
PROVINCIÆ BAVARICÆ DEFINITORE PROVINCIALI,
OLIM S. THEOLOGIÆ AC SS. CANONUM
LECTORE
LATINE REDDITA, NOTISQUE CASTIGATA.

CONTINUATORIS
TOMUS DECIMUS
SEU IN ORDINE
TOMUS XXXIV.

Collegii S.J.
Ratisb. 1770

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525.



AUGUSTÆ VINDELICORUM & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXIX.
Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



PRÆFATIO.

Tanta, benevole Lector, fuit omni tempore a vera atque avita fide defectionis ignominia, ut cuncti Novatores atque hæresum Architecti millenos, eosque mendaces ac fucatos abjectæ Religionis prætextus cauſſasque, quibus hanc a ſe labem avertant, ſuamque perfidiam honeſtent, quærere, excogitare ac venditare fuerint coacti. *Quisquis enim*, inquit S. Auguſtinus (a) *ab Eccleſia Catholica fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet,*

(a) Epiſt. 152. ad Donat.

ſtimet, hoc ſolo ſcelere, quod a Chriſti Vicario disjunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum, cunctisque probis abominationi eſt, unde turpitudinem ſuam quodam honeſtatis velamine tegere compellitur.

Aſt nullo unquam tempore operoſius ejusmodi obtentus quærebantur, quam dum Lutherus ſeſe ab Eccleſiæ gremio ſegregare, novamque ſectam ex veterum hæreticorum laciniis procudere moliebatur; cum enim non modo orthodoxæ religionis articulos primo evertere aggrederetur, ſed creſcente ſenſim petulantia etiam fidem per liberam ac ſolemnem votorum ſponſionem Deo datam ſacrilegis quoque nuptiis violare tentaret, atque inſuper errores, qui non ita pridem non modo a ſummis Pontificibus, ſed etiam ab Univerſalibus Conciliis communi totius Eccleſiæ ſuffragio damnati fuerant, reſuſcitaret, novam ejusmodi rebellionem honeſto pietatis fuco colorare hoc opus, hic labor erat, præcipue cum ægre ſanis mentibus perſuaſum eſſe potuerit, quod tantæ novitatis Auctor vere Apoſtolus a Deo miſſus eſſet, qui nonniſi effræni ſua ſcriptitandi ac ſentiendi libidine & vehementia, nec non inflatæ ſcientiæ rumore ſeſe celebrem reddiderat, cetera autem publicis flagitiis, inſana rabie, turpiloquiis, ambitione, impudicitia, ſuperbia nunquam audita, aliisque ſceleribus

bus infamis erat. Hinc Lutherus in primis defectionis suæ auspiciis studiose sub pietatis, zeli, ac submissionis schemate venenum suum occultare satagebat; nec miram *omnis* enim *Hæreticus*, inquit S. Hieronymus (b) *Hypocrita est, aliud agens, & aliud simulans, & quicquid loquitur, licet videatur esse sapientia, stultitia tamen est; vere enim insidiatur cor hæreticorum omnibus, quos decipit: hi nunquam claudunt, sed semper aperiunt os suum: aliud in corde tenent, aliud in sermone polliceantur. Pietatem loquuntur, & occultant Antichristum* (c). Hallucinantem vero Lutherum progressu temporis strenue adjuvabant ejusdem Sectatores, qui cunctos calumniarum ac mendaciorum fontes exhaurire cogebantur, ut rudis plebeculæ ac pie sentientium oculos glaucomate perstringerent, ne se ab hoc Pseudo-Evangelista deceptos, atque a vera fide nequiter avulsos cernerent. Igitur eorum nonnulli clamabant, corruptam esse fidei integritatem, eoquod Clerici potestatem externam in Sacra per Hildebrandi seu Gregorii VII. superbiam ac crudelitatem sibi arrogassent, cum tamen, inquiebant illi, in primitiva Ecclesia per octo omnino sæcula Ecclesiasticis ac Pontificibus non nisi simplex docendi, monendi, atque a cætu excludendi potestas fuisset

(b) In Isaiam cap. 9. tom. 5.

(c) Idem in psalm. 5.

propria, semper sæculari potestati subjecta. Criminabantur alii, quod Curia Romana avaritiæ, ambitionis, atque arrogantiæ haud ultra tolerandæ maculis fœde fuerit deformata, atque ipsimet summi Pontifices immodicam tyrannidem in fidelium conscientias exercuerint, & supremam in Principes potestatem sibi arrogarint, necnon juribus Sacrorum abusi fuerint. Spargebant alii, quod a Romana Ecclesia sese segregandi necessitatem ipsis imposuerint novi quidam ritus contra veteris Ecclesiæ usum, & priscorum Canonum voluntatem vitio temporum, ac Pontificum insolentia recepti, atque intrusi. Non deerant alii, qui nefandæ hujus defectionis caussam ex eo petebant, quia potestas politica cum dignitate Episcopali, necnon facultates, opesque cum ipso Sacerdotio fuerint conjunctæ; *inde vero*, inquit Adamus Rechenbergius Protestantum Theologus ac Misnienfis Canonicus (d) *tria successu temporis in Ecclesia & Republica mala valde noxia orta fuere, de quibus multæ passim querelæ ante reformationem motæ sunt. Unum fuit corruptio Christianæ doctrinæ; alterum perversa Ecclesiæ disciplina, morumque pravitas; tertium tyrannicum Ecclesiæ Regimen a Pontifice Romano, oppressa Ordinum Germaniæ libertate, stabilitum.* Omni-

(d) In Lineamentis Philosoph. Civilis p. 3. cap. 15. §. 2.

Omnibus denique perſpectæ ſunt centum illæ querelæ ſeu onera, quæ a nonnullis Germaniæ Principibus Lutheri veneno infectis, qui in Norimbergenſi conventu Catholicis prævalebant, ad Adrianum VI. Papam tranſmiſſa fuere, in quibus hi de variis prætenſis abuſibus, ac corruptelis ſummos Pontifices, Cardinales, Romanæ Curiæ Miniſtros, Clericos & Monachos incuſabant, eo fine, ut honeſtos ſuæ defectionis prætextus haberent. Taceo jam plures alios obtentus, qui paſſim in Proteſtantum libris leguntur, imo in ipſo hoc continuatæ Abb. Fleury Hiſtoriæ tomo XXXIV. frequentius occurrunt.

Verum quantumcunque diverſæ videantur ejusmodi excuſationes, cauſſæ & prætextus, quibus rebelles hi filii ſuam a Romana Eccleſia pia eorum Matre defectionem honeſtare nituntur, nihilominus omnes hi quæſiti obtentus eo unice collimant, ut inde Eccleſiam reformandi neceſſitatem extorqueant; quippe ex omnibus ſæculorum faſtis comprobatum habemus, nunquam ulla hæreſi ac ſchiſmate Eccleſiam, nunquam ulla ſeditione Rempublicam fuiſſe turbatam absque ſpecioſo ac percommodo quodam boni publici, pietatis, ac Religionis reformandæ prætextu: omnibus etiam præteritorum ſæculorum hæreſiarchis, eorumque ſequacibus commune ac

solemne fuit, sub ementito Ecclesiæ disciplinam emendandi, abususque tollendi obtentu suam hæresin occultare, postmodum vero aucta libertate sani dogmatis triticum sub fictitio zizania eradicandi zelo palam evellere, ac demum eorum erroribus vel armorum potentia, vel Principum auctoritate, vel Magistratuum socordia invalescentibus, ipsum suave Christi, Ecclesiæ, ac summi Pontificis jugum penitus excutere. Ita denique sub ementito reformationis fervore crescunt Novatorum errores; *habent enim*, inquit D. Gregorius (e), *hæretici hoc sibi proprium, quod in eo gradu, in quo de Ecclesia exeunt, diu stare non possint, sed ad deteriora quotidie ruunt, & sentiendo pejora, in multis se partibus scindunt, atque a semetipsis plerumque longius confusionis suæ altercatione dividuntur.*

Simulatum hunc reformandi ardorem ipse etiam Martinus Lutherus præseferre gestiebat; hic enim ovina abusus carpendi pelle contectus tanquam lupus rapax Ecclesiam invasit, occasione studiose quæsita, atque opportune captata ex quibusdam corruptelis, quæ in promulgandis Indulgentiis a Leone X. Papa concessis forte irrepserant. Igitur hic Vir *plane eximius ac præstantissimus*, prout eum Puffendorffius immerito appellat, Ecclesiam tanta labe inquina-

(e) S. Gregorius lib. 3. Moral. cap. 19.

quinatam cum cerneret, reformationem inchoavit, necnon, si tamen ulla fides Philippo Andreæ Oldenburgero Juris Consulto habenda est (f), Ecclesiam, quam initio luteam accepit, decedens *marmoream* posteris reliquit, atque divini Spiritus aura afflatus, ansaque ex *thrasonicis indulgentiis* non tam sponte arrepta, quam ab ipsis Pontificiis propemodum obtrusa *heroicum reformationis opus* aggressus est, atque Evangelii puritatem toto mundo frendente & fremente sine ulla vi externa *solo calamo* mirabiliter (si Superis placet) Spiritus sancti gratia propagavit juxta illum versiculum:

Lutherus decimum confecit strage Leonem,
de clava noli quærere: penna fuit.

Ita vero thrasonice tubam inflare coguntur novi hi Reformatores, ut perfidiosæ defectionis suæ ignominiam tegere valeant. Attamen, *quid opus est*, inquit D. Augustinus ad

(f) Hic idem Auctor egregium dignumque labore suo minerval accepit teste Christiano Theophilo Jöcher in seinem compendiösen gelehrten Lexicon, ubi V. Oldenburger hæc leguntur: Er mußte einstens zwey Blätter von seinem Itinerario Germaniæ, worinnen er etwas nachtheiliges von einem gewissen Fürsten und dessen Liebes-Affairen geschrieben, zur Strafe auffressen, und noch darzu mit einer trockenen Prügel-Suppe verlieb nehmen müssen.

ad Orosium, *ire per amputandos ramos loquacissimi erroris, cujus radicem effodere, atque extirpare compendium est;* quapropter firmo pariter rationis compendio novæ hujus sectæ radix evellitur, quamprimum ostensum fuerit, quod Lutheri ausus non modo fallax fuerit nequitiæ, superbiæ, vitæque licentioris velamen, sed ipsa etiam reformatio ab eodem attentata nonnisi fictitia, atque iniqua usurpatio dici mereatur.

Enimvero facili admodum negotio luculenter demonstrari potest, quod Lutherus nequaquam sincero purioris doctrinæ zelo, atque ordinato abusus tollendi studio animatus prætensæ reformationis suæ opus fuerit aggressus. Haud inficias ire volo, quod tempore Leonis X. vel in publicandis Indulgentiis, vel in exigendis fidelium subsidiis ex quorumdam Prædicatorum errore & ignorantia, vel etiam ex Ministrorum culpa nonnulli abusus irrepserint, imo si ita lubet, Protestantibus concesserim, etiam ante Leonis tempora jamjam ejusmodi corruptelas inoleviſſe: cur autem tum primum Lutheri zelus exarsit, quando ei, suique Ordinis Fratribus hasce indulgentias promulgandi munus non fuit demandatum, sed Dominicanis commissum? cur hosce abusus esse eliminandos non inclamabat, dum id munus atque subsidiorum exactio adhuc per Ordinis sui Alumnos gerebatur?

cur

cur primum accepta repulsa, divina aura afflatus Ecclesiam ab hac labe repurgare molitus est? Nempe sibi suoque Ordini quamdam captandæ gloriæ occasionem fuisse præreptam dolebat: igitur invidia atque ambitio ad temerarios hosce prætensæ reformationis ausus Luthero stimulos subdidit: is nempe prætensum lucrum suis sublatum, atque in alios translatum ægerrime ferebat, & forte antea ipsus suppositæ negotiationis particeps erat: hinc illæ lacrimæ, quas nullatenus deplorandus Ecclesiæ status, sed avaritia alimento suo destituta, sed invidia ex aliorum gloria magis enutrita hosce planctus ac vindictam Luthero extorsit: hæ igitur primæ ac genuinæ erant causæ, quibus incitatus Lutherus prima reformandæ Ecclesiæ consilia agitare cæpit, eadem vero demum excoquit *præfervidum Lutheri ingenium*, contentiosa vanitas in propugnando quod semel ceperat, proposito, necnon superba errorem etiam agnitum non revocandi obstinatio, ac denique furiosa vindictæ cupiditas, qua post errorem suum ab Ecclesia damnatum acrius flagrabat. Nonne has ipsas prætensæ reformationis causas de suo Magistro præfatus Oldenburgerus ultro fatetur, dum ait: *Provocavit ad Pontificem, necnon ad Concilium, excommunicatus, & præfervida severitate irritatus Lutheri animus, omnino a Romana Ecclesia se separavit, Leonem Anti-Christum prædicavit, ejus Diploma,*

ma, jusque ipsum Pontificium Wittembergæ in flammam projecit, addens illud Samsonis heroicum: quemadmodum fecerunt mihi, ita feci eis. Num hæc verba Christianam mansuetudinem totius Christi Ecclesiæ reformatore dignam produnt? nonne aperte effrænem ulciscendi libidinem, odium, ac proterviam manifestant? Itaque reformatio abusuum, quos in Romana Ecclesia Lutherus carpebat, nonnisi vanus erat prætextus: genuina autem caussa latebat in ejus invidia, ambitione, ac vindicandi cupidine.

Demus tamen, quod Lutherus vere sibi persuasum habuerit, quod Ecclesia labe sit infecta, atque abusus in eam tum temporis diuturnitate, tum Pastorum incuria irrepserint, necnon ex impura Romanorum Pontificum doctrina disciplinæ, ac dogmatum corruptela, morumque perversitas in membra redundarit, demus hæc interim; quis vero ad restaurandam imo ad erigendam novam Ecclesiam præ ceteris vocavit Lutherum tanquam Apostolum & Evangelistam a Deo missum, cum tamen nemo prædicandi, multo minus totam Ecclesiam reformandi potestatem habeat, nisi ad hoc munus teste Apostolo Rom. 10. ℣. 15. missus sit a Deo: quo autem signo ac testimonio Lutherus docere poterat, quod vel ab ipso Deo, vel a legitimis Ecclesiæ Prælatis potius quam Calvinus, Zwinglius, Socinus

&

& alii quicunque Hæreſiarchæ fuerit vocatus, cum tamen iidem ſe etiam a divino Spiritu ad tollendos abuſus atque emendandam Chriſti Eccleſiam ſuſcitatos palam jactitarint, ſuosque errores non minus ac Lutherus quibusdam Sacræ Paginæ textibus confirmare conati ſint? quodnam, amabo, argumentum Luthero ſuffragabatur, vi cujus comprobare poterat, Eccleſiæ Romanæ tum reformandæ munus ſibi a Deo ſpecialiter præ ceteris omnibus ſectis, quas ipſemet tanquam hæreticas abominabatur, fuiſſe delatum, ejus quoque vocationem præ aliarum hæreſum Præconibus fuiſſe legitimam, ſe quoque legitimum exiſtere Apoſtolorum ſucceſſorem, apud ſe potius, quam apud alios quoscunque diverſæ ſectæ hæreticos purum inveniri Dei Verbum, validamque Sacramentorum adminiſtrationem? Num vel unicam oſtendere poterat legitimæ vocationis notam ac prærogativam, qua omnes ceteros Sectarum Architectos atque Auctores, qui ſe pariter a Deo miſſos jactabant, diverſa tamen ab eo dogmata ex iisdem corruptis fontibus tradebant, antecellere crederetur? Ubi eſt inſignis illa vitæ ſanctimonia, ubi miracula, quæ ejusmodi ſpecialem vocationem teſtatam redderent? ſi miracula ab Apoſtolis & Martyribus in primitiva Eccleſia jamjam patrata ſufficere arbitratus eſt, quo firmiori argumento comprobatum reddit, quod hæc

eadem

eadem miracula potius in ſuæ Sectæ, quam in Arianæ, Calvinianæ, Anabaptiſticæ, Socinianæ &c. confirmationem fuerint perpetrata? Fateatur ergo Lutherus, quod vel ipſe non minus, quam ceteri quoque hæreticorum Coriphæi ex ſola invidiæ, vindictæ, ac propriæ voluntatis libidine incenſus reformandi munus ſibi arrogaverit, vel quod inter viva novæ ſuæ Eccleſiæ membra etiam illos aggreget, qui quædam dogmata ſuis contraria adſtruunt, alia vero negant, quæ tamen ipſe tanquam ad ſalutem omnino neceſſaria venditat, vel denique admittat, quod Deus in falſi dogmatis confirmationem miracula per Apoſtolos & ſanctos Martyres patrarit.

Denique ſi re ipſa Lutherus ad reſtaurandam Chriſti Eccleſiam vocatus fuit, neceſſe erat, ut hoc opus veritatibus per Dei Verbum revelatis conſonum foret, oportebat etiam, ut novæ hujus reformationis articuli nequaquam divinis Literis adverſarentur: cur autem Lutherus ad ſtabilienda ſua dogmata ipſi ſcripto Dei Verbo violentas injicere manus, illudque quædam addendo, alia detrahendo corrumpere cogebatur. Si nova ejus doctrina Sacri Codicis veritati conſona eſt, cur textui D. Pauli, *arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus* addidit particulam *ſolam* (g) num a Deo

(g) Tom. 4. Witt. Germ. in literis de ſua verſione Bibliorum.

a Deo vocatus credatur ille, qui pro hujus temeritatis excusatione arrogantius dicit: *Si Papista multa vult garrire de hac voce* sola, *ei confestim respondeto: Doctor Martinus Lutherus vult sic habere, Papista & Asinus unum est &c. Sic volo, sic jubeo.* Cur in textu D. Petri: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*, cur, inquam, expunxit illa verba *bona opera?* Suam ergo non Divini Verbi doctrinam proposuit Lutherus; non ergo ad Christi Ecclesiam per Christi verba reformandam a Deo missus est. Nimirum, hæreticus, ut ait S. Ambrosius (h) *quia propria quis auctoritate non potest, ad victoriam verba legis adulterat, ut sensum suum quasi verba legis asserat.* Quapropter appositе inquit S. Hilarius ad Constantium Augustum de Hæreticis: *Scripturas sine sensu loquuntur, fidem sine fide prætendunt. Ast Scripturæ non in legendo sunt, sed in intelligendo.* Verum quid plura, nonne ipse Lutherus de legitima sua vocatione dubitasse videtur? quo enim spectant illa ejus verba: *Hæc res*, nempe prætensæ suæ reformationis negotium, *nec propter Deum cæpta est, nec propter Deum finietur?* Nonne ipsus ingenue fatetur, quod ejus reformatio opus fuerit temerarium: *Solus primus eram*, inquit Lutherus, *& certe ad tantas res tractandas ineptissimus, & indoctissimus:*

(h) in cap. 5. ad Roman. de Hæres.

mus: casu enim non voluntate, nec studio in has turbas incidi, Deum ipsum testor (i) nonne alibi suum dubium his verbis declarat: *Quoties mihi palpitavit tremulum cor, & reprehendens objecit eorum fortissimum & unicum Argumentum: Tu solus sapis? totne errant universi? tanta sæcula ignorarunt? Quid si tu erres, & tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter?* Si se a Deo missum, suamque doctrinam ab antiqua alienam non fuisse sciisset, nonne ab hoc dubio se expedire debuisset, ostendendo luculenta legitimæ vocationis suæ signa & notas, quæ aliis ejusmodi Sectatoribus nequaquam convenire possent? Cum autem, ut ait S. Hieronymus (k) *doctrina hæreticorum non in sensu, sed multiloquio & clamore versetur*, ita etiam Lutherus, ut saltem per verborum jactantiam missionis suæ signa suppleret, inquiebat, *vocationem se non ab hominibus, nec per homines, sed ex dono Dei accepisse, atque ex revelatione JEsu Christi* (l). Verum idipsum eadem prorsus fiducia ac temeritate asseruere Menander, Basilides, Arius, Hussus, Calvinus, Zwinglius, atque omnes ferme alii Hæresiarchæ: cur ergo quis majorem tibi Luthere quam aliis fidem adhibeat? Novi-

(i) Tom. 1. Witt. lat. in Præfat.

(k) in caput 22. Isaiæ.

(l) in libro adversus falso nominatum Ordinem Episcoporum.

Novimus Apoſtolos a Chriſto Domino ejusque voce, non a ſemetipſis ad prædicandum illius Verbum, & ad propagandam ejus Eccleſiam fuiſſe miſſos, quis vero elegit Lutherum, & non elegit ceteros omnium ſæculorum Hæreticos?

Magis adhuc uſurpata Lutheri auctoritas ex ipſo fictitiæ reformationis opere elucet. Initium illius ſi ſpectemus, quid rurſum aliud fuit niſi temeritas, & præſumptio? Spargebat Lutherus, turpem fieri ex Indulgentiis quæſtum, ac nundinationem: vociferabatur, falſis doctrinis fidelium animos corrumpi, ac pecunias per nefandas artes extorqueri. Num vero hac ex cauſſa ipſas Indulgentias vilipendere, & tanquam rem iniquam traducere licuit? num propterea cuilibet Monacho privato pro libitu ſuo publice declamandi, Pontifices convitiandi, atque Eccleſiæ obſequium denegandi data eſt auctoritas? Si in indulgentiarum promulgatione a quibusdam Verbi Divini Præconibus corruptelæ, ſi in ſubſidiorum collectione abuſus irrepſerant, ſuberat privatorum ac paucorum error & culpa, necnon quæſtorum quorumdam malitia, non vero indulgentiarum vitium, vel Pontificum iniquitas: igitur pro emendandis hiſce abuſibus, & caſtigandis tam Præconibus quam Quæſtoribus recurrendum fuiſſet ad Pontifices, atque ad Eccleſiam, non autem impugnari debuiſſet horum auctoritas, non

everti Indulgentiarum ſanctitas. Egregius ſane foret politici Regiminis reſtaurator, qui licet nonniſi privatus eſſet humuncio, Principem tamen velut tyrannum proclamaret, ejus auctoritatem evertere moliretur, ac tributum tanquam rem omnino neſandam traduceret, eoquod illius exactores ex propria malitia tributum a Principe legitime impoſitum nimia crudelitate, artibusque illicitis colligerent. Verum his Lutherus ejusque ſequaces fors opponebant, quod Papa de emendandis ejusmodi abuſibus ſæpius ſed incaſſum fuerit admonitus. Num autem ideo Papæ, vel Principis ſæcularis obedientiam excutere, ejusque auctoritatem abnegare privato homini licet? num propterea indulgentiæ a Papa conceſſæ res evadit neſanda, num tributum a Principe impoſitum eſt tyrannis dicenda? qua autem fronte per calumniam ac mendacium afferere licet, Pontificem incaſſum fuiſſe admonitum? nonne Adrianus VI, quamprimum *ex perverſa Indulgentiarum prædicatione illarumque frequentia primas incendii Eccleſiam devaſtantis ſcintillas prodiiſſe compererat, ad abolendos ejusmodi abuſus primo animum adjecit, revocavitque facultates Fratribus Minoribus conceſſas, quibus ei permittebatur indulgentias promulgare pro Vaticani Templi fabrica* (m). Etiam-

(m) Hiſt. Abb. Fleury contin. lib. 128. §. 4. fol. 211. & 355.

Etiamsi autem horum abusuum emendatio a summis Pontificibus fuisset neglecta, num propterea Luthero licuit ad honestandam rebellionem suam, & occultandum suum vindicandi animum falso spargere, quod Indulgentiæ sint venales nundinæ, & quod Redemptoris gratia plus offerentibus vænum exponatur? Quis Pontificum vel unquam pecunias pro pœnarum remissione exegit? interdum quidem alicujus eleemosynæ omnino voluntariæ conditionem adjecere Pontifices, non vero hæ pro obtinendo Indulgentiarum fructu pretium erant, sed pium eleemosynæ subsidium vel pro Turcarum bello, vel pro Ecclesiæ fabrica petitum. Hoc pacto peccata Eleemosynis redimere illicita si est nundinatio, eam Sanctus Daniel Propheta cap. 4. V. 24. Pontificibus atque Ecclesiæ consuluit. Si autem eo adhuc tempore Pontifices pauca quædam exegerunt ab illis, qui ejusmodi indulgentiarum literas sibi concedi ultro petebant, id non sacri thesauri, sed membranæ & Scripturæ pretium ac Ministrorum merces erat, quam certo Protestantes iniquam dicere non audebunt, ni suos quoque Pastorculos pro iniquis nundinatoribus habere velint, quibus pecunias, vinum, pullos, gallinas, porcellos, variaque ejus generis dona pro eorum privato usu toties dare coguntur, quoties ipsi pro

ſuo, ſuarumque Conjugum arbitrio ad ſublevandam rei domeſticæ penuriam ſub pietatis (vulgo Bett- und Buß-Tag) prætextu ſuos Parochianos adſtringunt, ut pro auſcultanda declaratione veniæ pro eorum peccatis a Deo obtentæ, necnon pro panis bucella eis adminiſtranda illos accedant.

Quod vero nullatenus turpis ejusmodi nundinatio ab ipſo Indulgentiarum Diſpenſatore ſummo Pontifice fuerit perpetrata, ſed fidelibus perſæpe absque omni ſubſidii onere ejusmodi indulgentiæ fuerint conceſſæ, imo fidelium arbitrio relictum, pro cauſſa pia vel belli Turcici, vel fabricæ Eccleſiæ eleemoſynam elargiri, atque hujus veniæ privilegio ſeſe participem reddere, extra omne dubium videtur eſſe poſitum; nec incongruum fore arbitramur, hanc in rem quasdam exhibere literas ſeu authographum, quod in charta, ut vocant, pergamena typis impreſſum Auguſtæ in Bibliotheca Patrum Carmelitarum Diſcalceatorum aſſervatur normamque continet, juxta quam ejusmodi Indulgentiæ Anno Domini 1490. ad ſuppeditandas belli Turcici expenſas a Sacra Sede concedebantur. En tenorem harum literarum, ſeu diplomatis.

UNI.

UNIVERSIS & SINGULIS PRÆSENTES LITERAS INSPECTURIS RAYMUNDUS PERAUDI (n); *ARCHIDIACONUS ALNISIENSIS in Ecclesia Xanctonensi sacræ Theologiæ Professor, Sedis Apostolicæ Protonotarius, & S. D. N. Papæ Referendarius domesticus ad Almaniam universasque & singulas Provincias, civitates, terras & loca Germaniæ sacro Romano Imperio, illusque Electoribus & subditis ubilibet subjectis, necnon Daciæ, Sueciæ, Norbegiæ, Livoniæ, Prusciæ & Russiæ Regna, ac Insulas & Provincias, & alia Dominia, terras, atque loca illis adjacentia cum plena potestate Legati de Latere, Orator, Nuntius & Commissarius Apostolicus salutem.*

Notum facimus, quod Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Dominus Innocentius Papa VIII. & modernus concessit omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus pro tuitione orthodoxæ fidei contra Turcos ejusdem fidei inimicos juxta ordinationem nostram manus adjutrices porrigentibus præter Jubilæum, & alias Indulgentias, gratias & facultates, quas Christi fideles ipsi obtinere possunt visitando Ecclesias per Nos aut Commissarios nostros deputandos, ac si visitassent Basilicas Urbis tempore Jubilæi, prout in literis Apostolicis desuper con-

(n) De hoc Cardinale consule Hist. Eccles. Abbat. Fleury contin. tom. 31. fol. 356. 580.

fectis plenius continetur, quod possint eligere confessorem idoneum sæcularem vel regularem, qui eis semel in vita ab omnibus & singulis peccatis, excessibus, criminibus, & delictis etiam Sedi Apostolicæ generaliter reservatis absolutionem plenissimam impendere. Ab aliis vero eidem Sedi non reservatis vita eis comite totiens quotiens eos absolvere, & in mortis articulo, ac etiam totiens quotiens de morte eorum dubitatur, etiamsi tunc eos decedere non contingat, plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem eis impertiri valeat. Indulsit etiam S. D. N. motu suo proprio, omnes & singulos Christi fideles hujusmodi, ac eorum parentes & benefactores defunctos, qui cum charitate decesserunt, in omnibus precibus, suffragiis, Missis, elemosynis, jejuniis, orationibus, disciplinis, & ceteris omnibus spiritualibus bonis, quæ fiunt aut fieri poterunt in tota universali Sacrosancta Christi Ecclesia militante & omnibus membris ejusdem in perpetuum participes fieri. Et ne super præmissis a quoquam verti possit in dubium, voluit ipse S. D. noster, quod præsentibus nostris literis tanta adhibeatur fides, quanta adhiberetur, si sub Bulla sua plumbea expeditæ forent, necnon easdem sub quibuscunque generalibus, & specialibus de similibus gratiis & facultatibus forsan emanandis revocationibus & suspensionibus nullatenus comprehendi debere. Et quia devoti in Christo Georgius Wilhelmus Johannes Bokrid & ..... (o) *ad ipsius fidei piam subventionem*

& es

(o) Alterum nomen vetustate obliteratum est.

& defenſionem juxta ſummi Pontificis intentionem, & noſtram ordinationem prout per præſentes literas ſibi in hujusmodi teſtimonium a nobis traditas approbamus, de ſuis bonis contulerint, ideo auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa ipſis, ut dictis gratiis & Indulgentiis uti & gaudere poſſint, & valeant, concedimus, pariter & indulgemus per præſentes. Datum ſub ſigillo noſtro ad hoc ordinato, die duodecima Menſis Julii Anno Domini MCCCCXC.

Forma abſolutionis in vita totiens quotiens.

MISEREATUR TUI &c. Dominus noſter Jeſus Chriſtus per meritum ſuæ Paſſionis te abſolvat, auctoritate cujus & Apoſtolica mihi in hac parte commiſſa & tibi conceſſa: Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, Amen.

Forma abſolutionis & pleniſſimæ remiſſionis ſemel in vita, & in vero mortis articulo, vel veroſimili.

MISEREATUR TUI &c. Dominus noſter Jeſus Chriſtus per meritum ſuæ Paſſionis te abſolvat, & ego auctoritate ipſius & Apoſtolica mihi in hac parte commiſſa, & tibi

conceſſa te abſolvo primo ab omni ſententia excommunicationis majoris vel minoris, ſi quam incurriſti. Deinde ab omnibus peccatis tuis contritis & confeſſis & oblitis, conferendo tibi pleniſſimam omnium peccatorum tuorum remiſſionem, remittendo tibi pœnas purgatorii in quantum claves ſanctæ Matris Eccleſiæ ſe extendunt. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.

Ex hisce literis nemo a calumniandi ſtudio alienus Indulgentias vendi arguet; quippe fideles nonniſi ad accipiendas hasce gratias invitantur, pro quibus non petitur, nec recipitur pecunia, ſed duntaxat pro bello ad fidei defenſionem gerendo: nec major etiam vel minor illis conceditur Indulgentia, qui vel plus vel minus offerunt; hinc perperam aſſeruit Lutherus, quod *Papa ſicut magis eget, ita magis optat in veniis dandis pro ſe devotam orationem quam promptam pecuniam* (p). Cui tamen calumniæ optime Sylveſter de Prierio Ordinis FF. Prædicatorum Magiſter S. Palatii hæc reſpondit: *Quando ultra orationes etiam pecuniis Papa indiget, venias largitur non gratia pecuniarum, ſed ejus rei, ad quam pecunia ordinatur: puta inſtaurationem hoſpitalium, & Eccleſiarum, & hoc cum facit, omnes, quorum intereſt, lætantur, & gratulantur omnes, niſi quia*

(p) In reſolut. de virtut. Indulgent. ad Leonem X. Pap.

quia tu Martine id, quod in aliis Ecclesiis instaurandis laudatur, in fabrica prima totius Reipublicæ Christianæ vituperas, qui si a Domino nostro Papa habuisses bonum Episcopatum cum plenaria Indulgentia ad Ecclesiæ tuæ reparationem, forte dulcioribus verbis abundasses, & quibus detrahis, venias extulisses.

Porro argumento magis luculento Lutherus manifestum fecit, quod nullatenus veros abusus emendari desideraverit, sed potius, ut privatæ suæ vindictæ & ambitioni liberalius indulgeret, sub fictitio reformandæ Ecclesiæ prætextu ipsam Ecclesiam, fidemque avitam evertere intenderit. Qua enim ratione Ecclesiam universalem seu Catholicam reformationis capacem esse, illamque emendatione egere jactitare potuit, cum ipsimet meridiana luce clarius esset, quod Deus fideles suos a visibili Ecclesia regi voluerit, eamque ob caussam eidem adhuc nascenti, cum a terris discederet, jamjam vicarium constituerit, atque huic ipsi Ecclesiæ firmitatem, puritatem, constantiam, atque Spiritus sancti doctrinam perpetua veritate infallibilem promiserit, vi cujus illa nec fallere nec falli possit, cum ipsemet Christus visibili huic Ecclesiæ suæ pollicitus esset, quod portæ inferni adversus eam, quæ columna est, & firmamentum veritatis, non essent prævalituræ, sed Spiritus sanctus eam sit omnem veritatem

edocturus, ac Christus quoque cum ea permansurus usque ad consummationem sæculi. Hanc igitur Ecclesiam Lutherus aliter reformare haud potuit, quam ipsa Ecclesiæ dogmata per novos errores evertendo.

Equidem si Lutherus ostendere valuisset, quod vel unicus articulus ab Ecclesia Romana fide divina decretus, atque ad credendum publice propositus Verbo divino divinisque literis repugnet, vel quod eadem Ecclesia suo ævo vel unicum articulum fidelibus proposuerit, cujus opposita veritas Apostolorum ac primorum Patrum ætate tanquam certus fidei articulus credebatur, tunc vere reformator dici mereretur, si Ecclesiam ad avitam fidei professionem reduxisset, atque erronea dogmata eliminasset: postquam autem ea, quæ ab Apostolis tradita, primisque Ecclesiæ sæculis fuere credita, ipse perfricta fronte negavit, non pauca vero dogmata, quæ ab Ecclesia Catholica, sanctis Patribus, ac generalibus Conciliis fuere damnata, nequiter suscitavit, eaque suis credenda proposuit, quid aliud præstitit, nisi quod novam a Christiano-Catholico-Romana diversam Ecclesiam erexerit, veramque adeo non reformaverit, ut illam fœde etiam deformarit?

Ut autem hanc in rem clare perspiciamus, quantum sit doctrinæ discrimen inter Eccle-

Ecclesiam a Luthero hodie procusam, & veterem ac Catholicam Ecclesiam, non abs re facturus mihi videor, si Illustrissimi Cardinalis Jacobi Davii Perronii verba in medium produxero. Publicaverat circa Annum Domini 1606. Jacobus I. Angliæ Rex librum famosum juxta ac virulentum, eumque Henrico IV. Galliarum Regi, ut eum a vera fide averteret, dono submisit. Verum Henricus quantocius Perronium jussit, ut eundem librum solido responso refelleret: cum autem Jacobus Majoris Britanniæ Rex in præfato libello Cardinali rescriberet: *Ut apud se perpendere velit, quantum sit discrimen inter B. Augustini tempora & hæc nostra: quam diverso sensu Ecclesia Catholica hodie nominetur, atque illis temporibus, quam sit mutata Ecclesiæ facies, & tota exterior forma.* Hinc Perronius in doctissimo suo responso, Lutheri Ecclesiam cum veteri Ecclesia Romano-Catholica contulit, ostenditque ex avita SS. Patrum doctrina, quod illa ab ea in præcipuis fidei articulis perside deflexerit. Unicum hujus responsi caput hanc in rem adducam, quod ita incipit:

Imo vero, ipse ego supplex id a Serenissima ejus Majestate peto, contendoque, ut ob oculos faciem Ecclesiæ ponat, qualis ea tempore B. Augustini, & primorum quatuor Conciliorum fuit; Ecclesiam inquam, illam spectet, quæ credebat, veram & realem præsentiam ac manducationem realem

realem Corporis Christi in Sacramento, sub speciebus Sacramentalibus, quemadmodum id ipse etiam Zwinglius præcipuus Sacramentariorum Patriarcha fatetur his verbis (q): Tempore Augustini (id est, ab annis MCC.) opinio de carne corporali jam victrix fuit. *Ecclesiam, inquam, Rex consideret, quæ tali in statu* (r) *adorabat Eucharistiam, non mente tantum, & devotionibus internis, sed etiam gestibus, & adoratione externa, ut quæ contineret actu, realiter, & substantialiter, verum & proprium Corpus Christi; neque enim de transubstantiatione nunc ajo, cui tractatum reservo separatum, ac peculiarem. Ecclesiam, quæ credebat, Corpus Christi esse in Sacramento* (s), *etiam extra usum, atque idcirco etiam post consecrationem illud servavit in usum* (t) *communionum domesticarum, ut* (u) *exhiberetur ægris, aut in mare proficiscentes comitaretur, aut mitteretur in Provincias remotiores. Ecclesiam, quæ credebat, communionem* (w) *sub duabus speciebus non esse necessa-*

(q) Zuingl. tom. 3. L. de vera & falsa Relig. cap. de Eucharist.

(r) Cyril. Hieros. Catech. Myst. 5. Chrys. in 1. ad Cor. homil. 24. Aug. in Psal. 96. Theo. Dial. 2. & alii. Vide infra in Replica. lib. 7. c. 8.

(s) Cyril. Alex. ep. ad Calosyr. Basyl. ep. ad Cæs. Patric. & alii. Vide infra l. 7. c. 9.

(t) Tertul ad Uxor. l 2. Cyp. de Laps.

(u) Euseb. hist. lib. 7

(w) Ambr. de Obit. Satyri.

neceſſariam ad integritatem participationis, ſed totum Corpus, & totum Sanguinem ſumi ſub altera ſpecie, atque has ob cauſſas, in communionibus domeſticis, in communionibus infantium, in communionibus ægrotorum, in communionibus in mari, in communionibus pœnitentium, in articulo mortis, in communionibus miſſis in provincias remotas, diſtribuebatur Sacramentum ſub una ſpecie. Eccleſiam, quæ credebat, Euchariſtiam eſſe (x) *verum, plenum, & integrum Sacrificium, quod ſolum omnibus Sacrificiis Legis* (y) *ſucceſſit; quod eſſet* (z) *nova oblatio novi teſtamenti* (a), *cultus externus Latriæ Chriſtianorum, neque ſolum Sacrificium Euchariſticum, ſed etiam Sacrificium* (b) *propitiatorium, per applicationem ejus, quod in cruce oblatum eſt: atque hoc modo & ſine offerebatur tam pro abſentibus, quam pro præſentibus, tam pro communicantibus, quam pro iis, qui non communicabant, tam pro Vivis, quam pro* (c) *defunctis. Eccleſiam, quæ ad oblationem iſtius Sacrificii uſa eſt altaribus ligneis, &* (d) *lapideis* (e) *erectis*

(x) Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 5.

(y) Vide infra lib. 12. cap. de Com. ſub una ſpec.

(z) Cypr. ad Cæcil. ep. 63.

(a) Aug. de civ. l. 17. c. 20.

(b) Iren. l. 4. c. 32.

(c) Aug. contr. Fauſt. l. 20.

(d) Euſ. de vit. Conſtant. l. 4. Cyril. Hier. & alii infr. l. 8.

(e) Chryſoſt. in 1. ad Cor. homil. 41.

Etis ac dedicatis Deo in memoriam Martyrum, illaque ipsa consecrabat adhibitis formulis verborum, & ceremoniarum quarumdam, quas inter quoque erat Reliquiarum illarum Religiosa adservatio. Ecclesiam, in qua a fidelibus peregrinationes & itinera suscepta sunt ad (f) *corpora Martyrum, ut ipsorum meritis* (g) *sociarentur, ipsorumque intercessionibus juvarentur; in qua iidem fideles Martyres illos rogabant, ut orarent* (h) *pro ipsis, in qua ipsorum* (i) *festa celebrabant, ipsorum* (k) *Reliquias venerabantur, iisque utebantur* (l), *ad exorcizandos malignos Spiritus, in qua Reliquias* (m) *exosculabantur* (n), *floribus eas contingebant; eas in fasciis* (o) *byssinis, & vasis aureis gestabant: in qua coram ipsorum* (p) *capsis prosternebantur,* (q) *offerebant Deo Sacrificia super sanctorum tumulos, contingebant religiose* (r) *cancellos locorum, in quibus Reliquiæ ipsorum conservabantur,*

(f) Greg. Nyss. de Bapt.

(g) Aug. ubi supra.

(h) Basil. in 40. Martyr.

(i) August. supra.

(k) Amb. de vid. Greg. Naz. Cyp. & alii. Vide infr. c. 10.

(l) Aug. Ps. 63. & 88.

(m) Hier. ad Marcel. ep. 17.

(n) Idem contra Vigilant. (o) Ibidem.

(p) Aug. de Civ. Dei l. 22. c. 8.

(q) Hieron. adverss. Vigil.

(r) Ruff. hist. Eccl. l. 2. c. 33. Chrys. 2. Cor. hom. 26.

tur, in pretio habebant (s) *pulverem illic collectum, illic orabant Martyres pro ſalute ſpirituali* (t) *proque ſanitate & proſperitate temporali familiarum ſuarum, illuc deferebant non tantum* (u) *infantes ſuos, verum etiam pectora ægrota ad obtinendam ſanitatem: in qua etiam poſt recuperatam a Deo, interceſſione illorum Martyrum, valetudinem* (w) *appendebant templis, & altaribus in ipſorum memoriam erectis, imagines aureas atque argenteas, earum ſui corporis partium, quæ ſanatæ fuerunt, in ſignum ſcilicet, ac memoriam interpretatorum, quæ vovebant bonorum: in qua docti, pii, & veteres Epiſcopi hæc recitant, extollunt, veluti radios totidem, indicia, & triumphos gloriæ Chriſti. Eccleſiam, quæ* (x) *traditiones Apoſtolicas non ſcriptas, ſed viva voce, & viſibili, atque oculari Apoſtolorum actu, ipſorum Succeſſoribus conſignatas, pari in pretio habuit cum ſcriptis ipſis Apoſtolicis; quæque pro traditionibus Apoſtolorum ea ipſa tenuit, quæ nos pro Apoſtolorum traditionibus tenemus. Eccleſiam, quæ preces inſtituit pro vivis* (y), *& defunctis, tum privatas, tum publicas, ut ipſis refrigerium & quietem conſequeretur, obtineretque a Deo, ut majore*

(s) Hier. contra Vigilant.
(t) Aug. ubi ſupra.
(u) Greg. Nyſſ. in Theod.
(w) Theodoret. de Græc. aff. l. 8.
(x) Paulin. Nolan in Natalem Felicis 6.
(y) Theodoret. ſupra.

majore ipsos misericordia tractaret, quam quidem ipsorum peccata merebantur, quæque consuetudinem istam habuit pro (z) *necessaria ad animarum ipsorum resocillationem; quæque eandem retulit inter* (a) *doctrinas Apostolica traditione ad se transmissas, denique, quæ illos, qui* (b) *consuetudinem illam non observabant, reposuit inter hæreticos, Ecclesiam, quæ Quadragesimale Jejunium habuit, non* (c) *pro libera & spontanea consuetudine, sed pro necessario opere, & traditione Apostolica* (d) *quæque eos hæreticis adnumerabat, qui consuetudinem illam non observabant; quæ etiam toto Quadragesimæ tempore, tanquam in publico Christianorum luctu* (e) *prohibebat nuptiarum celebrationes, & Solemnizationes matrimoniorum. Ecclesiam, quæ extra Pentecosten, per universum annum, diem Veneris observabat in memoriam mortis Christi, excepto eo, in quem incidebat Natalis Dominicus* (f). *Quem illa nominatim exemit, ducta Apostolicæ traditionis authoritate; nam de Mercurii diebus non loquor, in quorum locum ab Ecclesia Orientali dies Sabbati suffectus est.*

(z) Basil. de sp. S. & alii infra lib. 6.

(a) Tertul. de Monog. Aug. de verbis Apostol. & alii, infra lib. 6.

(b) Aug. de Cur.

(c) Chrys. Phal. homil. 3.

(d) Epiph. Hæres. 75. Aug. de Hæres. cap. 53.

(e) Hier. ad Marcell. ep. 54.

(f) Epiphan. in Compend. & in Anaceph.

est. Ecclesiam, quæ interdictum factum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, de non ducendis uxoribus post ipsorum promotionem, habuit pro re necessaria, & traditione Apostolica. Ecclesiam, quæ matrimonium, post votum solemne castitatis habuit pro peccato, idque per traditionem Apostolicam (g); *quæque religiosos, & religiosas post solemne votum castitatis se matrimonio dantes, non tantum adulteris accensuit, verum etiam incestuosis. Ecclesiam, quæ* (h) *mixtionem aquæ cum vino in Sacrificio Eucharistiæ tenuit pro re necessaria & traditione divina atque Apostolica. Ecclesiam, quæ* (i) *exorcismos, insufflationes, & abrenuntiationes, quæ in baptismo fiebant, habuit pro sacris & traditionis Apostolicæ ceremoniis. Ecclesiam, quæ præter baptismum, & Evchariſtiam, quæ erant sacramenta duo initiationis Religionis Christianæ, habuit* (k) *confirmationem, quæ fiebat Chrismate & signo crucis, pro vero & proprie ita*

(g) Conc. Neoc. c. 1. Eus. demonst. Evang. l. 1. c. 9. Concil. Carthag. 2. cap. 2. Epiph. hæres. 59. & alii.

(h) Epiph. Cont. Apost. hæres. 61.

(i) Chrys. ad Theod. orat. 2. Ambr. ad Virg. Laps. Hier. cont. Jovin. lib. 1.

(k) Cypri. ad Cæcil. ep. 63. Concil. Carthag. 3. cap. 24.

ita dicto Sacramento, quod (l) *a ſolis Epiſcopis conferri poſſet; præterea* (m) *Matrimonium quoque pro vero & proprio Sacramento, itemque* (n) *Pœnitentiam* (o); *Confeſſionem vero vocalem, quæ ſit Paſtoribus Eccleſiæ, pro conditione neceſſario ad hoc Sacramentum requiſita; ſicut eadem quoque pro veris Sacramentis Ordinem, &* (p) *extremam unctionem habuit. Atque hæc ſunt ſeptem illa Sacramenta, quæ Eccleſia Romana agnoſcit, quæque* (q) *Græca communio adhuc profitetur ſe nobiscum amplecti. Eccleſiam, quæ Ceremoniis Baptiſmi uſa eſt,* (r) *oleo* (s), *ſale* (t) *luminaribus* (u), *Exorciſmis* (w) *ſigno crucis* (x) *voce Epheta, aliisque ſimilibus accidentariis rebus, ut per oleum teſtaretur, nos in Baptiſmo factos eſſe Chriſtianos, hoc eſt, unctionis Chriſti participes: per ſalem, Deum in Baptiſmo nobiscum paciſci fœdus*

(l) Aug. de pec. Orig. c. 46.

(m) Aug. cont. Pet. l. 3. c. 4.

(n) Hieron. contra Lucif.

(o) Aug. de nupt. & concup. 1. c. 17.

(p) Ambr. de pœn. c. 7. Aug. de Bapt. contra Donat. l. 5. c. 20.

(q) Leo ep. 91. & alii. Vide infra l. 2.

(r) Aug. cont. Parm. l. 2. c. 13.

(s) Innoc. 1. ad Decent. c. 8.

(t) Cenſ. Orient. Eccl. c. 7.

(u) Cypr. ep. 70.

(w) Conc. Carthag. 3. c. 5.

(x) Greg. Naz. de Bapt.

dus æternum juxta phraſin Scripturæ, quæ fœdera æterna vocat fœdera ſalis; per luminaria, Chriſtum eſſe lucem illam, illuminantem omnem hominem, venientem in hunc mundum; per (y) *Exorciſmos, nos Baptiſmo aſſeri a poſſeſſione diaboli* (z); *per ſignum Crucis, mortem Chriſti adfundere vim omnibus iſtis Sacramentis* (a); *per vocabulum Epheta, Deum ſpiritualiter in nobis efficere in Baptiſmo, id quod corporaliter effecit in ſurdo illo & muto. Eccleſiam, quæ Baptiſmum in adultis neceſſarium* (b) *ſtatuebat neceſſitate Conditionata* (c). *Infantibus vero neceſſitate abſoluta, quæque idcirco permittebat* (d) *Laicis, ut in periculo mortis baptiſarent infantes. Eccleſiam, quæ aqua benedicta, & verbis quibusdam, ceremoniisque conſecrata, uſa eſt, tum* (e) *ad Baptiſmum, tum* (f) *ad diſſipandas incantationes, tum ad Exorciſmos, &* (g) *conjurationes malorum ſpirituum. Quocirca enim B.* (h) *Greçorius Magnus (etſi quatuor primis Synodis poſterior, tamen irrefragabilis*

(y) Aug. ep. 101.
(z) Aug. cont. Jul. l. 6. c.
(a) Ambr. de Sacram. l. 1.
(b) Aug. ep. 105.
(c) Aug. in Joan. tract. 118.
(d) Ambr. de Sacram. l. 1.
(e) Aug. de an. & ejus Orig. lib. 3. cap. 15.
(f) Tertul. de Bapt. Hier. contra Lucif.
(g) Baſil. de ſp. S. c. 27.
(h) Epiphan. Hæreſ. 30.

bilis Anglis, omnique apud eos exceptione major, quippe, qui originem missionis suæ ab ipso traxerunt) quum Anglia a Paganismo ad Religionem Christianam conversa est, constituit, decrevitque, ne quis Templa Paganorum demoliretur, sed ut aspersione aquæ benedictæ expiarentur. Ecclesiam, quæ œconomica Ministerii Ecclesiastici diversos gradus habuit (i) *Episcopum, Presbyterum, Diaconum, Acolythum, Exorcistam, Lectorem, Ostiarium, eosque consecrabat, benedicens ipsos variis formularum, & ceremoniarum ritibus, quæque in ordine Episcoporum diversas observabat sedes jurisdictionum de jure positivo, nimirum Archiepiscopos, Primates & Patriarchas, ac præter hos unum* (k) *præ ceteris jure divino eminentiorem Papam scilicet* (l) *sine quo nihil decidi potuit rerum ad Ecclesiam universalem pertinentium, adeo, ut, si ipse vel in propria persona, vel per Legatos, Concilio non interfuisset, aut si confirmationem non adhibuisset, talia Concilia, etsi vocarentur forte universalia, reipsa tamen cassa irritaque essent, & nullius pretii. Ecclesiam, quæ* (m) *Succes-*

(i) Theod. hist. Eccl. l. 5. c. 27.

(k) Greg. l. 9. ep. 71.

(l) Conc. Laod. c. 24. Carthag. 4. Can. 2. & seq. Valens & Grat. Cod l. 1. Tit. 3. l. 6. Hier. ep. ad Tit. l 3. & alii.

(m) Hieron. ad Damas. ep. 57. de duabus ep. Pelagii l. 1. c. 1. & ep. 92. Concil. Calced. ep. ad Leon. aliique. Vide infra c. 25.

Succeſſionem haud interruptam Epiſcoporum a prima inde miſſione Apoſtolorum deinceps habuit, pro conditione eſſentiali Eccleſiæ, eosque qui ſucceſſione tali deſtituti erant, aut qui cum talibus communicabant, judicavit Schiſmaticos & ejusdem cum Core, Dathan, & Abiron maledictionis reos. Eccleſiam, quæ diſcrimen inter Epiſcopum & Presbyterum accurate retinuit, & nominatim in caſu Ordinationis, habuit pro divini juris & (n) traditionis Apoſtolicæ, quæque pro (o) hæreticis illos habuit, & condemnavit, qui diſcrimen illud confundebant. Eccleſiam (p) quæ doctrinam de libertate arbitrii habuit pro doctrina fidei, & in Scripturis ſanctis revelata; quæ tenuit (q) fidem ſolam ſine operibus Evangelicis non ſufficere ad ſalutem (r); impios, perſeverantes uſque ad finem, eſſe reprobatos, ſed non prædeſtinatos ad malum (s): certitudinem illam, quam ſinguli de ſua prædeſtinatione præſumunt, eſſe rem temerariam. Eccleſiam, in qua Officium per totum Orientem fiebat Lin-

(u) Socr. hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 8. Sozom. lic. 3. cap. 10..

(o) Cyprian. ad Magn. ep. 76. & de Unitate Eccleſiæ, Chryſ. ad Eph. hom. 11.

(p) Hier. ad Evag. ep. 85. in fine.

(q) Epiph. hæreſ. 75. Aug. de hæreſ. cap. 53.

(r) Aug. de Grat. & lib. arb. c. 2. & ep. 46. Cyril. in Joan. l. 4. c. 7.

(s) Aug. de Grat. & lib. arb. c. 8. & l. 83. quæſt. q. 76.

gua Græca, & per totum occidentem, tam in Africa, quam in Europa (t) *Lingua Latina, etiamsi in nullis Europæ atque Africæ Provinciis, excepta Italia, & urbibus, in quibus residebant Coloniæ Romanorum, Lingua latina a plebe vulgaria intelligeretur, sed a solis ea caperetur eruditioribus. In summa, Ecclesiam, quæ vel in genere vel in specie, vel formaliter, vel anagogice, iisdem plane ceremoniis, hoc est, visibilibus verbis, usa est, quibus hodie universaliter utitur Ecclesia Catholica* (u). *Observabat enim distinctionem dierum festorum, & ordinariorum, distinctionem habituum in Laicis &* (w) *Ecclesiasticis* (x); *distinctionem & venerationem vasorum sacrorum; usum* (y) *tonsuræ, &* (z) *unctionis ad collationem ordinum; ablutionem* (a) *manuum ad Altare ante consecrationem mysteriorum; eadem quoque osculum* (b) *pacis dabat ante communionem: pronuntiabat* (c) *partem*

(t) Prosper. ad art. sibi impositos.

(u) Aug. de Corrept. & Grat. cap. 13. & alibi.

(w) Vide inf. l. 12. de lingua officii.

(x) Aug. ep. 118. & Ps. 63. & 88.

(y) Conc. Laod can. 22. & 23. Hier. ad Heli. ep. 3. Theod. hist. Eccl. l. 2. c. 27. Cod. Tit. 2. lib. 21.

(z) Hier. præf. in ep. Theoph. Opt. l. 1.

(a Theod. Hist. l. 5. c. 8. Vict. Turon. in Zen. Ibid de Div. Offic. l. 2. c. 4. & Concil. in Trull. c. 33. ambo ex vetere usu. Ecclesiæ.

b Greg. Naz. de pace or. 1. idem in Basil. Auct. de Unct. Christ. Greg. in Reg. l. 4. c. 5.

(c) Cyril. Hier. cat. myst. 5.

tem ministerii ad Altare voce secreta, & non exaudibili; processiones (d) *instituebat cum Reliquiis Martyrum; deducebat defunctos ad sepulchrum cum* (e) *cereis, & luminaribus in signum gaudii, & certitudinis futuræ resurrectionis; habebat Christi & Sanctorum picturas, tum* (f) *extra Ecclesias, tum in* (g) *Ecclesiis, atque adeo super* (h) *ipsa etiam Martyrum Altaria, non ad eas adorandas, quatenus adoratio significat cultum divinum, sed ut per eas veneratio, athletis. & luctatoribus Christi debita exhiberetur. Utebatur* (i) *signo crucis in omnibus suis conversationibus, illudque* (k) *imprimebat fronti Catechumenorum, inscribebat* (l) *porticibus ædificiorum omnium fidelium, dabat* (m) *benedictionem populis manu per signum crucis, adhibebat signum* (n) *illud ad pellendos malignos Spiritus, proponebat Hierosolymis* (o) *veram crucem adorandam die Sancto Veneris.*

(d) Conc. Laod. cap. 19.

(e) Conc. Laod. ibidem.

(f) Aug. de Civ. Dei, l. 22. c. 8.

(g) Gre. Naz. in Jul. orat. 2.

(h) Euseb. d- Vita Const. l. 3.

(i) Paul, ep. 12. Bas. In Mart. barlan. Greg. Nyss. in S. The.

(k) Prudent. in S. Cassian.

(l) Tertul. de Coron. Milit.

(m) Au. de symb. ad cat. l. 2.

(n) Cyril. contr. Julian. l. 6.

(o) Hieron. in vita Hilarion.

Utebatur Thure in Synaxibus; nec vero thure Arabico, sed promiscue quolibet Gummi odorifero: neque enim thymiamata habebat amplius pro sacrificio, quemadmodum tempore legis, sed pro simplici ceremonia, instituta ad repræsentandum effectum precum, quem describit David his verbis, ascendit oratio mea sicut Thymiana coram te. Et Joannes in Apocalypsi his verbis: Fumus Thymiamatum orationum Sanctorum ascendit de manu Angeli coram Deo. Denique Ecclesiam, quæ pro certo, ratoque habuit, Ecclesiam Catholicam habere promissionem infallibilem, quod debeat esse (r) *perpetuo pura, & incorrupta in doctrina & Sacramentis, perpetuoque adstricta, & continuata in successione sui ministerii; & cujus solius esset* (s) *conservare traditiones Apostolicas, authoritatem interpretandi scripturas: Et decidendi controversias fidei, & extra ejus communionis, Doctrinæ, & ministerii successionem neque Ecclesia esset, neque Salus* (t). *Atque ex istis Rex ipse Serenissimus, si modo ea per otium sufficienter placebit expendere, deprehendet, quænam fuerit facies Ecclesiæ Catholicæ, tempore B. Augustini, & quatuor primorum*

(p) Athanas. contra Idol.

(q) Paulin. ep. MS.

(r) Chrys. in Matth. homil. 89. Evag. hist. Eccl. l. 4. cap. 7.

(s) Vide supra cap. 3.

(t) Tertul. de præscr. Iren. l. 3. c. 3. & l. 4. c. 32. atque alii. Vide infr. lib. 6.

norum Conciliorum. Nunc est Regis despicere, stne ex hoc vultus Lineamento agniturus Eccle-sam Calvini (Lutheri, Calixti) *an nostram.*

Hucusque Cardinalis Perronius, quocum ex S. Augustino lib. 2. contra Julianum Pelagianum Luthero acclamare potuissem: *Ecce non ego unus, sed tot ac tanti sancti eruditique Doctores tibi pro me, vel mecum, proque omnium vestrum, & tua ipsius, si sapis salute respondent*, inde vero nos discere possumus, quam mire hodierna Ecclesia Romana cum veteri Ecclesia conveniat, quantum vero Lutheri reformatio ab hac discrepet: id quoque ipsemet Lutherus, cui quandoque veritatis agnitæ vis ingenuam confessionem extorsit, deprehendisse videtur, cum asserit, *doctrinam suam novam, & per universum Orbem supra modum fuisse scandalosam* (u), *atque ab Apostolorum temporibus inauditam* (w), nec id quidem mirum; cum enim omnes antiquos sanctos Patres, ex quorum tamen testimoniis perpetuus atque unanimis Ecclesiæ sensus hauritur, spernere, imo & erroris inculpare præsumeret, necesse erat, ut nova ipsius Ecclesia toto cœlo ab antiqua aberraret, novaque esset

(u) Tom. 8. Germ. Jen. fol. 181. Tom. 2. Germ. Jen. fol. 480.

(w) Tom. 4. Witt. Germ. in literis de sua versione Bibliorum.

ejus doctrina, atque aliena a veteri per Apostolos ad sanctos Patres propagata, nobis tradita, & continuato usu ab universali Ecclesia recepta.

Enim vero quis credat, quod Lutherus suam doctrinam ex purissimis veterum Sanctorum Patrum fontibus hauserit, cum petulanter asserere ausus sit: *Hoc certo scio, quoniam neque Augustinus, neque Ambrosius in hoc mihi æquales sint* (x), item *Chrisostomum nullo loco habeo, non est nisi loquaculus* (y), absque dubio, quia is disertis verbis continentiam ac cœlibatum commendat. *S. Basilius*, inquit Lutherus, *nihil valet, totus est Monachus, ne pilo quidem illum redimerem. Apologia Philippi omnes Ecclesiæ Doctores superat, etiam Augustinum.* Ita D. Basilium traducere, e re erat Luthero, qui vitæ Monasticæ Institutum ac vincula violare in animo habuerat. Tertulliano honorem tribuere censet, dum de eo affirmat: *Inter Ecclesiæ Doctores merus est Carolstadius.* De sancto Ambrosio honorificum hoc fert judicium: *sex libros super Moyse scripsit; sed quam jejunos.* S. Cyprianus Martyr apud novum hunc Evangelistam audit, *infirmus Theologus:* imo *Hieronymus nequidem inter Ecclesiæ Doctores numerari debet; nam fuit hæreticus, puto tamen,*

(x) Lib. contra Ducem Georgium Saxoniæ.

(y) in colloq. convival. cap. de Patribus Eccles.

men, inquit Lutherus pro ſua in ſanctos Patres reverentia, *quod per fidem in Chriſtum ſalvatus ſit* (z), mox tamen in eum ſolita ſua modeſtia his verbis invehitur (a): *Quin te Hieronyme conculcamus, cum tua Bethleem, cuculla, & deſerto: .... de fide & vera Religione & doctrina vera, ne verbum quidem* in tuis libris *exſtat.* Tanta ipſi eſt D. Auguſtini auctoritas, ut exclamare non erubeſceret: *Quis eſt Auguſtinus? Quis nos cogit illi credere? qua auctoritate ejus verbum eſt articulus fidei?* (b) Utinam Lutherus ſaltem non negaſſet, D. Auguſtini verbum eſſe inconcuſſum fidei veræ teſtimonium; attamen juxta ipſum Auguſtinus *nihil ſingulare habet de fide.* Qua ergo ratione Lutheri doctrina cenſeri poterit antiqua, quæ veteribus Sanctis Patribus primitivæ ac Apoſtolicæ doctrinæ teſtibus adverſatur? Ad oculum igitur patet, quod Lutheri reformatio nonniſi mero cerebri ſui figmento, ac veterum hæreticorum commentis innitatur.

Si vero ex fructibus ſuis hanc Reformationis arborem cognoſcere licet, profecto peſſimam, ac corruptæ radici innixam cenſere cogimur. Hac ſuper re hoſtibus noſtris haud ſuſpectum erit ipſius Lutheri teſtimonium

(z) Cap. de Scholaſticis Theologis.
(a) In cap. 22. in Geneſ.
(b) In Epiſt. ad Regem Angliæ.

nium hæc ingenue de sua Reformatione scribentis: *Ex nostra Doctrina indies fit mundus deterior* (observa: ex ipsa Reformationis suæ doctrina, & non tantum ex perversitate eorum, qui hanc doctrinam amplectuntur, mundum indies fieri deteriorem fatetur Lutherus) *nunc homines, qui prius uno, nunc septem dæmoniis obsessi sunt. Dæmon turmatim hoc tempore ingreditur mortales &c.* (c) Rursum fatetur (d), quod ejus doctrinæ ac reformationi Papistæ ita merito objiciant: *Nihil ex nostra doctrina enatum boni; nam statim postquam Evangelium nostrum insonuit, secutam seditionem horribilem agricolarum, orta dissidia Ecclesiæ & sectas, dissolutam Disciplinam, ac quasi effractis legum repagulis, sumpta licentia omnes cæpisse uti; SICUT PROFECTO VERUM EST; major enim licentia omnium vitiorum nunc est, quam fuit superioribus temporibus, cum metu vulgus coerceretur, quod nunc tanquam effrænis equus pro libidine agit omnia; nam Ecclesiastica vincula contemnit, quibus prius sub Papatu tenebatur, & abutitur quoque civilis Magistratus negligentia. Hæc incommoda omnia, quæ neutiquam levia sunt, Adversarii nostri doctrinæ seu Evangelio imputant:* Et

(c) In der Hauspostill gedruckt zu Jena Anno 1559. in der zweyten Predig des ersten Sonntags im Advent.

(d) Tom. 3. Witt. Lat. in Psal. 2. *Quare tumultuantur Gentes &c.* fol. 394.

Et quidem merito: quippe ipsa Lutheri doctrina suis defectionem, seditionem & dissidium in Ecclesia fieri præcepit, Ecclesiæ disciplinam jactata conscientiarum libertate dissolvit, Legum Ecclesiasticarum repagula frangere docuit, metum pœnæ ac culpæ per temerariam fidem & fiduciam sustulit, omniumque vitiorum præcipue impudicitiæ licentiam tam conjugatis quam Ecclesiasticis verbo & exemplo indulsit: Igitur ex ipsa hac Lutheri doctrina jam in primo spuriæ hujus reformationis exordio, vivente adhuc egregio hoc reformatæ Ecclesiæ Protoparente nefanda prorsus mala fuere enata, in hoc enim vera Christi fides a quolibet schismate ac hæresi differt, quod in illa in primo suo exordio, dum adhuc veri nostri Capitis ac Reformatoris Christi Jesu Sanguis in fidelium venis calidus fervebat, nil nisi morum sanctitas, vitiorum fuga, ac vitæ perfectio in omnibus ferme membris eluxerit, licet posterioribus temporibus invalescente fidelium tepore major vitæ licentia fuisset inducta: ex adverso autem omnes Sectæ in primis annis nil nisi dissidia, tumultus, morum dissolutionem, ac vitiorum libertatem, omnemque vitæ licentiam in suis Sectatoribus procreent, ac flagitiis impune perpetrandis viam sternant licet ejusmodi hæretici postea invalescente errorem tuendi obstinatione, arreptumque propositum exequendi pertinacia in Catholic-

licorum invidiam damnata quadam Hypocrisi externos mores ad pietatem componere satagant.

Hujus rei testimonium præter illos, quos jamjam in præfatione ad tomum XXXII. nostræ Historiæ adduximus, ex aliis, ipsisque Lutheri Discipulis petere lubet, atque hos inter præcipuus Paulus Eberus Wittembergensis Pastor Kizingæ in Franconia an. 1511. natus, de novi hujus Evangelii doctrina, ejusque Sectatoribus in præfatione super Commentarium Melanchtonis in Epistolas sancti Pauli sequens nobis reliquit testimonium: *Tota nostra Evangelica societas tot tamque atrocibus dissidiis ac scandalis est contaminata, ut toto cœlo aberret ab illa, qualem se esse jactitat. Si enim ipsam doctrinam nostri Evangelii consideras, mox cernis, quod nostrum aliqui ex ambitione & invidiosa æmulatione vel curiositate sanam doctrinam perturbent, falsasque doctrinas audacter dissemiment, & pertinaciter propugnent; alii vero inutiles disputationes excitent, necnon implacibili livore ac odio prosequantur. Alii Religionem pro suo arbitrio ultro citroque inflectant, juxta voluntatem Dominorum* (uxorum) *vel populi, quorum favorem atque applausum pluris æstimant, quam Dei honorem & veritatis propagationem, denique nonnulli cuncta, quæ per veram doctrinam ædificarunt, luxuria, ac nefanda vitæ licentia rursum destruant. Si autem Evangelicos Audito-*

res,

res, seu populum consideras, deprehendis propudiosum abusum Religionis, ac Christianæ libertatis, cernis contemptum & Religionis neglectum, multas easque impuras disputationes, bonorum Ecclesiasticorum deprædationes, ingratitudinem erga fideles Verbi Divini Dispensatores, omnis disciplinæ solutionem, perfrictam Juventutis obstinationem, omniumque scelerum semina, atque incrementa. Hinc quiscunque, qui hæc mala cernit, seriaque mente perpendit, merito dubitare potest, utrum noster Evangelicus cætus, vera Ecclesia esse valeat, in qua tot dissidia, discordiæ, ac nefanda scelera perpetrari cernuntur.

Alterum non minus celebre de Neo-Evangelii fructibus testimonium profert Jacobus Andreas Schmidelinus Tubinganus Præpositus, quem Lutheri Sectatores tanquam eximium fidei suæ pugilem deprædicant. Hic in suo quarto sermone de terrestribus Planetis ita differit (e): *Altera turma* (scilicet Lutheranorum) *in Germania Verbum Dei non impugnat, sed libere ejus prædicationem permittit, verum nullus exinde fructus deprehenditur, sed potius vita turpis Epicurea, ac pecudum more dies noctesque inter pocula & convivia transiguntur, nomenque Dei blasphematur, & nihilominus nostri in eorum reformatione æque ac Papistæ in illorum idololatria impunes esse volunt. Si urgetur seria ac Chri-*

(e) In seiner nothwendigen Erinnerung. fol. 139.

Christiana disciplina a Deo in ejus Verbo tam severe præcepta, tunc statim dicunt, quod novum Papismum, novumque Monachismum introducere velimus, didicimus, inquiunt, quod per solam fidem in Christum Jesum salvemur, & quod ipse per suam mortem omnia peccata nostra redemerit, proin quod per nostra jejunia, Eleemosynas, orationes, & alia bona opera peccata nostra redimere non possimus, ergo facessant hæc opera, erimus per solum Christum salvi, duntaxat gratiæ Dei ac meritis Christi confidere volumus. Præterea ut toti Orbi notum fiat, quod ipsi non sint Papistæ, ideo jejunii loco vorant, ac perpotando se ingrugitant, Eleemosynæ loco pauperes excoriant, orationum loco blasphemant, vituperant, & profanant adeo crudeliter nomen Domini, ut Christus Dominus ejusmodi Blasphemias nequidem a Turcis tolerare cogatur. Adeo ab eis exulat humilitas, ut in illis nil nisi superbia, pompa, luxus in vestibus vel ad summam magnificentiam vel ad summam lasciviam adornatus dominetur. Hæc tamen omnia vitia perpetrare, dicitur Evangelice vivere, sibique insuper ejusmodi infelices homines persuadent, quod piam ad Deum fiduciam in cordibus suis foveant, quod magis Deum sibi propitium habeant, quod meliores sint, quam idololatrici, & Apostolo-abominabiles Papistæ. Consuli etiam potest Andreas Musculus in Sermon. Convival. & libro de noviſſimo die, necnon Casparus Faber in theatro Diabolorum fol. 431. & 478.

Ex hisce testimoniis, quæ fidei nostræ hostibus certe suspecta esse nequeunt, aperte demonstratur, quod Lutheri reformatio quoad disciplinam & mores mera fuerit Ecclesiæ deformatio, ac tam atrocia vitia ex ipsius doctrina de justificatione & temeraria fiducia in Christum tanquam digni errorum fructus pullulaverint. Taceo jam aliorum Scriptorum quantumvis coævorum testimonia, ex quibus præcipue Erasmus Rotterodamus (h), & Georgius Wicelius (i), aliique quam plurimi ex Lutheri Evangelio corruptissimos mores fuisse introductos testantur. Quinimo adeo abominandos fructus ex spuria hac reformatione procreatos haud mirabitur ille, qui ipsius Lutheri opera perlustrat, ac præcipue ea, quæ tom. 2. Jenens. edit. de falso nominato Clericorum statu fol. mihi 141. item fol. 147. & 212. necnon tom.

(h) Epist. in Pseudo-Evangelicos tom. 9. edit. Basil. ann. 1540. Epist. ad fratres Germaniæ inferioris. Vide Gretserum in suo libro, cui titulus: Desiderii Erasmi Rotterodami de novo Evangelio judicium cap. 1. 2. & seq.

(i) In libello, qui inscribitur: Retectio Lutherismi apud eundem Gretserum l. c.

tom. 7. Witt. fol. 347. effutire ac docere non erubuit: si itaque quempiam ea perlegendi cupiditas stimulat, de rei veritate convictus erit, nares tamen & aures caute obstruat, ne lascivo fœtore inficiatur; hancque ob rem hujus Pseudo-Apostoli verba huc adducere, verecundia ac honestas prohibuit.

Attamen cum divina Providentia semper ex malo bonum eruere soleat, hinc Numine ita disponente factum, ut aperta fuerit novæ hujus doctrinæ perversitas; inde enim ortum duxit, quod tot Principes antea specioso reformatæ Ecclesiæ obtentu delusi tandem divini Spiritus lumine illustrati latentem malitiam detexerint, atque ejuratis erroribus ad sinum Matris Ecclesiæ redierint. Testes hujus rei sunt illæ rationes, quas iidem Principes publici juris fecerunt, iisque demonstrarunt, quod deserta Lutheri Secta ad fidei Catholicæ professionem ex agnita hujus doctrinæ perversitate fuerint permoti. Tanta nimirum vis est veritatis, ut tandem etiam superet errorem, quantumvis purioris veritatis specie occultatus incedat, carnisque blanditias tanquam fraudis comites & socias habeat: eapropter ab eo tempore, quo primus Lutheranæ defectionis ardor deferbuerat, fidei nostræ hostes nullum omni-

omnino Regem ac Principem in medium proferre valent, qui ex caſtris Iſrael ad Lutheri magni illius Philiſtæi vel Calvini vexilla tranſiiſſet; nos vero inter Principes, qui novam hanc Reformationem abominantes Eccleſiæ Romano - Catholicæ fidem profeſſi ſunt, non ſine ingenti gloria, ac veritatis argumento enumerare poſſumus Henricum IV. Franciæ Regem, Eliſabetham Imperatricem, Mariam Eleonoram Anhaltinam de Deſavia, Jacobum Badenſem Marchionem, Fridericum Haſſiæ Caſtellæ Landgravium, Joannem IV. Saxoniæ Electorem, Chriſtianum Wilhelmum Brandeburgenſem Marchionem, unacum Eleonora & Chriſtina Sophia Brandeburgo-Culmenſibus, Maximilianum Guilielmum, & Joannem Fridericum Brunsvico - Zellenſes, Antonium Ulricum unacum Auguſta Dorothea Duciſſa Guelpherbytana, Philibertum de Baden-Baden, Carolum & Guſtavum poſtea Cardinalem ex familia Baden - Durlacenſium, Fridericum Auguſtum I. & II. ambos Poloniæ Reges, Carolum II. & Jacobum II. Angliæ Reges, Ferdinandum Curlandiæ Ducem, Wolfgangum Guilielmum Palatini Electorem, Eduardum Friderici filium Palat. Elect. unacum duabus Sororibus, Fridericum poſtmodum Cardinalem & Amaliam Electricem ex eadem Sereniſſima Domo unacum

duabus aliis Principibus ex familia Haſſiæ Darmſtatenſis, Erneſtum de Haſſia & Rheinfeldia unacum ejus Conjuge Maria Elenora ex familia de Solms & Durlaco, Joannem Fridericum Hanoveranum Ducem, Albertum Wenceslaum de Fridlandia, Chriſtianum de Mecklburgo-Schwerin, Leopoldum, Joachimum Fridericum, Guilielmum, & Dorotheam ex Familia Holſteiniana; Dorotheam, Eleonoram, & Sophiam ex domo Wiſenburgenſi, præter Alexandrum V. unacum tota ferme familia lineæ Catholicæ; quatuor principiſſas de Saxonia, Chriſtianum Auguſtum de Solisbaco, Amaliam, Ludovicum, Adolphum & Joannem de Naſſavia, Chriſtianum, Mauritium, & Joſephum de Saxenzeits præter totam familiam Principum Saxonum de Lauenburgo, Chriſtinam Sueciæ Reginam, & Cœciliam Guſtavi I. Filiam; Carolum Alexandrum, Ludovicum Wirtembergæ Duces unacum Eleonora, Annam Chriſtinam ex familia Saxo-Weiſſenfenſenſi, Guſtavum, & Mariam Eliſabetham ex Bipontino-Kleeburgenſi familia, Chriſtianum IV. & Fridericum, necnon aliam Principiſſam ex eadem Domo Bipontina, præter plurimos alios primæ Nobilitatis Viros, qui omnes ex malis novæ reformationis fructibus doctrinæ perverſitatem agnoſcentes, absque omni proprii quæſtus

quæſtus incitamento ad Catholicam unitatem reverſi ſunt, quamvis ob hanc mutationem a veræ fidei æmulis acerbas admodum vexationes tolerare coacti fuerint.

Hæc fuſiori calamo in medium allata ſunt, ut manifeſtum fiat, quod nova hæc Reformatio a Luthero absque legitima auctoritate fuerit ſuſcepta, modo prorſus indebito propagata, ac demum cum ingenti animarum detrimento, ac cum magna veræ doctrinæ morumque deformitate fuerit firmata, idque ex proprio illorum, qui ſe totius Germaniæ Reformatores venditarunt, teſtimonio comprobetur, & quidem eo validius, quo certius ipſimet Reformationis ſuæ abuſus, ac ſuorum vitia, moresque depravatos ex ipſa nova doctrina, ejusque uſu profluxiſſe demonſtrant, cum tamen in noſtra Eccleſia corruptelæ ac fidelium ſcelera, quæ etiam quandoque ſancti Patres, aliique Verbi divini Præcones, ac Scriptores Catholici exagerarunt, ex ipſa credentium malitia, ac ſalutaris doctrinæ neglectu dimanent. Inſulſe igitur Proteſtantes adeo diſerti ſunt, cum de perverſis quorumdam Catholicorum moribus, eorumque vitiis profeſſioni Catholicæ diſſonis declamant, ac ſine ullo diſcrimine vera & falſa in Romanos Pontifices, Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, & Mo-

niales evomunt, perinde acsi eorum reformatio æqua, vera ac sancta esse ex eo comprobaretur, quod vera Christi Ecclesia membris quibusdam putridis quandoque fuerit deformata. *Nolite* igitur, *charissimi, omni Spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum* (k), *nihil autem*, inquit S. Augustinus (l), *sic debet formidare Christianus, quam separari a corpore Christi; qui enim separatur a Corpore Christi, non est membrum ejus, non vegetatur Spiritu ejus: quisquis autem Spiritum Christi non habet, non est ejus.*

(k) 1. Joan. 4. v. 1. & 2.

(l) Tract. 27. in Joannem.

CON-

CONSPECTUS LIBRORUM.

LIBER CXXVII.

§. 1. Lutherus ejusque Sectatores per novam Bullam a Papa anathemate perculsi. Pag. 1

§. 2. Comitia Wormatiæ a Cæsare celebrata. 3

§. 3. Aleandri Pontificii Nuncii oratio in Comitiis Wormatiensibus. 4

§. 4. Aleander, ne Lutherus ad Comitia vocaretur, obluctatus. 6

§. 5. Epistola Cæsaris ad Lutherum unacum publicæ fidei literis. 7

§. 6. Lutherus Wittemberga Wormatiam profectus. 8

§. 7. Lutherus Wormatiam delatus, ibique interrogatus. 10

§. 8. Lutherus Wormatiæ in Comitiis altera vice auditus. 11
§. 9. Lutheri oratio præsente Imperatore in Comitiis. 12
§. 10. Cæsaris Epistola ad ordines Imperii adversus Lutherum. 18
§. 11. Colloquium Trevirensis Electoris cum Luthero. 20
§. 12. Lutheri Responsum ad Comitiorum Deputatos. 22
§. 13. Conditiones Luthero ab Archiepiscopo propositæ. 23
§. 14. Lutheri Epistola post suum discessum ex oppido Friburgensi ad Cæsarem data. 25
§. 15. Lutherus in itinere raptus, atque in arcem abductus. 26
§. 16. Rumores de Lutheri raptu sparsi. 27
§. 17. Edictum Caroli V. Imperatoris adversus Lutherum. 29
§. 18. Censura Errorum Lutheri per Facultatem Theologicam Parisiensem. 34
§. 19. Errores ex libro de Captivitate Babylonica a Facultate Censuris notati. 37
Articulus I. De Sacramentis. 38
Art. II. De Legibus, & Constitutionibus Ecclesiæ. 41
Art. III. De operum æqualitate. 42

Art. IV.

Art. IV. De votis. 42
Art. V. De divina Eſſentia. 43
§. 20. Errores ex aliis Lutheri libris excerpti, ac proſcripti. ibid.
Titulus I. II. De Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, & de Contritione. *ibid.*
Tit. III. De Confeſſione. 46
Tit. IV. De Abſolutione. 47
Tit. V. De Satisfactione. 48
Tit. VI. De Accedentibus ad Evchariſtiam. 50
Tit. VII. De Certitudine Charitatis. ibid.
Tit. VIII. De peccatis. 51
Tit. IX. De Præceptis. 52
Tit. X. De Conſiliis Evangelicis. 54
Tit. XI. De Purgatorio. ibid.
Tit. XII. De Conſiliis Generalibus. 56
Tit. XIII. De Spe. 58
Tit. XIV. De pœna Hæreticorum. ibid.
Tit. XV. De Obſervatione, & Ceſſatione legalium. ibid.
Tit. XVI. De bello contra Turcas. 59
Tit. XVII. De Immunitate Eccleſiaſtica. ibid.
Tit. XVIII. De libero Arbitrio. ibid.
Tit. XIX. De Philoſophia, & Theologia Scolaſtica. 61
§. 21. Libellus Henrici VIII. Angliæ Regis adverſus Lutherum. 64

§. 22. Henrici Regis Liber pro asserendis septem Sacramentis. 65
§. 23. Henrici VIII. Liber Pontifici oblatus. 69
§. 24. Titulus Defensoris fidei a Papa Angliæ Regi collatus. 70
§. 25. Melanchtonis libellus adversus Parisiensium Theologorum Censuram. ibid.
§. 26. Lutheri Scriptum contra Angliæ Regem 72
§. 27. Epistola Erasmi ad Melanchtonem de furore Lutheri. 73
§. 28. Alia opera a Luthero in sua Captivitate scripta. 74
§. 29. Lutheri liber contra Latomum. ibid.
§. 30. Colloquia Lutheri cum diabolo. 75
§. 31. Wittembergensis Universitas ab Electore Saxonico circa Missam consulta. 77
§. 32. Missæ privatæ a Wittembergensibus abolitæ. 80
§. 33. Initia Belli inter Carolum V. & Franciscum I. 82
§. 34. Francisci I. molimina in Navarræ Regnum. 84
§. 35. Tota ferme Navarra ab Asparo subacta. 85
§. 36. Galli ab Hispanis cæsi, ac Navarræ Regno pulsi. 86

§. 37.

§. 37. Robertus de la Marc, seu Marchianus a Galliarum Rege in Cæsarem concitatus. 87
§. 38. Causſa dissidii inter Carolum V. & Franciscum I. 88
§. 39. Franciſci Regis Consilia de Fœdere cum Papa ineundo. 90
§. 40. Fœdus a Papa cum Cæsare adversus Gallos initum. 91
§. 41. Caroli V. querelæ adversus Franciſcum I. 92
§. 42. Mutuæ Franciſci I. de Carolo querelæ. 94
§. 43. Belli initia Caroli V. adversus Franciſcum I. 95
§. 44. Franciſcus I. apud Angliæ Regem queſtus.
§. 45. Colloquium Calletense circa dissidia Carolum inter & Franciſcum. 97
§. 46. Muſomum a Cæsaris Exercitu obseſſum, captumque. 98
§. 47. Maceriaca a Cæsareis obseſſa, ac liberata. 99
§. 48. Gallorum Victoriæ in Belgio. 101
§. 49. Cæsareos profligandi occaſio a Franciſco Rege neglecta. 102
§. 50. Fons rapidus a Bonniveto Admirali expugnatus. 103
§. 51. Miſer Gallorum ſtatus in Italia. 104

§. 52.

§. 52. Moronus Cancellarius Mediolanenſium exulum Dux. 105
§. 53. Reggienſe Colloquium inter Guicciardinum, & Leſcunum. 107
§. 54. Papa Gallis adverſatus. 108
§. 55. Lautrecus ſine pecuniis rurſus Mediolanum miſſus. 109
§. 56. Lautrecus cunctis Nobilibus inviſus. 111
§. 57. Fœdus Æthiopiæ Regis cum Luſitano Rege. 112
§. 58. Parma a Proſpero Columna cincta. 113
§. 59. Proſper Obſidionem ſolvere compulſus. 114
§. 60. Fœderatorum exercitum fundendi occaſio a Lautreco neglecta. 116
§. 61. Helvetii a Gallorum Exercitu ſejuncti. 118
§. 62. Lautrecus Mediolanum profugus. 119
§. 63. Fœderati capto Mediolano urbem ingreſſi. 120
§. 64. Plures aliæ Urbes nemine obſiſtente a Fœderatis occupatæ. 122
§. 65. Leonis X. Papæ obitus. 123
§. 66. Fœderatorum exercitus mortuo Papa diſſipatus. 124
§. 67. Emanuelis Luſitaniæ Regis obitus. 126
§. 68. Joannes III. Emanuelis Filius Regni Succeſſor. 127

§. 69.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 69. Guilielmi de Croy Cardinalis obitus. 128
§. 70. Franciſci de Comitibus Cardinalis mors. 129
§. 71. Thomæ Bacocii Cardinalis extrema. 130
§. 72. Raphaelis Riarii Cardinalis fata. 131
§. 73. Joannis Reichlini obitus. 134
§. 74. Solimanus Turcarum Imperator. 137
§. 75. Belgradum a Solimano expugnatum. ib.
§. 76. S. Reliquiæ Coeſtantinopolim translatæ, ac rurſus Belgradum miſſæ. 138
§. 77. Propoſitiones de Sepulturis ad Pariſienſem Facultatem Theologicam delatæ. 139
§. 78. Cenſura harum Propoſitionum. 140
§. 79. Alia Cenſura Propoſitionum ab Hieronymo Clichtoveo enunciatarum. ibid.
§. 80. Alia Cenſura de tribus Magdalenis. 142
§. 81. Miniſtri a Cardinalibus Romæ Sede vacante nominati. 146
§. 82. Cardinales nonniſi liberato prius Ferrerio Cardinale, Conclave intrare volentes. 148
§. 83. Cardinales Conclave ingreſſi. 149
§. 84. Electio Adriani Cardinalis a Cæſare clam agitata. 153
§. 85. Adrianus Cardinalis Dertuſenſis Epiſcopus in Papam electus. 154

§. 86.

§. 86. Novi Pontificis Hiſtoria. 156
§. 87. Adrianus VI. appellatus. 157
§. 88. Adriani Electio populo Romano ingrata. 158
§. 89. Lutherus deſerto ſeceſſu Wittembergam delatus. 159
§. 90. Tumultus a Carolſtadio Wittembergæ ſuſcitati. 161
§. 91. Diſſidiorum initiá Lutherum inter & Carolſtadium. 162
§. 92. Lutheri Epiſtola ad Comitia Ordinum Bohemiæ. 165
§. 93. Lutheri liber contra Epiſcopos Germaniæ. 166
§. 94. Lutheri ſcriptum adverſus Bullam, quæ incipit: in Cœna Domini. 168
§. 95. Germanica Novi Teſtamenti translatio per Lutherum facta. ibid.
§. 96. Polonica Bibliorum translatio Sociniana oppoſita. 170
§. 97. Lutheri verſio Novi Teſtamenti damnata. 172
§. 98. Lutheri ſcriptum adverſus damnatæ verſionis edicta. 173
§. 99. Carolus V. ex Hiſpaniis in Angliam navigans. 175
§. 100. Cæſar in Hiſpaniam delatus. 176
§. 101. Res in Italia durante hac expeditione. 178

§. 102. Gallorum Exercitus ſexdecim Helvetiorum millibus auctus. 179
§. 103. Lautrecus Mediolanum movens, mox vero reverſus. 180
§. 104. Morentiacus Leſcuno Mareſcallo occurrens. 181
§. 105. Novarra a Morentiaco obſeſſa, captaque. 182
§. 106. Franciſcus Sfortia in Mediolanenſem Urbem receptus. 183
§. 107. Lautrecus cæptam Papiæ Obſidionem ſolvere coactus. 184
§. 108. Fœderatorum caſtra Bicocæ. 185
§. 109. Galli ob Helvetiorum Seditionem ad pugnam coacti. 187
§. 110. Pertinax Helvetiorum conſilium de prælio ineundo. 188
§. 111. Tria Helvetiorum millia in prælio trucidata. 189
§. 112. Bicocana Gallorum clades. 190
§. 113. Helvetii ad ſua reverſi. 192
§. 114. Lauda, Comum, & Picelo a Fœderatis expugnata. 193
§. 115. Cremona pactis Conditionibus capta. ib.
§. 116. Genua a Fœderatis occupata. 194
§. 117. Franciſcus Rex ob hanc jacturam vehementer afflictus. 196
§. 118. Rex a Lautreco in Franciam reduce de Mediolanenſis Ducatus ſtatu certior factus. 197

§. 119.

§. 119. Lautrecus a Rege minus benigne exceptus. 199
§. 120. Ærarii Præfectus per Reginæ malitiam condemnatus. 201
§. 121. Fons rapidus ab Hiſpanis obſidione cinctus. 202
§. 122. Hiſpani obſidionem ſolvere a Chabannio compulſi. 203
§. 123. Copiarum Imperialium, & Anglorum expeditiones in Picardia, & Campania. 204
§. 124. Hedenæ obſidio ab Anglis ſoluta. 205

LIBER CXXVIII.

§. 1. Adrianus VI. Papa Genuam delatus. 207
§. 2. Adrianus Romam ingreſſus. 209
§. 3. Novi Pontificis Coronatio. ibid.
§. 4. Caraffa & Cajetanus ad reſtaurandam morum diſciplinam ſelecti. 210
§. 5. Adrianus a quæſtus ſtudio omnino alienus. 211
§. 6. Urbinatis Dux in gratiam Pontificis reſtitutus. 212
§. 7. Bellicus Solimani apparatus pro Rhodi expugnatione. 213
§. 8. Supremus Magiſter a Cancellario Ordinis proditus. 214
§. 9. Magni Magiſtri apparatus ad ſtrenuam Inſulæ Defenſionem. 216

§. 10. Equites a Magiſtro ad omnes Europæ Principes auxilia rogatum miſſi. 217
§. 11. Solimani Turcarum Imperatoris Epiſtola ad magnum Rhodiorum Magiſtrum. 218
§. 12. Turcarum claſſis ante Rhodum Inſulam. 219
§. 13. Turcæ Solimani adventu ad proſequendam Rhodi obſidionem animati. 220
§. 14. Turcarum ſententia de urbe quatuor ex partibus invadenda. 222
§. 15. Solimanus ob ſiniſtrum aſſaltus ſucceſſum in rabiem actus. 224
§. 16. Solimanus obſidionem ſolvere paratus, ſed a proditoribus confirmatus. 225
§. 17. Obſidio per Achmetem Baſſam Muſtaphæ ſubrogatum continuata. 226
§. 18. Amarali proditio detecta, ac mulctata. 227
§. 19. Amarali Cancellarii, ejusque Servi ſupplicium. 229
§. 20. Turcarum progreſſus in expugnanda Urbe. 230
§. 21. Deditionis pacta a Solimano Equitibus propoſita. 232
§. 22. Janiſſarorum Dux cum copiis ſuis urbem ingreſſus. 236
§. 23. Officioſa ſalutatio Magni Rhodiorum Magiſtri Solimano exhibita. 237
§. 24. Magnus Magiſter in ſuo Palatio a Turcarum Imperatore ſalutatus. 238

§. 25. Ismaelis Regis Persarum obitus. 239
§. 26. Epistola Papæ ad Fridericum Saxoniæ Electorem. 240
§. 27. Norimbergensia Imperii Comitia. 242
§. 28. Cheregatus a Papa Legatus ad Comitia deputatus. 243
§. 29. Mandata a Papa Nuncio data, atque in Comitiis proponenda. ibid.
§. 30. Epistola Pontificis ad Electores, & Imperii Status. 247
§. 31. Cheregatus Papæ Nuncius Norimbergæ. 252
§. 32. Responsum Principum Legato Pontificio datum. 253
§. 33. Nuncii Apostolici Responsum. 259
§. 34. Nuncii Responsio Principibus minus accepta. 262
§. 35. Centum gravamina a Germanis ad Papam missa. 264
§. 36. Edictum a Principibus Norimbergæ conditum. 268
§. 37. Lutheri annotationes in Edictum. 269
§. 38. Lutheri libri ad Senatum, populumque Pragensem. 271
§. 39. De nova Lutheri Liturgia. 273
§. 40. Lutheri vindiciæ hac super re. 276
§. 41. Alia Lutheri opera hoc anno edita. 277
§. 42. Novem Moniales ex suis Monasteriis abductæ. 278

§. 43.

§. 43. Lutheri Tractatus de Fisco communi. 279
§. 44. Historia de Secta Anabaptistarum. 281
§. 45. Storckius & Müncerus, Anabaptistarum Coriphæi Wittemberga expulsi. 282
§. 46. Rustici ad bellum & seditionem a Müncero concitati. 284
§. 47. Zwinglii progressus in Urbe Tigurina. 285
§. 48. Conventus pro examinanda Zwinglii doctrina Tigurini indictus. 286
§. 49. Zwinglii doctrina sexaginta septem propositionibus comprehensa. 288
§. 50. Zwinglii doctrina per Tigurini Senatus edictum recepta. 292
§. 51. Alter Tigurini Senatus conventus. 293
§. 52. Colloquium primum de Ecclesia, & S. Imaginibus. 294
§. 53. Colloquium II. de Missa. 296
§. 54. Aliud Tigurini Senatus edictum. 297
§. 55. Zwinglii opera ad hæresis suæ defensionem conscripta. 298
§. 56. Fridericus Christierno II. ex Dania pulso Rex subrogatus. 300
§. 57. Lutheri Secta a Friderico in Daniam introducta. 301
§. 58. Lutheri hæresis a Gustavo Ericsone Suecorum Rege in suas ditiones introducta. ibid.
§. 59. Legatus a Papa in Sueciam missus. 304

§. 60. Hæretici in Francia & Belgio caſtigati. 306
§. 61. Joannes Clericus fuſtigationis pœna Meldis caſtigatus. 307
§. 62. Alia hæreſis apud Longobardos exorta. 308
§. 63. Lutherus, ejusque libri in Polonia damnati. 309
§. 64. Benno ab Adriano in Sanctorum album relatus. 310
§. 65. Lutheri libellus adverſus hanc Canoniſationem. 313
§. 66. S. Antonini Canoniſatio. ibid.
§. 67. Indulta Carolo V. ab Adriano conceſſa. 314
§. 68. Papæ conſilium de pace vel induciis inter Principes Chriſtianos conciliandis. 316
§. 69. Soderinus Cardinalis Papæ juſſu comprehenſus. 317
§. 70. Fœderatorum exercitus pecuniis deſtitutus, ſed a Mediolanenſibus adjutus. ib.
§. 71. Fœderatorum molimina ad Venetos a Gallorum ſtudiis avocandos. 319
§. 72. Anceps Veneti Senatus conſultatio. 320
§. 73. Fœdus contra Gallos a Venetis firmatum. 322
§. 74. Papa Fœderi accedens. 323
§. 75. Fœderatos profligandi occaſio a Gallo neglecta. 324
§. 76. Borbonii Conneſtabilis indignatio, ejusque cauſſa. 326

§. 77.

§. 77. Conneſtabilis a Ludovica de Sabaudia Regis Matre vexatus. 328
§. 78. Conneſtabilis pacta cum Cæſare adverſus Franciæ Regem inita. 330
§. 79. Franciſcus I. Lugdunum profectus. 331
§. 80. Borbonius Conneſtabilis Molini a Rege inviſus. 332
§. 81. Conneſtabilis Reſponſio ad Regem. 334
§. 82. Rex a Conneſtabili regno excedere parante deluſus. 335
§. 83. Plures Conneſtabilis amici capti. 336
§. 84. Conneſtabilis in Italiam profugus. 337
§. 85. Conneſtabilis Mediolani aliquamdiu ſubſiſtens, ad Cæſaris caſtra delatus. 338
§. 86. Bonnivetus a Rege in Francia permanente, in Italiam miſſus. 339
§. 87. Bonniveti progreſſus in Mediolanenſi Ducatu. 341
§. 88. Bajonna ab Hiſpanis incaſſum obſeſſa. 342
§. 89. Fontarabia ab Hiſpanis expugnata. 343
§. 90. Fürſtenbergius Bellidux in Burgundia a Guiſio Comite cæſus. 344
§. 91. Exercitus a Rege Angliæ in Picardiam miſſus. 345
§. 92. Pariſienſis Urbs ob hoſtiles copias ad undecimum lapidem progreſſas ingenti terrore perculſa. 346
§. 93. Hoſtis pedem referre a Vindocinenſi compulſus. ibid.

§. 94. Supremus Rhodiorum Magiſter cum ſuis Equitibus profectus, ac in Cretam delatus. 347
§. 95. Equites apud Magnum Magiſtrum per Papæ Conſtitutionem perfiſtere compulſi. 349
§. 96. Magnus Magiſter civitate veteri appulſus. 350
§. 97. Colloquium a Magiſtro petitum ob Papæ infirmitatem dilatum. 351
§. 98. Magiſter Romæ ad alloquium Papæ admiſſus. 352
§. 99. Unicus ante mortem Pontificis in Cardinalem nominatus. 353
§. 100. Adriani VI. Papæ obitus. 354
§. 101. Adriani Papæ opera. 357
§. 102. Cardinales pro eligendo Papa Conclave ingreſſi. 358
§. 103. Medicæus, & Columna Cardinales Pontificatus Competitores. 359
§. 104. Medicæus Cardinalis in Papam ſalutatus, ac Clemens VII. dictus. 364
§. 105. Hiſtoria Clementis VII. Papæ. 365
§. 106. Rhodii Equites novi Pontificis præſidio ſuffulti. 367
§. 107. Coronatio Pontificis. 368
§. 108. Inventio Corporis S. Thomæ Apoſtoli. 369
§. 109. Ingens Schisma Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. 371

§. 110.

§. 110. Plurium Cardinalium obitus, ac præprimis Sedunenſis, ſeu Matthæi Schinneri. 372
§. 111. Petrucci Cardinalis extrema. 373
§. 112. Mors Cardinalis Bernardini de Carvajallo. 374
§. 113. Adriani Gouffier alias Boiſii fata. 376
§. 114. Grimani Cardinalis obitus. 377
§. 115. Graffi Cardinalis extrema. 379
§. 116. Antonii Nebriſſenſis mors. 380
§. 117. Nebriſſenſis opera. 382
§. 118. Palinodia Arnoldi de Bornoſſio Ord. FF. Eremitarum S. Auguſtini. 383
§. 119. Ludovicus de Berquin hæreſis accuſatus. 385
§. 120. Berquini libri a Parlamento ſuppreſſi & cauſſæ hujus judicium ad facultatem remiſſum. 386
§. 121. Hujus cauſſa per Parlamenti edictum ad Pariſienſem Epiſcopum delata. 388
§. 122. Pariſienſis Parlamenti edictum adverſus Lutheri libros. 389
§. 123. Aliud edictum contra Melanchtonis libros. 391
§. 124. Cenſura Facultatis Theologicæ contra hos libros. 392
§. 125. Propoſitiones damnatæ ex Melanchtonis operibus excerptæ. ibid.

§. 126. Facultatis judicium de Lutheri hæresi a Franciæ Regina expetitum. 397
§. 127. Bedæ Tractatus contra apologiam Origenis a Merlino concinnatam. 400
§. 128. Censura quarumdam propositionum contra cultum Sanctorum. 402

LIBER CXXIX.

§. 1. Cardinalis Campegius a Papa Legatus ad Norimbergensem Conventum nominatus. 405
§. 2. Mandata Pontificis Legato data. 406
§. 3. Adventus Legati ad Comitia Norimbergensia. 407
§. 4. Pontificis Literæ unacum Legati Epistola ad Electorem Saxoniæ missæ. 408
§. 5. Oratio Campegii Legati in Comitiis Norimbergensibus. 410
§. 6. Duo hujus Sermonis argumenta, nimirum Religio, & bellum contra Turcas. 412
§. 7. Principum responsio ad Legati Orationem. 413
§. 8. Responsum Legati ad Principum sermonem. 416
§. 9. Quidam cum Cardinale Legato deliberaturi, in Comitiis deputati. 418
§. 10. Norimbergensis Conventus edictum. 422
§. 11. Plurimorum oppositio adversus hoc edictum. 423

§. 12. Conventus Ratisbonenſis ad acceptandam Cleri emendationem a Legato habitus. 424
§. 13. Articuli in Ratisbonenſi Conventu conditi. 425
§. 14. Hi Articuli minus benigne accepti. 429
§. 15. Norimbergenſe decretum a Cæſare reprobatum. 430
§. 16. Conventus Spirenſis. 433
§. 17. Lutheri hæreſis in Sueciam a Guſtavo introducta. 434
§. 18. Continuata diſſidia inter Lutherum & Carolſtadium. 435
§. 19. Capitalis inimicitia inter utrumque Hæreſiarcham. 437
§. 20. Carolſtadius a Luthero ad edendum adverſus ſe librum provocatus. 438
§. 21. Carolſtadii liber adverſus Lutherum. 440
§. 22. Anabaptiſtarum doctrina. 441
§. 23. Hæc doctrina a Münzero ad populum dicta. 442
§. 24. Initia belli in Suevia a Ruſticis excitati. 443
§. 25. Anabaptiſtarum Secta apud Helvetios ab Hubmeyero divulgata. 444
§. 26 Illuſoria Hubmeyeri palinodia. 446
§. 27. Eraſmi Epiſtola ad Clementem VII. Pap.
§. 28. Epiſtola Melanchtonis ad Eraſmum. 449
§. 29. Reſponſum Eraſmi ad Melanchtonem. 450

§. 30. Eraſmi Ttractatus de libero arbitrio contra Lutherum. 452
§. 31. Oecolampadius fidei deſertor, ac novæ Reformationis Sectator. 453
§. 32. Cardinalium Senatus a Papa coactus circa Germania negotia. 455
§. 33. Bajardi Equitis copiæ a Piſcario invaſæ. 457
§. 34. Bonivetus Fœderatis reſiſtendo impar indeque turbatus. 459
§. 35. Bonivetus in fuga invaſus, ac vulneratus. 461
§. 36. Bajardi Equitis obitus. 462
§. 37. Gallorum Exercitus ſuperatis Alpibus in Gallias reverſus. 465
§. 38. Cæſaris, Regisque Angliæ conſilia adverſus Franciam. 466
§. 39. Papa Cæſarem, Anglumque ad pacem adhortatus. ibid.
§. 40. Fœderis pacta inter Carolum V. & Henricum VIII. adverſus Gallos. 467
§. 41. Borbonii Dux utriusque Regis conſiliis adverſatus. 469
§. 42. Borbonii indignatio. 471
§. 43. Provinciam ingreſſus Maſſiliam obſidet. ib.
§. 44. Obſidio ad Gallici exercitus conſpectum ſoluta, & Borbonius inde profugus. 473
§. 45. Reginæ Franciæ obitus. 474
§. 46. Rex Cæſareos inſequi paratus contra Saniorum conſilia. 475

§. 47. Rex cum suo exercitu versus Mediolanum progressus. 476
§. 48. Cæsareorum solertia in tuendo Mediolanensi Ducatu. 478
§. 49. Gallorum socordia in insequendo hoste. 479
§. 50. Franciæ Rex Mediolani receptus. 481
§. 51. Papiæ obsidio a Gallorum Rege inchoata. 482
§. 52. Vani Conatus Galliarum Regis in Ticino flumine ab urbe deflectendo. 483
§. 53. Validæ suppetiæ a Borbonio adductæ. 484
§. 54. Pontificis consilia de induciis Gallos inter & Cæsareos conciliandis. 485
§. 55. Secreta Pontificis pacta cum Galliarum Rege. 486
§. 56. Pars Regii exercitus ad Neapolis Regnum a Francisco transmissum. 488
§. 57. Aliud agmen versus Savonam a Rege ab exercitu avulsum. 490
§. 58. Origo Clericorum Regularium vulgo Theatinorum. 491
§. 59. Quatuor Fundatores concedente Papa sua vota emittentes. 493
§. 60. Viri Apostolici a Papa in Mexicum missi. 495
§. 61. Synodus Mexicana. ibid.
§. 62. Novæ Franciæ detectio. 496
§. 63. Dissensio inter Cæsarem, & Lusitaniæ Regem de Moluccis Insulis. 497

§. 64.

§. 64. Jubilæi inchoatio. 499
§. 65. Completa Eraſmi Paraphraſis in novum Teſtamentum. ibid.
§. 66. Cenſura Facultatis Theologicæ Pariſienſis de juribus Epiſcoporum. 501
§. 67, Alia Cenſura contra Simoniam. 503
§. 68. Cenſura in Librum, cui titulus: Determinatio ſacræ Facultatis.' 504
§. 69. Plurium Cardinalium obitus, ac primo Soderini Cardinalis. 507
§. 70. Cardinalis de Fliſco fata. 509
§. 71. Cornarii Cardinalis extrema. 510
§. 72. Pallavicini Cardinalis mors. 512
§. 73. Indignatio Cæſaris contra Papam. 513
§. 74. Fœdus Galliarum Regis cum Ferrarienſi Duce. 515
§. 75. Claſſis Cæſarea profligata. Moncada captus. 516
§. 76. Papienſis obſidio continuata. 518
§. 77. Lanoji ſtratagema ad pecunias Papienſibus advehendas. 519
§. 78. Hiſpani placati, ex adverſo Germani ad ſeditionem propenſi. 521
§. 79. Pertinax Franciſci Regis conſilium de continuanda obſidione. 523
§. 80. Gallorum exercitus fatali caſu diminutus. 524

§. 81.

§. 81. Pallavicinus a Cæſareis coeſus, captusque. 526
§. 82. Arx S. Angeli Laudam inter & Papiam a Cæſareis capta. 527
§. 83. Status Gallici, & hoſtilis exercitus. 529
§. 84. Occaſio ad Papienſe prælium. 530
§. 85. Ignavia Helvetiorum a Gallorum exercitu excedentium. 532
§. 86. Procerum quamplurimi penes Regem trucidati. 534
§. 87. Galliarum Rex devictus, captusque 535
§. 88. Rex porrecto gladio ſeſe Neapolis Proregi captum tradit. 536
§. 89. Primum Gallorum agmen coeſum, & poſtremum fuga diſſipatum. 538
§. 90. Occiſorum, ac captivorum numerus. 539
§. 91. Obſequia capto Regi exhibita. 540
§. 92. Contentio de Senonenſi Archiepiſcopatu ob unum a Capitulo electum, alium vero a Regina nominatum exorta. 541
§. 93. Alia de S. Benedicti Abbatia ad Ligerim controverſia. 542
§. 94. Parlamenti reſponſum ad Morentiacum. 544
§. 95. Regina cauſſarum cognitionem ſibi reſervare ſtudioſa. 547
§. 96. Parlamenti oppoſitio. 548

§. 97.

§. 97. Epistola Reginæ ad Parlamentum Lugduni data. 549
§. 98. Parlamenti edictum pro executione primæ suæ sententiæ. 550
§. 99. Cauſſa Aurelianenſis Abbatiæ ad S. Euortium. 551
§. 100. Parlamenti edictum de ejus ſententia executioni danda circa Abbatiam S. Euortii. 553
§. 101. Fœdus a Venetis Cæſarem totius Europæ potentiſſimum pertimeſcentibus adverſus eum ſancitum. 555
§. 102. Cæſar de parta victoria per nuncios certior factus. 558
§. 103. Cæſar, quid de Galliarum Rege capto agendum, deliberat. 559
§. 104. Conditiones libertatis Franciæ Regi oblatæ. 560
§. 105. Galliarum Rex in Hiſpaniam reductus 562
§. 106. Rex Madriti periculoſo morbo correptus. 563
§. 107. Idem a Cæſare ſalutatus. ibid.
§. 108. Galliarum Rex ſanitati reſtitutus. 565
§. 109. Libertatis perficiendæ negotium Madriti continuatum. 566
§. 110. Poſtulata Cattinaræ Cæſarei Cancellarii 567
§. 111. Borbonii Dux in Hiſpaniam delatus. 569

§. 112. Cæſaris artes erga ſummum Pontificem. 570
§. 113. Inveſtituræ diploma pro Mediolanenſi Ducatu a Cæſare Franciſco Sfortiæ conceſſum. 571
§. 114. Piſcarius ad Cæſareos Italia pellendos a Morono ſollicitatus. 572
§. 115. Pollicitatio Neapolitani Regni Piſcario facta, atque ejus anxietas hac ſuper re ſublata. 574
§. 116. Fœdus Papæ, Piſcarii, Mediolanenſis Ducis, & Venetorum adverſus Cæſarem. 575
§. 117. Conſpiratio ab ipſomet Piſcario Cæſari manifeſtata. 576
§. 118. Cæſar Italis manifeſtat, ſibi conſpirationem eſſe detectam. 577
§. 119. Cæſaris juſſa Piſcario data pro Mediolanenſi Ducatu expugnando. ibid.
§. 120. Mediolani Ducatus capto Morono a Piſcario occupatus. 578
§. 121. Mediolanenſes fidem ſuam Cæſari juramento obſtringentes. 580
§. 122. Sfortia a Venetis in ſuo Ducatu defenſus. 581
§. 123. Papa Fœderi accedere hæſitans. 582
§. 124. Fœderis pacta a Cæſare propoſita Papæ judicio ambiguis verbis repleta. 583

§. 125.

§. 125. Papa ab Hiſpano Legato circumventus. 583
§. 126. Piſcarii Marchionis obitus. 584
§. 127. Borbonii Dux delato exercitus Imperio in Italiam a Cæſare miſſus. 585
§. 128. Cæſaris conſilium de Borbonio in Mediolani Ducem creando. ibid.
§. 129. Borbonii Dux in Italiam profectus. 587
§. 130. Pacta inter Angliæ Regem, & Francici Regni Adminiſtratricem firmata. 588
§. 131. Scotiæ negotia. 591
§. 132. Tractatus Moorenſis utrinque firmatus. ib.
§. 133. Comitia Auguſtæ celebrata. 592
§. 134. Induciæ Anglos inter & Scotos prolongatæ. 593

HISTO-



Henricus VIII. librum suum contra Lutherum Leoni X. nuncupat.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CXXVII.

LEO X. PONTIFEX. MAX.
CAROLUS V. IMPER. OCCID.

§. I.

Lutherus ejusque Sectatores per novam Bullam a Papa anathemate perculsi.

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

Elapsis induciis, quæ Luthero ad resipiscendum, atque ad errores suos tandem ejurandos concedebantur, Leo Pontifex procurante Aleandro A- *Bull. Const. 41 in Leo. X. Raynald. an. 1521. n. 1.*

 posto-

Sæcul. XVI. A. C. 1521.

Bzov. to. 19. Pallavicin. l. 1. p. 25.

postolico ejus nuncio novam Constitutionem edidit, cujus summa hæc est: *Licet nonnulli ex iis, qui Martini errores secuti fuerunt, errores suos, & hæresin in manibus nostris ejuraverint, & in nonnullis Germaniæ civitatibus libri, & scripturæ dicti Lutheri juxta mandata nostra publice fuerint concrematæ, ipse tamen Martinus (quod non sine gravi animi molestia referimus) in reprobum sensum datus, non solum errores suos revocare, & de revocatione hujusmodi nos certiores facere, seu ad nos venire contempsit, sed etiam tanquam petræ scandali contra nos, & hanc sanctam Sedem, fidemque Catholicam scribere, & prædicare, & alios ad hoc inducere non veritus est. Quapropter sicut jam ipse hæreticus declaratus est, ita & alii etiam ipsius pestiferam hæreticorum sectam publice sequentes, eique palam auxilium, consilium, & favorem subministrantes, ipsumque in sua inobedientia & contumacia confoventes easdem pœnas incurrunt, & hæretici merito sunt habendi, atque ab omnibus Christi fidelibus evitandi. Civitates quoque, & cetera loca, in quibus ejusmodi homines pro tempore fuerint, Ecclesiastico interdicto supposita esse declaramus, atque universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cunctisque Ecclesiasticis, & Religiosis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ mandamus, ut eosdem*

dem anathematizatos, & hæreticos in Ecclesiis, Dominicis, & aliis festivis diebus, dum major inibi populi multitudo convenit ad divina, cum omnibus cæremoniis in simili casu observari solitis publice denuncient. Data est hæc Constitutio Romæ tertio Nonas Januarii, seu tertia die ejusdem Mensis. Verum Lutherus, ejusque Sectatores nonnisi magis inde exacerbabantur, falso persuasi, quicquid a Sede Apostolica emanaret, id omne ex Pontificis ac Curiæ Romanæ quæstu, ac cupiditate fieri.

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

§. II.

Comitia Wormatiæ a Cæsare celebrata.

Aleander, ut sinistram ejusmodi opinionem dissiparet, ubique divulgabat, quod Lutheri errores reapse tales essent, lites vero cum Luthero haud spectarent summi Pontificis aut Curiæ Romanæ emolumenta, cum hujus Doctoris opiniones non abluderent ab erroribus, quos Constantiense Concilium merito damnasset adversus Wiclefum, Joannem Hussum, infausta prorsus Germanis nomina. Nec his contentus Aleander, tractatum etiam hanc in rem composuit, atque ex Lutheri libro *de Captivitate Babylonica* quadraginta pro-

Pallavicin. loc. cit.

Secul. XVI A.C. 1521.

positiones manifestis erroribus obnoxias extraxit. Nihilominus ad frangendam Lutheri factionem nimium infirmi erant ejusmodi conatus, potentius tamen auxilium sperabatur a S. R. I. Comitiis, quæ Wormatiæ Mense Januario celebranda indicebantur. Enimvero ea quoque præstituto die habebantur, ac ipse etiam Imperator, prout pollicitus erat, conventum cetera frequentissimum præsentia sua honorabat; nec deerant ambo Pontificis Nuncii Hieronymus Aleander, & Marinus Caracciolus, quorum utrique cum Lutheri ejusque librorum condemnatio demandata esset, Aleander rem fortiter urgebat, solusque tertiam omnino horam in prima Sessione perorabat.

Cochlæus in actis & scriptis Luther. ann. 1521. Ulemberg. cap. 6.

§. III.

Aleandri Pontificii Nuncii oratio in Comitiis Wormatiensibus.

Ex act. Worm. Archiv. Vat. apud Cardin. Pallav. l. 1. c. 25. Sleid. Com. l. 3. p. 63. Cochl. de act. Luth. ann. 1521. p. 30.

Primo equidem Aleander vehementius in Lutherum invehebatur, cum vero ipsus animadverteret, quod sermo ipsius adstantibus minus acceptus esset, nec injuriis rem agi, sed potius hujus Monachi opiniones hæreticas demonstrari oporteret, quantocius orationem suam ad ipsosmet Lutheri errores convertit, ac quasdam propositiones ex libro

bro de *Captivitate Babylonica* deprompſit, oſtenditque, a Luthero ſeptenarium Sacramentorum numerum fuiſſe negatum, & tranſubſtantiationem in Sacramento Altaris ab eo pro humano figmento explosam. Poſtea comprobavit, ab illo prima fidei fundamenta, & reverentiam Sacramentis debitam, necnon votorum Religionem impugnari, ejusque doctrinam non minus pietati Chriſtianæ, quam Status tranquilitati adverſam eſſe, cum vero ejusmodi hæreſis indies magis magisque ſeſe diffunderet, ita ad illius extinctionem promptum remedium adhibendum eſſe aſſerebat. His auditis Principes vehementer exteriti, Lutherum omnino damnandum eſſe conclamare cæperunt. Id ubi ſenſit Fridericus Saxoniæ Elector declinandæ ſententiæ gratia dixit: ægerrime ferro, quod Univerſitatis meæ Theologo falſa imponantur; nam erronei hice articuli, qui Luthero adſcribuntur, ab ipſo non fuerunt traditi, ſed in ejus odium, ac invidiam ab ejus adverſariis eidem affinguntur, imo ipſi quoque libri, ex quibus ejusmodi errores deprompti ſunt, forte nequidem e Lutheri calamo profluxerunt, Lutherum igitur ipſum accerſere oportet, ut is ex ore ſuo convincatur. Annuit Cæſar cum Principibus.

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

Sæcul. XVI. A.C.1521.

§. IV.

Aleander, ne Lutherus ad Comitia vocaretur, obluctatus.

Pallavicin. l. 1. c. 26.

Verum Aleander vehementer ejusmodi consilio sese opponebat, contestatus, quod non esset id, quod a Romano Pontifice sancitum fuisset, in controversiam adducendum, ac Lutherum accersere, haud periculo careret; cum tanta esset illius audacia, ut facile seditionem concitaret, quas ob causas non amplius illum audiri oporteret, cum palam edixisset, recusari a se ejusmodi judices, qui Theologi, Canonum periti, aut Episcopi essent. Quippe Aleander haud immerito pertimescebat, ne Lutherus, qui nil ardentius, quam disputationes, atque colloquia cupiebat, linguæ suæ facundia, falsisque argutiis rudiores, atque de rebus fidei judicium ferendo impares deciperet. Nihilominus tamen in comitiis decretum, Lutherum esse vocandum, ut absque ambagibus confiteretur, an libri, ex quibus hæreticæ propositiones excerptæ, ab ipso conscripti, vel eidem falso adjudicati essent. Tum vero longa, difficilisque inter Imperii Principes disceptatio exorta est, qua ratione securitatis literæ Luthero concedendæ forent,

Cochl. l. cit.

rent; nam illius fautoribus, ac inter ceteros præcipue Friderico, ſolius Cæſaris fides publica, quantumvis ſigillo firmata, haud videbatur ſufficiens; timebant enim, ne Lutherus, ubi adveniſſet, in manus Romani Pontificis traderetur. Ergo Carolus Cæſar complacendi ſtudio permiſit, ut nonnulli alii Principes in comitiis congregati impunitatis conceſſæ literis ſua quoque nomina, atque ſigilla apponerent. Adjecit tamen duas conditiones. I. Ut Lutherus e Saxonia Wormatiam pergens in itinere nuſpiam ad populum diceret. II. Ne librum aliquem, donec auditus eſſet, conſcriberet. Acceptabantur a ceteris ambæ hæ conditiones.

Sæcul. XVI. A.C.1521.

§. V.

Epiſtola Cæſaris ad Lutherum una cum publicæ fidei literis.

Itaque Imperator non modo Luthero publicæ fidei tabulas, ſed inſuper aliam epiſtolam die ſexta Martii datam transmiſit, hunc in modum perſcriptam: *Ex te ſcire cupimus, utrum quorumdam operum tuo nomine vulgatorum auctor ſis, & doctrinam in illis contentam tueri velis; de cetero dedimus tibi ad veniendum Wormatiam, & iterum hinc ad tuum ſecurum reditum noſtram, & Imperii ſecuritatem:*

Sleidan.com. l. 3. p. 63.

Secul. XVI. A.C. 1521

neque ullam vel violentiam, vel injuriam timeas. Volumus enim te in præfato noſtro conductu firmiter manutenere.

§. VI.

Lutherus Wittemberga Wormatiam profectus.

Sleidan. l. c. cap. 64. Acta Worm. conv. ex Cod. Vatic. Pallavic. l. 1 c. 26. Ulemb. in vita Luth. c. 6 n. 2. p. 86.

Lutherus igitur publica accerſitus fide Wittemberga Wormatiam contendit, nondum elapſo, quem Cæſar præfixerat, viginti dierum termino. Comitabatur eum Caſpar Sturmius, Fecialis Cæſareus, eo fine e Wormatia miſſus, ut Lutherum fide publica cuſtoditum adduceret. Hic igitur Erfordiam delatus, ad FF. Auguſtinianorum cœnobium, ubi olim ſacro Ordinis ſui habitu induebatur, divertebat, ac incidente Dominica *Quaſimodo* ad populum dicere rogabatur. Lutherus contempta lege, vi cujus concionari per publicæ fidei ſponſionem prohibebatur, ſermonem habuit, ad quem undique confluxerant populi, nonnulli eum percipiendi aviditate, cuncti curioſitate commoti: Ipſe autem in ſuo ſermone vehementer contra pias actiones, legesque humanas declamabat. Ita enim ajebat: *Unus ædificat templa, alter peregrinatur ad S. Jacobum, aut ad S. Petrum; tertius jejunat, aut orat: induit cappam, incedit nudipes.*

Cochl. p. 31.

dipes. Ejusmodi opera nihil prorsus sunt, Saecul. XVI.
quæ & funditus destrui oportet; quicquid A.C 1521.
enim a Papa venit, id clamat: Da, da, si non facis, diaboli es. Modica res esset, si solum expilarentur homines: hoc vero maximum est malum, quod homines eo dirigantur, ut opera corporalia possint salvare, aut justificare. Dein Lutherus Erfordia profectus, Oppenheimium venit, ubi se nominatim Romæ Feria quinta majoris Hebdomadæ a Papa anathemate perculsum percepit. Accepto Nuncio iidem, qui inter itineris comites magis timidi erant, nihil non agebant, ut Luthero Wormatiam venire dissuaderent, hancque in rem eidem hostium suorum numerum, ac potentiam exponebant, supplices, ut Joannis Hussi exemplo saperet. Reposuit ille: „ Grata mihi qui- *Sleidan. l. 3.*
„ dem est vestra sollicitudo, hæc ta- *c. 64.*
„ men mihi haud absimilis videtur ab
„ illa, quam Pilati uxor pro Christo
„ gerebat, nam sicut hanc in illa fœ-
„ mina, sic & in vobis dæmon excita-
„ vit; quippe non minus in illo, quam
„ in præsenti casu tenebrarum Ange-
„ lus solium suum proxime eversum iri
„ prospiciens, ut illud conservaret, ex-
„ trema quæque tentavit; insuper ad-
„ didit Lutherus, quamvis certus sim,
„ quod mihi tot, quot in cunctis illius
„ urbis (Wormatiam intelligebat) te-

 „ ctis

Secul. XVI. A.C.1521. „ ctis tegulæ sunt, dæmones immine- „ rent, nihilominus eo pergere haud de- „ sistam. „

§. VII.

Lutherus Wormatiam delatus, ibique interrogatus.

Cochl. loc. cit. Pallavic. l. 1. c. 26. n. 8. Venit denique die decima sexta Aprilis Wormatiam, ac cum octo solum equitibus urbem ingressus, ad ædem Equitum Ordinis Teutonici prope Saxoniæ Electoris Palatium divertit; postera die decima septima ejusdem Mensis circa quartam pomeridianam ad comitia admittebatur, introducente eum Comite de Pappenheim, S. R. Imperii Marescallo, a quo ante omnia commonitus est, ne quid loqueretur, nisi a Cæsare interrogatus. Postmodum Eckius Juris peritus, ac Bavariæ Ducis Consiliarius Lutherum allocutus, Cæsarea, inquit, Majestas huc te, Martine Luthere! accivit his duabus de caussis. Primo, *ut libros hosce hactenus tuo nomine vulgatos, agnoscas hic coram, si tui sint.* Aderant ibi operum suorum transumpta, quorum tituli publice prælegebantur. Secundo, *ut profitearis, an in his contenta tueri, vel errores tuos revocare velis.* Ad hæc Lutherus, *libros*, inquit, *jam recensitos non possum non amplecti pro meis,*

meis, & eorum nullum, qui nomen meum præseferunt, unquam diffitebor. Ad posteriorem vero quæstionem, an doctrinam revocare velit vel non, tempus ad deliberandum postulavit; *Cum*, ajebat, *de re maximi momenti ageretur, nimirum de fide, & de verbo Dei, quo nihil majus habemus, temerarium igitur foret, ac periculosum, me quicquam incogitatum proferre, peto hac de caussa spacium deliberandi, ut citra divini verbi injuriam nec plus, nec minus affirmem; qua ratione Christum (ut intendo) coram hominibus non confiterer.* Ad hoc Lutheri responsum cæpit Principum deliberatio, tandem vero horum jussu Eckius hæc illi significavit. *Etsi tu Martine ex Mandato Cæsareo satis intelligere potuisses, ad quid Wormatiam accersitus sis, eaque de caussa, cum adeo celebris Doctor habearis, facile, quid responderes, præconcipere potueris, nihilominus Cæsarea Majestas ex ingenita clementia diem unum meditationi tuæ indulget, ea tamen lege, ut cras ad eandem horam compareas, nec scripto sententiam tuam, sed verbis exponas:* His dictis Lutherus confestim ad hospitium suum rediit.

Sæcul. XVI. A. C. 1521.

§. VIII.

Lutherus Wormatiæ in comitiis altera vice auditus.

Postera die Sturmius, Fecialis Cæsareus

Secul. XVI A.C. 1521

reus Lutherum rursum pro colloquio ad aulæ portam deduxit, ac circa horam sextam ingressum concessit. Accedentem ita alloquebatur Eckius: Heri ad ea, quæ a te petebantur, respondere noluisti, data est tibi ad deliberandum una dies, quam tamen tibi concedi pro excogitanda responsione haud decebat; quemlibet enim de fide sua respondere, ac poscenti rationem reddere semper paratum esse oportet, præcipue „ a te id pe- „ ti poterat, cum adeo celebris ac pro- „ fundus Theologus audias, ut ad ex- „ cogitandas responsiones tuas ulterio- „ ri temporis spacio haud indigus vide- „ ri posses, verum utut res se habeat, „ quid hodie respondes; num vis do- „ ctrinam in libris tuis contentam tue- „ ri? „

Pallav. hist. Conc. Trid. l. 1. c. 27.
Sleid. l. 3. p. 65.
Cochl. p. 33

§. IX.

Lutheri Oratio præsente Imperatore in comitiis.

Sleid. lib. 3. c. 65.

Ad hæc Lutherus mox respondit, ac fermone ad Imperatorem, totumque Principum consessum convertens, ab omnibus benevolo, ac tranquillo animo excipi rogabat, inquiens: Potentissime Cæsar, Illustrissimi Principes, si forte in tam celebri consessu verba minus decentia, minusque congrua mihi excidant, nec ea, qua par est, morum comi-

comitate utar, id rogo, vitæ generi, quod tota ferme ætate mea profeſſus ſum, adſcribatur; non enim aliam de me ipſo fiduciam habeo, nec aliud, quam ſinceræ proteſtationis teſtimonium proferre valeo, niſi id, quo declaro, quod cuncta, quæ hucuſque docui, unice propter Dei gloriam, & hominum ſalutem fecerim. Ad primam autem, quæ heri mihi propoſita eſt, quæſtionem haud cunctanter reſpondeo, libros nuper recenſitos re ipſa a me compoſitos eſſe, ſi vero adverſarii mei quicquam illis intruſerint, de hoc rationem non reddam, nec illud tanquam a me dictum haberi decet. Agitur jam, ut ad alteram quoque quæſtionem reſpondeam: huic vero ut ſatisfaciam, præprimis peto, ut perpendatur, quod libri, quos ſcripſi, varii generis ac argumenti ſint; nam quidam eorum ſimpliciter de pietatis doctrina, deque moribus Chriſtianorum ſcripti ſunt: hi vero vel ipſo adverſariorum judicio utiles cenſentur, quos ſi retractarem, viri probi ac ingenui partibus deeſſem. Alios etiam libros edidi, in quibus Papatum, & Romanæ Curiæ doctrinam reprehendi; nam per hanc Chriſtiana Respublica tantopere fuit oppreſſa, ut fidelium conſcientias per Pontificum leges in humanis traditionibus fundatas intolerabili

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

Sæcul. XVI. A.C.1521.

bili tyrannide penitus oppreſſos nemo neſciat, nec ulla alia Chriſtiani Orbis pars præter Germaniam æquiores querendi cauſſas habet, nec harum vexationum finis ſperari poteſt, niſi promptum ejusmodi malis remedium adhibeatur. Proin nec id quoque librorum genus retractare vel damnare poſſum, ne Romanæ Curiæ mores ſtabilire, ac ejus Miniſtris talia perpetrandi novum jus præbere videar, id vero eo magis noxium foret, quo illud publica Cæſaris, ac Principum auctoritate feciſſe crederer. Denique alios edidi libros adverſus quosdam privatos, qui Romanam tyrannidem tueri, & traditam a me veritatis doctrinam impugnare aſſuſis etiam in me calumniis conati fuerunt; fateor ecquidem, fui in meis libris ob diſputationis æſtus vehementior, ac in reſponſis durior: interim me nec in vita nec in moribus meis ſanctum profiteor, nil tamen mihi antiquius eſt, quam veram doctrinam ex evidentibus ſacræ paginæ teſtimoniis tradere, hancque ob cauſſam nolo eam revocare, ne adverſarii mei inde glorientur; novi me hominem, proin errori obnoxium eſſe, meque quandoque erraſſe, haud difficulter credo, mihique unicum ſupereſt, ut cum Chriſto Domino in maxilla a ſummi Sacerdotis ſervo percuſſo dicam: ſi

Inter opera Luth. in act. conv. Worm. t. 2.

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

si male locutus sum, perhibe testimonium de malo. Si jam mundi Salvator omni perfectionum ornatu dotatus, indigni tamen servi testimonium audire haud recusavit, quo magis ego, cum homo peccator sim multis erroribus obnoxius, me illis, qui meam doctrinam redarguunt, exhibere, eosque audire teneor: Quapropter per quicquid sacrum sanctumque, vos obtestor, ut nihil dissimuletis, sed potius si forte a veritate deflexerim, hunc errorem evidentibus sacri Codicis testimoniis demonstretis; spondeo vicissim, si convictum me sensero, primum omnium libellos meos flammis injecturum. „ Interea gaudeo, quod doctrina mea „ tot tumultus excitaverit; in ipsis enim „ hisce contradictionibus agnosco adumbratas Evangelicæ doctrinæ dotes, dicente Christo: *Non veni pacem mittere, sed gladium, veni hominem separare a Patre suo.* „ Quapropter Luther „ rus sermonem ad congregatos diri„ gens ait„ quid decernitis, probe atten„ dite, ne verbum, & sanam doctri„ nam, quam vobis Deus ex speciali „ beneficio manifestat, condemnetis: „ Consulite proin Cæsaris juventæ, ne„ que Imperii nuper obtenti natalem „ imprudenti damnatione infaustam „ reddatis, adeo funestum posteris ex-

„ emplum

Sæcul. XVI. A C. 1521.

„ emplum relinquentes; id ne facia-
„ tis, dehortari vos posſem pluribus
„ ſacræ Paginæ teſtimoniis; nam ta-
„ lia Pharao, Rex Babyloniæ, & Re-
„ ges Iſrael mihi ſuppeditant, qui eo
„ ipſo tempore, quo pacem in Regnis
„ ſuis ſtabilire, remque ſumma ſapien-
„ tia perficere crediderunt, ſuam ſibi
„ ruinam parabant. „

Cum vero Lutherus fuſius excurrere, ac Principes ad protegendam veritatem adhortari vellet, perorantem interpellavit Eckius, commotiori animo dicens: Nondum ad id, quod rei ſumma eſt, reſpondiſti: tuum non eſt, in controverſiam aut in dubium vocare, quæ aliunde Conciliorum auctoritate definita ſunt, a te vero ſolum petitur, ut ſimpliciter reſpondeas, an libros tuos approbare, vel retractare velis. Ad hæc repoſuit Lutherus: *Cum ergo S. Majeſtas veſtra, Dominationesque ſimplex reſponſum petunt, dabo illud in hunc modum: niſi convictus fuero Scripturarum teſtimonio, aut ratione evidenti (nam neque Papæ neque Conciliis ſolis credo, cum conſtet eos erraſſe ſæpius, & ſibi ipſis contradixiſſe) victus ſum ſcripturis a me adductis, & capta conſcientia in verbis Dei, proin revocare neque poſſum, neque volo, cum contra conſcientiam agere neque tutum, neque integrum ſit.*

Sleid. com. lib. 3. p. 67.

Hoc

Hoc de responso Principes, habita deliberatione, hæc Luthero significari jubebant: *Martine immodestius respondisti, quam personam tuam deceat. Facta igitur librorum tuorum distinctione, si eos retractaveris, in quibus errorum tuorum maxima pars est, haud dubie Cæsarea sua Majestas ex ingenita clementia, reliquorum, qui boni sunt, persecutionem non tolerabit. Ast tu, quæ Universale Constantiense Concilium damnavit ex universa Natione Germanica, Viris profunda eruditione clarissimis congregatum, resuscitas, & per sacras Scripturas convinci vis: in quo sane vehementer deliras. Quid enim attinet, novam disputationem celebrare de rebus per tot sæcula ab Ecclesia & Concilio damnatis? Quod si enim ea esset indulgenda libertas, ut quæ per Ecclesiam & Concilia jam pridem definita sunt, S. Scripturæ obtentu in disputationem revocare liceat, futurum, ut in Religionis doctrina nihil fere certum, & legitimum haberemus. Verbo Cæsar a te scire desiderat, quid de libris tuis sentias? an ea, quæ dixisti, tueri, vel recantare cogites?* tum Lutherus dixit, aliud ac dedi responsum haud occurrit: Cum vero noctis tenebræ ingruerent, solutus est Principum consessus.

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

Sæcul. XVI. A. C. 1521.

§. X.

Cæsaris epistola ad Ordines Imperii adversus Lutherum.

Sleid. l. c. p. 68. Cochl. p. 34.

Altera die Imperator, cum comitiis interesse haud posset, ad Principes ibidem congregatos hunc in modum perscripsit: *Vobis constat, me genus ducere a Christianissimis Imperatoribus, qui omnes ad supremum usque vitæ diem se fideles Romanæ Ecclesiæ declararunt, semperque Catholicæ fidei pro Dei honore, pro Religionis incremento, pro animarum salute propugnatores fuere. Et nos quoque, utpote Majorum nostrorum non fallaces imitatores in hunc usque diem eo pacto vixímus. Cum vero in aperto sit, unum solum Fratrem hallucinari privata opinione deceptum, eam ob rem plane mihi deliberatum est, Regna mea omnia, vitam denique ipsam, & animam impendere, ne improbus hic conatus longius progrediatur. Quandoquidem ergo pertinax hesterno die Lutheri responsum omnes audivimus, mentem ego vobis meam aperio, pœnitere me, quod tam diu distulerim contra hominem illum, falsamque ejus doctrinam procedere. Jubeo autem ut quamprimum ex mandati præscripto Wittembergam reducatur, caveatque ipse ex publicæ fidei ipsi data formula, ne palam concionetur, neve populo prava sua dogmata*

ta inſtillare pergat. Equidem ſicut jam dixi contra eum haud ſecus, atque contra notorium hæreticum plane deliberavi procedere: ſimulque a vobis repoſco, ut in iſta cauſſa id ſtatuatis, quod decet probe Chriſtianos, & ut vos facturos recepiſtis. Lecta eſt hæc Cæſaris epiſtola in comitiis, ac de illa varium erat vulgi judicium, prout cujuscunque animus Lutheri cauſſæ vel favens, vel inimicus erat, vel prout propria cujuslibet utilitas ſuadebat. Cenſebant nonnulli, Lutherum inſuperhabita fide publica, protinus carceri mandandum, alii atque inter eos præcipue Ludovicus Elector Palatinus ejusmodi conſiliis vehementer obluctabantur, cauſſati, ejusmodi facinore Germanicæ Nationis nomini indelebilem maculam inuri. Elector quoque Saxoniæ, ceterique Lutheri fautores exponebant, agi de re ſummi momenti, non igitur præcipiti utendum conſilio, Cæſarem ætate juvenem nimia facilitate præventum Romanæ Curiæ Miniſtris favere, ſupplicandum potius eidem Principi, ut quosdam ex comitiis ad Lutherum deputari permittat, qui ejus animum ad reparandum læſum ſummi Pontificis honorem novo conatu inducerent.

Sæcul. XVI. A. C. 1521.

Sæc. XVI. A.C 1521.

§. XI.

Colloquium Trevirenſis Electoris cum Luthero.

Pallav. l. 1. c. 27. Sleid. l. 3. p. 68. Cochl. p. 40.

Placuit Cæſari Electoris conſilium; quapropter Trevirenſem Electorem, qui jam antea Sedis Apoſtolicæ negotia procurabat, deputavit, eidemque adjunxit Brandeburgenſem Electorem, Georgium Saxoniæ Ducem, Epiſcopum Auguſtanum, ac nonnullos alios. Hi una omnes Lutherum comparere jubent, eumque admonent, ut relicta tandem pertinacia, in quam grave periculum præceps rueret, ſerio perpendat: Verum inutiles erant illorum conatus. Quocirca Trevirenſis Archiepiſcopus, cum privato fors colloquio ejus animum frangi poſſe ſperaret, Lutherum ad cubile ſuum accerſivit, ſolis arbitris Eckio, ac Cochlæo Francofordienſi Decano. Hi ſecreto colloquentes nullum non movebant lapidem, ut Luthero Generalium Conciliorum doctrinam eſſe acceptandam perſuaderent. Aſt pertinaciter obluctabatur Lutherus, obtendens, hæc Concilia ac inter illa Conſtantienſem Synodum erraſſe, eoquod hanc damnaſſet Joannis Huſſi propoſitionem: *Unica eſt Eccleſia ſancta, & univerſalis, quæ eſt Prædeſtinatorum Univerſitas.* Ergo Lutheri

Lutheri contumacia indies crescente, ad publici colloquii necessitatem deventum est, quod etiam præsentibus Deputatis die vigesima quarta Aprilis celebrabatur. Sæcul. XVI. A.C. 1521.

Igitur ad illud vocatur Lutherus, quem jurisperitus Væus Marchioni Badensi a secretis ita alloquitur; accersus es, non ut disputes, sed ut amicus amico colloquaris, ac de rebus, quæ tuam personam spectant, admonearis; data enim tibi est a Cæsare facultas, ut denuo te conveniremus, atque ad resipiscendum adhortaremur; non ergo Concilia, ut hucusque fecisti spernas; si enim ab illis diversa fuisse statuta verum est, nunquam tamen providente Dei Spiritu, sibi opposita sanxerunt: dein nec privato homini licitum est, quod eorum doctrinam in dubium revocet. Interim tui libri, nisi prompte obvietur, ingentes suscitant tumultus, ac inter cæteros liber de *libertate Christiana* hominibus a pietate aversis amplam præbet conviciandi licentiam, perinde acsi in articulis, quos Ecclesia credendos proponit, nulla detur certitudo: continentur equidem in tuis libris quædam utilia, potissimum tamen perversis doctrinis infecti sunt, & Christianæ charitatis leges promiscuam horum lectionem prohibent; potius enim Ger-

Sæcul. XVI. A.C.1521. mani in pia fide, quam a recepti Evangelii tempore constanter tenuerunt, quiete relinquendi sunt.

§. XII.

Lutheri Responsum ad Comitiorum Deputatos.

Sleid. com. l. 4. p. 69. & 70. Principibus Lutherus gratias egit pro tam clementi exhortatione; ad rem ipsam quod spectat, talia respondit: non omnia Concilia reprehendi, sed Constantiense tantum, & quidem ob rationes, quas Trevirensi Archiepiscopo proposui, eoquod nimirum Synodus hanc Joannis Hussi propositionem damnaverit, in qua asseritur *solis Prædestinatis Ecclesiam constare*, jam vero rejiciendo hanc assertionem hujus Synodi Patres simul damnarunt articulum fidei, quo *Sanctam* Ecclesiam Catholicam nos credere profitemur, cum tamen ista doctrina in sacris literis disertis verbis tradatur, atque ab illa firmiter credenda veri Christiani nec propter supplicia, nec ipsam quoque mortem excusentur; ego vero potius omnia perpeti, ac sanctum Dei verbum retractare paratus sum. Mea vero doctrina ne motus excitaret, impedire non potui: cum Christus in signum positus sit, cui contradicetur & in multorum ruinam; non ignoro, quod Magi-

Magiſtratui ſit obtemperandum, nec deceat inniti prudentiæ ſuæ, & conceptis opinionibus adhæreſcere, interim tamen ipſemet legi in S. Paginis, Deo magis quam hominibus obtemperandum, non equidem recuſo obtemperare in omnibus, dummodo Verbum Dei revocare vel abnegare non cogar. Poſtmodum in hæc prorupit verba: „Si Ec„ cleſiarum Rectores juxta Chriſti atque „ Apoſtolorum præcepta ſuo fungeren„ tur munere haud opus eſſet, fidelium „ conſcientias duro hoc ac intolerabili „ legum humanarum jugo ſubjicere, „ haud equidem me latet, ſacram Scri„ pturam velle, ut unusquisque in ſen„ ſu ſuo abundet; ipſus ego id lubens „ concedo, nihil tamen ex pertinacia „ facere intendo, id unum peto, ut Ev„ angelium profiteri mihi liceat. „ Saecul. XVI. A.C. 1521.

§. XIII.

Conditiones Luthero ab Archiepiſcopo propoſitæ.

Ex Cardinale Pallavicino diſcimus, Trevirenſem Archiepiſcopum Luthero, perſpecta ejus contumacia, quatuor propoſuiſſe conditiones, & primo quidem, *ut Pontificis ſimul, & Cæſaris judicio ſeſe permitteret. II. Ut unius Cæſaris ſententiæ ſtaret, quem pro certo habe-* *Pallavic. l. 1. cap. 27. n. 7.*

Sæcul. XVI A.C. 1521

bat Elector, omnia ex Pontificis sententia peracturum. III. Ut in Cæsareo, ordinumque Imperii judicio se poneret. IV. Denique, ut magis enormia quædam pronuntiata in præsenti revocaret, cetera futuro Concilio committeret. Cum vero hæ propositiones supremam Romani Pontificis in rebus fidei auctoritatem violarent, adeo acriter de iis Aleander Papæ Nuncius conquestus est, ut Archiepiscopus sese apud eum purgaret, inquiens, sibi fuisse in animo, quod non alia ratione ea proponeret, nisi quatenus postmodum auctoritate Apostolica comprobarentur. Lutherus vero easdem propositiones ex hoc capite rejiciebat, quod ipsi judices, quos jamjam recusasset, designarentur.

Postremo, Trevirensis Elector Lutherum inducere conabatur, ut saltem ipse quoddam remedium, quod quieti publicæ opportunius judicaret, depromeret: Tum vero Lutherus respondit, *nihil mihi melius occurrit, quam id, quod ore Gamalielis Scriptura pronuntiat:* Si est ex hominibus consilium hoc, opus dissolvetur, sin ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, *hoc ergo responso Papa sit contentus, ac firmiter credat, meum propositum, si ex Deo non fuerit, dissolutum iri.* Cum igitur aliud a Luthero responsum extorqueri haud posset, abire jussus est,

est, dato negotio, ut intra dies viginti & unum Wittembergam rediret, nec tamen in itinere vel quicquam scriberet, vel ad populum diceret: Igitur Lutherus Principibus gratias agens die vigesima sexta Aprilis Wormatia egressus est, quem fecialis Cæsareus, qui eum adduxerat, securitatis gratia comitabatur. Sæcul. XVI. A. C. 1521.

§. XIV.

Lutheri Epistola post suum discessum ex oppido Friburgensi ad Cæsarem data.

Lutherus ubi Friburgum venit, in itinere literas ad Cæsarem dedit, in quibus omnes, ob quas ad modum ex eo petitum errores suos revocare renuisset, rationes adduxit, ac ea, quæ jam sæpius enunciaverat, denuo repetiit dicens, se non alios admissurum judices, quam qui ejus causam nonnisi ex Sacræ Paginæ testimoniis decernerent. „ Non meam, inquit, sed totius Eccle- „ siæ, & universi Orbis ac præcipue „ Germaniæ causam defendo, itaque, „ Cæsar augustissime, ut me adversus „ hostes meos protegas, supplex rogo. „ Scripsit paulopost ejusdem argumenti literas ad S. R. I. Principes, seque purgavit, quod libros suos Ordinum Impe- *Sleid. comm. l. 3. p. 71. Cochl. de act. Luth. ann. 152. Pallav. hist. l. 1. c. 28.*

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

rii judicio subjicere recusaverit; non enim possum, ajebat, ullo pacto permittere, ut Verbum Dei sit alligatum, nihilominus declaro, me ad nutum Cæsareæ Majestatis, ac ceterorum Principum in loco mihi designando compariturum, dummodo mihi cum æquis Judicibus, non vero suspectis agere liceat. Utramque hanc epistolam deferendam Sturmio commisit, summopere gavisus, quod hac ratione illum dimittere potuerit, quem præsentem esse noluit eo tempore, quo ex composito ab amicis suis intercipiendus esset, ut hoc pacto obedientiam denegandi obtentum consequeretur. Ita enim inter eos cum Luthero conventum est.

§. XV.

Lutherus in itinere raptus, atque in arcem abductus.

Pallavicin. hist. l. c. 28. Sleid. p. 76. Cochl. an. 1521. p. 42. & seq.

Enimvero Lutherus, ubi die tertia Maji Isenaccum oppidum egressus sylvam quamdam in itinere Wittembergam versus pertransiret, duo Equites larvis tecti, atque a Friderico Saxoniæ Electore subornati e sylva erumpebant, factoque in currum impetu, Lutherum simulata ferocitate, ut res serio de ejus vita agi videretur, in terram projiciebant, tandemque quasi per vim ad Wartember-

bergense castrum in monte non procul ab Alsteto in deserta Saxoniæ regione situm abducebant, ubi Lutherus novem omnino mensibus latitavit, & quidem laute admodum habitus fuit, hominum tamen accessu privatus, atque adeo dextre hæc fabula adornata fuit, tantaque fide, ac silentio res peracta, ut nullatenus, ubi Lutherus lateret, explorari potuerit. Quinimo testantur Scriptorum nonnulli, quod Saxoniæ Elector, ubi deliteſceret Lutherus, de industria scire noluerit, ut interpellatus a Papa aut Cæsare dicere posset, omnino ignorare se, quo loco hic Monachus esset. Secul. XVI. A.C. 1521.

§. XVI.

Rumores de Lutheri raptu sparsi.

Cum vero brevi de Lutheri raptu fama ubique divulgaretur, Aleander hac de re summum Pontificem certiorem reddidit: Cæsar quoque Carolus V. æque ac plurimi alii prudentiores Viri, quod res erat suspicabantur. Non deerant tamen ex Lutheri fautoribus, qui passim spargerent, quod Romanæ Curiæ emissarii illum occidissent, aut saltem violata fide publica hominem in vinculis detinerent. Alii etiam eo temeritatis processerunt, ut se ejus cadaver gladio *Pallav. l. c. c. 28.*

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

gladio transfoſſum in quadam argenti fodina reperiiſſe palam edicerent: quæ res tam prope ad ſeditionem ſpectare videbatur, ut Caracciolus, atque Aleander ambo Pontificis Nuncii, aliunde Lutheranis admodum exoſi in magnum vitæ diſcrimen adducti cenſerentur. Interea vero Cæſar, quid conſilii in præſenti rerum ſtatu ante ſoluta comitia caperet, cum S. R. I. Electoribus ac Principibus deliberabat, conventumque eſt, edictum adverſus Lutherum eſſe promulgandum. Ergo illud die ſexta Maji conficitur, duoque illius exempla quorum unum latine, alterum vero germanice erat ſcriptum, Cæſari offeruntur. Hic tum in templo adfuit, Aulicorum frequenti corona cinctus, atque innumera confluentis populi multitudine ſtipatus, ibique feſtiviſſimo vultu utrumque edicti tranſumptum Cæſarea ſubſcriptione firmavit, adſtantibus Moguntino, & Sedunenſi Cardinalibus, qui illud quoque ſignaverant. Jam prius vero illius formula perlecta, atque in conventu die octavo Maji, qui eo anno dies erat Dominica divinæ Triadi Sacra, approbata fuit: Poſtquam igitur omnes ejusmodi ſolemnitates fuerunt adhibitæ, edictum conſuetis typis editum, ac undique pervulgatum eſt.

§. XVII.

Sæcul. XV.
A.C. 1521.

§. XVII.

Edictum Caroli V. Imperatoris adversus Lutherum.

Summa hujus edicti hæc erat: *Ad veri Romani Imperatoris officium pertinet non modo fines sacri Imperii ad Orthodoxam viam propagare, verum etiam, ne qua hæreseos labes, aut suspicio sacrosanctam Religionem commaculat, summo studio providere, ac si quæ jam oriri cæperit, eam delere penitus, & extinguere: Cum vero frater Lutherus erroribus, & hæresibus ab orthodoxa fide longe alienis, Religionem Christianam, præsertim in natione Germanica inficere conetur, a Sanctissimo Patre Leone X. summo Pontifice, ad quem fidem Catholicam curare spectat, prædictus Martinus a principio clementer & paterne monebatur, ut a nefandis hujusmodi cæptis desisteret, & jam sparsos errores revocaret. Quod cum ille neglexisset, convocatis sæpius S. R. E. Cardinalibus &c. prædicto tamen Martino in contumacia persistente, ipsius scripta ut perniciosa, & fidei, unitatique Ecclesiæ contraria damnata fuere, Martinus vero ipse, nisi infra certum terminum mutata sententia se errores suos revocasse docuisset, ut hæreticum ab omnibus evitandum ac puniendum summus Pontifex Apostolicis literis declaravit. Quas, ad Nos per Hierony-*

Cochl. ann. 1521. in fin. act. & script. Luth. Sleid. l. 3. p. 76. apud Gold. const. Imp. t. 2. p. 143. Pallavic. hist. Conc. Trid. l. 1. cap. 28.

Sæcul. XVI A. C. 1521.

ronymum Aleandrum Sedis Apostolicæ Nuncium misit petens, atque requirens, ut pro officio ac debito Imperialis dignitatis in universo Romanorum imperio, deinde (quod Catholicum Regem & Christianum Principem decet) in ceteris quoque Regnis nostris, & præcipue in Germania omnia & singula in dictis literis contenta observari, & executioni mandari juberemus. Post quas tamen prædicto Martino factas monitiones, & ipsius tandem condemnationem tantum abfuit, ut resipisceret, ut etiam detestabiliores perversi ingenii sui fructus indies ederet, ac complures acervatim libros non modo novarum, sed etiam a sacris Conciliis olim condemnatarum hæresum plenos, nec solum latino, verum etiam Alemanico sermone, a se compositos fere quotidie divulgaret: homo usque adeo novarum rerum, ac potius perditionis humanæ cupidus, ut nihil fere scripserit, vel suo nomine divulgaverit, cui non aliqua pestis, aliquis lethalis insit aculeus: Quas ob caussas Prædecessorum nostrorum, Romanorum Imperatorum vestigiis insistentes, ac pias super exterminandis hæreticis constitutiones observantes, convocatis sæpius ad præsentiam nostram præcipue Electoribus, necnon universis Romani Imperii Ordinibus, de eorum unanimi consilio, matura deliberatione, & consensu in hanc tandem devenimus sententiam, ut quamvis hominem a Sede Apostolica condemnatum, &

in

in ſua obſtinata perverſitate obduratum, & notorium hæreticum audire, omni jure exceptum eſſet: nihilominus ad tollendam omnem cavillandi anſam complures audiendum a nobis hominem, priusquam in eum ad executionem Pontificii decreti ulterius procederemus, aſſeverabant, ideo Martinum ſæpedictum, miſſo ad ipſum dedita opera uno ex Caduceatoribus noſtris accerſiri juſſimus, non ut nos de hoc negotio judicaremus, aut cognoſceremus (cum id dubio procul ad Romanum Pontificem, & Sedem Apoſtolicam pertineat) ſed ut eum bonis monitionibus ad rectam ſemitam (ſi fieri poſſet) reduceremus.

Sæcul. XVI. A. C. 1521.

Itaque Lutherum in noſtra, & Principum Imperii præſentia conſtitutum interrogari juſſimus de ejus libris, & doctrinis, an illas revocare velit, qui tamen terminum ſibi ad reſpondendum petiit, quo elapſo ne verbum quidem in ſuis libris mutaturum apertiſſime negavit. Quinimo Pontificum decreta, & ſacroſancta Concilia ſæpius erraſſe aſſeveravit . . . . His omnibus ſic omnino ſe habentibus, Nos juxta tenorem ſalvi conductus Lutherum ſtatim a conſpectu noſtro miſſum fecimus, nunc vero ad opportunas medellas huic peſtilentiſſimo morbo neceſſarias in hunc, qui ſequitur, modum procedere decrevimus. Primum omnium, ad honorem Dei, Romanique Pontificis, & S. Sedis Apoſtolicæ reverentiam debitam, pro Impe-

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

Imperialis dignitatis officio necnon ſtudio, quo Majorum noſtrorum more ad defenſionem Catholicæ fidei, ſanctæque Eccleſiæ protectionem animam ipſam noſtram exponere parati ſumus, ex Imperiali & Regia auctoritate, necnon ex conſilio, & aſſenſu Electorum, & omnium S. R. Imperii Principum, & ſtatuum exequendo ſententiam Sanctiſſimi D. N. Papæ, Martinum Lutherum ut membrum ab Eccleſia Dei abalienatum, ut obſtinatum, ſchiſmaticum, & notorium hæreticum a nobis haberi declaramus, & ut talem a vobis omnibus, & ſingulis habendum decernimus, & edicimus. Mandantes ſub crimine læſæ Majeſtatis, ac etiam amiſſionis bonorum omnium, necnon proſcriptionis, ac interdicti Imperialis pœnis, ne quis præfatum Lutherum recipere, defendere, ſuſtentare, aut facere dicto facto vel ſcripto præſumat. Quinimo poſt elapſum viginti dierum terminum contra eum ubicunque deprehenſus fuerit, juxta formam imperialis banni procedatis, ejus quoque complices, adhærentes, receptatores, & quomodolibet fautores, necnon eorum bona ſingula mobilia, & immobilia juxta ſacras conſtitutiones, ac interdicti imperialis legem libere proſequamini, illosque & illa capiatis, & in uſus veſtros optimo, & pleno jure convertatis. Mandamus inſuper, ne quis Lutheri ſcripta emere, vendere, tenere, aut legere, præſumat, non obſtante, quod in illis etiam aliqua

qua bona ad fallendas ſimplicium mentes immixta eſſent. Ea propter omnibus Principibus & Magiſtratibus præcipimus, ut hujusmodi peſtiferos Martini libros publico igni conſumendos, penitusque abolendos curarent. Verum quia cavendum, ne Martini libri, aut ex illis excerpta ſuppreſſo aut mutato auctoris nomine publicentur: quia etiam quotidie videmus, & audimus cum alibi tum in Germania paſſim divulgari picturas & imagines non in opprobrium modo privatarum perſonarum; ſed & ipſius ſummi Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ contumeliam excogitatas; idcirco omnibus & ſingulis præcipimus, ne quis hujusmodi famoſos libellos, ſcripturas, aut picturas, atque etiam invectivas ſcribere, imprimere, depingere, vendere, aut tenere, aut imprimi facere audeat. Quinimo jubemur, ut ejusmodi libros &c. ſingulis diripiant, & publico igni comburant, ac eorum impreſſores, auctores, emptores, & venditores apprehendant, & detineant. Atque ut omnis ejusmodi errorum occaſio tollatur, Imperiali ac Regia auctoritate ſub prædictis pœnis decernimus, ne quis de cetero Chalcographus, vel librorum Impreſſor, aut alius quivis libros ullos, ſeu aliam ſcripturam, in quibus de ſacris literis, aut fide Catholica vel minimum tractatur, non habito prius Ordinarii loci conſenſu, cum auctoritate etiam Facultatis Theologicæ

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

Sæcul. XVI A. C. 1521. *logicæ alicujus propinquæ Universitatis imprimere, vel imprimi præsumat.*

§. XVIII.

Censura errorum Lutheri per Facultatem Theologicam Parisiensem.

Argentre coll. Jud. de nov. error. p. 365.

Lutherus cum adhuc in arce, quam suam Pathmos vocabat, delitesceret, hujus edicti nuntium accepit, indeque novis furiis agitabatur. Nunquam autem vehementius tumultuabatur, quam ubi perceperat, a Parisiensi facultate Theologica nuperrime ejus libros, erroresque censuris perstrictos, ac plusquam centum propositiones ex ejus doctrina depromptas fuisse damnatas. Hanc illius severitatem eo iniquiore ferebat animo, quo confidentius sub primis sectæ suæ auspiciis eandem Facultatem velut Judicem ac arbitrum contentionis suæ cum Sede Apostolica elegisset, illiusque judicio non sine præclaris ejusdem elogiis sese subjecisset. Data est hæc censura die decima quinta Aprilis Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo apud S. Mathurinum in quadam Congregatione hanc in rem habita, demumque eadem sententia unanimi omnium Doctorum consensu concluſa ac definita fuit. Præ-

primis

primis igitur Facultas Theologica exponit, quam neceſſarium eſſet, ſeſe novarum hæreſum veneno, quo fideles facile infici poſſent, opponere, *Paulus ille,* inquit, *vas electionis Timotheum inſtituens, ut curet ſeipſum Miniſtrum irreprehenſibilem & probatum exhibere Deo, rectèque tractantem Verbum veritatis, profana hortatur & vaniloqua devitare, quoniam hæc multum proficiunt ad impietatem. Nam ſi ſemel recepta fuerint, mox ſerpet venenum, & abſoleſcet Catholicæ doctrinæ vigor. Siquidem hæreticorum ſermo perinde ac cancer, & morbus ſerpet, qui ubi corpus viventis attigerit, non deſinit paulatim vicinas occupare partes, donec intulerit exitium. Cum enim adhuc in adoleſcentia ſua Eccleſia Chriſti Sponſa florere cæpiſſet, ſurrexere viri mendaces, qui a veritate excidentes fidem illius ſubvertere molirentur, quales fuerunt, Hermogenes, Philetus, Hymenæus, & poſt illos Ebion, Marcion, Apelles, deinde Sabellius, Manichæus, & Arius. Seneſcente vero eadem, & paulo ante tempora noſtra Waldo, Wicleſ, & Joannes Huſſ. Hac etiam tempeſtate de progenie illa viperarum ſuborti ſunt, Lutherus, ejusque Sectatores, filii nequam, qui ſpecioſæ Matris ſuæ ac unionis vinculum ſchiſmatice diſcindere conantur vere ſimiles viperulis. Inter quos unus vel præcipuus exiſtit quidam Martinus Luther, qui prænominatorum hæreti-*

Sæc. XVI. A.C. 1521.

2. ad Tim. c. 2. v. 15. & 16.

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

corum dogmata (instar prævaricatoris Ahiel, qui contra Josue imprecationem reædificavit in Hierico) instaurare studet, & nova confingere, qui plus unus sapere præsumit, quam ceteri omnes, qui in Ecclesia sunt, aut fuerunt. Omnium nempe Universitatum Scholis suum ausus est præferre judicium: Priscorum quoque vel sanctorum Doctorum Ecclesiæ sententias contemnit, & ut ad impietatis cumulum quid addat, sacrorum sanctiones Conciliorum enervare contendit, quasi scilicet ad fidelium salutem necessaria soli Luthero Deus reservasset: quæ præteritis sæculis nescivit Ecclesia, & ad hæc usque tempora in tenebris, & errorum cæcitate suam Sponsam Christus dimisisset.

Postmodum Parisienses Theologi demonstrant, quod Lutherus errores suos ex putidis veterum hæreticorum lacunis hausisset, *nam*, prosequuntur illi, *de libero arbitrio Manichæos sequitur, de contritione Hussitas; Wiclefistas vero de confessione; de præceptis legis Beguardos; Catharos de punitione hæreticorum; de immunitate Ecclesiasticorum & Evangelicis consiliis Waldenses, & Bohemos: de juramento consentit hæreticis, qui se jactitant de ordine Apostolorum; de observatione Legalium, Ebionitarum hæresi propinquat. Ceterum de Sacramentali absolutione, satisfactione, præparatione ad Eucharistiam, item de peccatis de pœnis Purgatorii, de generali-*

neralibus Conciliis non ferendos disseminat errores. Sed & de Hierarchiæ præclaris institutis perperam loquitur ignarus, sicut de potestate Ecclesiastica, & de indulgentiis multa. Nec tamen pestiferam doctrinam evomuisse contentus, librum insuper edidit, cui de captivitate Babylonica nomen indidit, usque adeo variis respersum erroribus, ut jure cum Alchorano conferri mereatur. In eo siquidem extinctas hæreses, & funditus extirpatas, quarum ne vestigia quidem ulla restabant, super his præsertim, quæ ad Sacramenta Ecclesiæ spectant, suscitare, ac revocare contendit. Ejusmodi Scriptor est Ecclesiæ Christi hostis perniciosus, & antiquarum blasphemiarum instaurator execrandus. Bohemorum namque, Albigensium, Waldensium, Heracleonitarum, Pepuceanorum, Aerianorum, Lamperianorum, Jovinianistarum, Artotyritarum, ceterorumque id genus monstrorum insaniæ, per auctorem in eodem comprobantur libro, commendantur, extolluntur.

Sæcul. XVI. A. C. 1521.

§. XIX.

Errores ex libro de Captivitate Babylonica a Facultate censuris notati.

Postmodum Facultas recenset propositiones, quas censuris perstringit, ac præprimis examinat librum *de captivitate* *Argentre ib. p. 367.*

Sæc XVI. A.C. 1521.

tate Babylonica, eoquod ille pluribus scateret erroribus, totamque propositionum seriem ad quinque revocat articulos, qui erroneas de Sacramentis, præceptis Ecclesiæ, de operum æqualitate, de votis, & de divina essentia assertiones complectuntur.

ARTICULUS I.

De Sacramentis.

Circa materiam Sacramentorum facultas sequentes damnavit propositiones. I. „Recens est inventio Sacra„ mentorum. „ *Hæc propositio est temeraria, impia, & manifeste hæretica.* II. „ Sacramentum Ordinis Ecclesia Chri„ sti ignorat. „ *Hæc est hæretica, & est error Pauperum de Lugduno, Albigensium, & Wiclefistarum.* III. „Omnes Christia„ ni habent eandem potestatem in ver„ bo, & Sacramento quocunque. IV. „ Claves Ecclesiæ sunt omnibus com„ munes. V. Omnes Christiani sunt „ Sacerdotes. „ *Quælibet harum trium propositionum est Ordinis Hierarchici destructiva & hæretica*, VI. „ Confirmatio „ & extrema unctio non sunt Sacra„ menta a Christo instituta. „ *Hæc propositio est hæretica, & pro prima parte est error Albigensium, & Wiclefistarum, pro secunda vero Heracleonitarum.* VII. „ Mis-

„ sa

„ ſa paſſim creditur eſſe ſacrificium, Sæcul. XVI.
„ quod offertur Deo: Inde Chriſtus ho- A. C. 1521
„ ſtia Altaris dicitur. Sed Evange-
„ lium non ſinit Miſſam eſſe Sacrificium.„
Secunda hujus propoſitionis pars eſt impia, blaſphema, & hæretica. VIII. „ Manife-
„ ſtus eſt error Miſſam applicare ſeu
„ offerre pro peccatis, pro ſatisfactio-
„ nibus, pro defunctis, aut quibuscun-
„ que neceſſitatibus ſuis, aut aliorum.„
Hæc propoſitio eſt contumelioſa & hæretica, & eſt Aerianorum hæreticorum, & Artotyritarum erroribus conformis. IX. „ Non
„ eſt dubium univerſos hodie Sacerdo-
„ tes, & Monachos cum Epiſcopis, &
„ omnibus ſuis Majoribus eſſe idololatras in ſtatu periculoſiſſimo agentes,
„ ob Miſſæ ſeu Sacramenti ignoran-
„ tiam, abuſionem, & irriſionem. „
Hæc propoſitio eſt falſa, maxime ſcandaloſa, ac univerſo Eccleſiaſtico Statui contumelioſa. X. „ Credo firmiter panem eſſe
„ Corpus Chriſti. „ *Hæc credulitas Lutheri eſt abſurda, hæretica, & olim damnata.* XI. „ Negare Laicis utramque ſpe-
„ ciem eſt impium & tyrannicum. „
Hæc propoſitio eſt erronea, ſchiſmatica, impia, & ex damnato Bohemorum errore elicita. XII. „ Bohemi hæretici & ſchis-
„ matici non ſunt nominandi, ſed Ro-
„ mani. „ *Hæc propoſitio eſt falſa, perfidiæ Bohemiæ impie defenſiva, & Eccle-*

Sæcul. XVI A C. 1521.

ſiæ Romanæ contumelioſa. XIII. „ Matrimonium non eſt Sacramentum divinitus inſtitutum, ſed ab hominibus „ in Eccleſia inventum. „ *Hæc propoſitio eſt hæretica, & olim damnata.* XIV. „ Conjunctio Viri & mulieris tenet, quocunque modo contra leges hominum „ contigerit. XV. Debent Sacerdotes „ ea omnia matrimonia confirmare, „ quæ contra Eccleſiaſticas vel Pontificias leges fuerint contracta, in quibus Papa poteſt diſpenſare, & quæ „ non ſunt in S. Scriptura expreſſæ. „ *Utraque hæc propoſitio eſt falſa, Eccleſiæ poteſtati impie derogativa, & ex damnato Waldenſium errore procedens.* XVI. „ Tota efficacia Sacramentorum novæ Legis eſt ipſa fides. „ *Hæc propoſitio eſt efficaciæ Sacramentorum impie derogativa, & hæretica.* XVII. „ Quicquid credimus nos accepturos eſſe, revera accipimus, quicquid agat, non agat, ſimulet, aut jocetur Miniſter. „ *Hæc propoſitio eſt abſurda, ex erroneo Scripturæ intellectu aſſerta, & hæretica.* XVIII. „ Periculoſum, imo falſum eſt opinari „ pœnitentiam eſſe ſecundam poſt naufragium tabulam. „ *Hæc propoſitio eſt temerarie, erronee, ac fatue aſſerta, necnon Beato Hieronymo illam ponenti injurioſa.* XIX. „ Qui ſponte confeſſus ſive correptus veniam petierit, & emen-

„ dave-

„ daverit coram quovis privatim fra- Sæcul. XVI.
„ tre, non dubito a peccatis ſuis illum A.C. 1521.
„ eſſe abſolutum. „ *Hæc propoſitio innuens Laicos tam viros, quam mulieres poteſtatem clavium habere, eſt falſa, Sacramentis Ordinis & Pœnitentiæ contumelioſa, & hæretica cum errore conveniens Waldenſium, & Quintilianorum.*

ARTICULUS II.

De Legibus & Conſtitutionibus Eccleſiæ.

Inter propoſitiones, quæ ex eodem libro per Facultatem Theologicam damnato excerptæ fuerant, ſecundus titulus agit de legibus & Conſtitutionibus Eccleſiæ, ac nonniſi unicam, hancque complectitur propoſitionem. „ Neque Papa, neque Epiſcopus, neque „ ullus hominum habet jus unius ſyl„ labæ conſtituendæ ſuper Chriſtianum „ hominem, niſi id fiat ejusdem con„ ſenſu. Et quicquid aliter fit, tyran„ nico Spiritu fit. „ *Hæc propoſitio eſt a debita ſubditorum erga Superiores obedientia & ſubjectione retractiva, legum poſitivarum ſeditioſe deſtructiva, ac in fide, & moribus erronea, & eſt error damnatus Waldenſium cum errore Arianorum conveniens.*

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

ARTICULUS III.

De operum æqualitate.

Tertius titulus tractat de æqualitate operum, ac itidem nonnisi unicam propositionem continet his conceptam verbis: „ Opera nihil sunt coram Deo, „ aut omnia sunt æqualia, quantum ad „ meritum attinet. „ *Hæc propositio est falsa, sacris eloquiis adversa, atque errori Jovinianistarum conformis.*

ARTICULUS IV.

De votis.

Quartus articulus de Votis binas continet propositiones, quarum prima est: „ Suadendum, ut vota prorsus omnia tollantur, aut vitentur. „ *Hæc propositio est Christi doctrinæ, & Sanctorum Patrum observationi, qui vovere consulunt, contraria, ex errore Wiclefistarum procedens.*

II. Probabile est vota hodie non valere, nisi ad operum jactantiam, & præsumptionem. *Hæc propositio est falsa, statui Religionis contumeliosa, & præfatis Wiclefistarum erroribus consona.*

ARTI-

Sæcul. XVI. A. C. 1521.

ARTICULUS V.

De divina Essentia

Agit quintus titulus de divina essentia, ibidemque hæc unica damnatur propositio: „ Istis noviſſimis trecentis „ annis multa perperam determinata „ sunt: quale est, Essentiam divinam „ nec generari, nec generare, & animam „ esse formam substantialem corporis „ humani. „ *Hæc propositio est falsa, & ab homine, qui alienus est a Catholica Ecclesia arroganter asserta, sacrisque Conciliis generalibus injuriosa.*

§. XX.

Errores ex aliis Lutheri libris excerpti, ac proscripti.

Postmodum damnatæ fuerunt propositiones ex aliis Lutheri libris depromptæ, quæ ad undeviginti titulos revocatæ sunt. *Argentre ibid p 369.*

TITULUS I. II.

De Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, & de contritione.

In primo titulo tractatur de conceptione B. V. M., circa quam una duntaxat propositio notatur hunc in modum prolata: „ Contradictoria hujus pro-

„ positio-

Sæcul. XVI A.C. 1521.

„ positionis: Beata Virgo est concepta „ sine peccato originali, non est repro- „ bata. „ *Hæc propositio est falsa, ignoranter & impie contra honorem immaculatæ Virginis asserta.*

Alter titulus de contritione decem propositiones complectitur. I. „ Lege „ manifestata aut in memoriam revoca- „ ta, mox sequitur augmentum peccati, „ si gratia desit. „ *Hæc propositio, loquendo de gratia gratum faciente, est falsa, a recta S. Scripturæ intelligentia aliena, & a meditatione divinæ legis retractiva.* II. „ Lex ante charitatem non operatur, „ nisi iram, & auget peccatum. „ *Hæc propositio est falsa, piarum aurium offensiva, in Deum, ejusque legem blasphema, nec intentioni D. Pauli consona.* III. „ Ope- „ ra quæcunque ante Charitatem sunt „ peccata, & damnabilia, & indispo- „ nentia ad gratiam. „ *Hæc propositio est falsa, temerarie asserta, peccatorum ab emendatione retractiva, & sapiens hæresim.* IV. „ Qui bonum opus aut pœnitentiam „ a peccatorum detestatione ante dile- „ ctionem justitiæ incipit, nec in eo „ pecari asserit, inter Pelagianos nu- „ merandus est. „ *Hæc propositio est falsa, & ignoranter asserta, capiendo dilectionem justitiæ pro ea, quæ charitatem seu gratiam gratum facientem sequitur.* V.

„ Con-

„ Contritio, quæ paratur per discussio-
„ nem, collectionem, & detestationem
„ peccatorum, qua quis recogitat an-
„ nos suos in amaritudine animæ suæ,
„ ponderando peccatorum gravitatem,
„ multitudinem, fœditatem, amissio-
„ nem æternæ Beatitudinis, ac æter-
„ næ damnationis aquisitionem: hæc,
„ inquam, contritio facit hypocritam,
„ imo magis peccatorem. „ *Hæc pro-
positio est falsa, viæ ad pœnitentiam impe-
ditiva: Scripturis sacris & doctrinæ San-
ctorum difformis.* VI. „ Neque timore,
„ neque amore potest homo se erigere
„ ad capessendam Dei gratiam. „ *Hæc
propositio est in Fide & moribus erronea,
omnem præparationem ad pœnitentiam im-
pie aufferens.* VII. „ Sine gratia primo
„ remittente culpam, nec votum remis-
„ sionis quærendæ homo potest habe-
„ re. „ *Hæc propositio est falsa, impia,
& peccatorem ad desperationem inducit.*
VIII. „ Christus nunquam peccatores
„ coegit timore ad pœnitentiam. „ *Hæc
propositio capiendo* cogere *pro* inducere,
*sicut sumitur frequenter in Scriptura sacra,
est hæretica.* IX. „ Bonus est timor, &
„ utilis, licet sit insufficiens, per quem
„ paulatim fit consuetudo justitiæ. „ *De
his verbis S. Augustini ita loquitur Luthe-
rus:* „ Hoc est meo judicio consuetudo
„ desperandi, & odiendi Deum, si ex-
„ clu-

Sæcul. XVI. A.C.1521. „ cludatur gratia. „ *Judicium Lutheri*, ait Facultas, *est falsum, temerarium, & impium accipiendo gratiam, ut supra pro gratia gratum faciente sicut eam accipit Scriptor.* X. „ Si Joannes Baptista timo- „ rem docuisset esse initium pœnitentiæ, „ non ideo sequeretur pœnitentiam inci- „ pere a timore. „ *Hæc propositio est manifeste erronea, in Christum & inspiratam Præcursoris ejus doctrinam contumeliosa.*

TITULUS III.
De Confessione.

Hic septem continet propositiones, quarum prima est: „ Ars confitendi, qua „ hucusque docti sumus arenam nume- „ rare, singula peccata discutere, colli- „ gere, atque ponderare ad faciendam „ contritionem, est ars inutilis, imo ars „ desperandi, & perdendi animas. „ *Hæc propositio est falsa, impia, schismatica, & confessioni, quæ est ars lucrandi animas, injuriosa.* II. „ Confessio illa, quæ „ nunc agitur occulte in aurem, nullo „ potest divino jure probari, nec ita fie- „ bat primitus. „ *Hujus propositionis prima pars est falsa, & ex ignorantia juris divini asserta. Secunda est temerarie posita.* III. „ Spiritualis defectus est soli Deo a- „ periendus. IV. Si oportet confiteri „ occulta cordis, tantum ea, quæ ple-

„ ni

„ ni sunt consensus opera, homines debent confiteri. V. Peccata contra duo „ ultima præcepta Decalogi commissa „ sunt prorsus a confessione secludenda. „ *Quælibet harum trium propositionum est in fide erronea, & impie confessionem dimidians.* VI. „ Nullo modo præsumat homo con- „ fiteri peccata venialia. „ *Hæc dissuasio est temerarii animi indicativa, ab opere bono retractiva, & ideo perniciosa.* VII. „ Non justificamur operibus, neque pœ- „ nitentiis aut confessionibus. „ *Hæc propositio loquendo de operibus bonis fidem Mediatoris non excludentibus est erronea, pœnitentiæ, & confessionis contemptiva, & sano divinæ Scripturæ intellectui adversa.*

TITULUS IV.

De Absolutione.

Sub hoc articulo quatuor propositiones recensentur, quarum prima est hæc: „ Absolutio est efficax non quia fit, a „ quocunque tandem fiat, erret, sive „ non erret: sed quia creditur. II. Cre- „ de fortiter, te esse absolutum, & ab- „ solutus vere eris, quicquid sit de tua „ contritione. III. Esto per impossibi- „ le, quod confessus non sit contritus, „ aut quod Sacerdos non serio, sed jo- „ co absolvat, si tamen credat se esse ab- „ solutum, verissime est absolutus. „ *Hæ*

tres

Sæcul. XVI A. C. 1521.

tres propositiones ad sensum Auctoris sunt falsæ, impiæ, ignoranter & difformiter ad S. Scripturam assertæ. Et in hoc, quod dicitur: „ A quocunque tandem fiat, er- „ ret, sine non erret; „ *& in eo quod subditur:* „ non serio, sed joco absolvat; „ *Sunt piarum aurium offensivæ, Sacramenti pœnitentiæ irrisoriæ, & Conciliorum generalium determinationibus contrariæ.* IV. „ Quilibet Sacerdos debet absolvere a „ pœna, & culpa, aut peccat. „ *Hæc propositio ad sensum scribentis est falsa, observationi, & doctrinæ universalis Ecclesiæ in his, quæ concernunt Sacramentum pœnitentiæ, contraria.*

TITULUS V.

De Satisfactione.

Quintus titulus octo refert propositiones. I. „ Peccata Deus & semper „ & gratis remittit, & condonat, nihil „ a nobis invicem requirens, quam ut „ imposterum bene vivamus. „ *Hæc propositio est a sententia sanctorum Doctorum aliena, Fideles vana & stulta confidentia a debita satisfactione pro peccatis retrahens, & hæretica.* II. „ Sententia est Apo- „ stoli pœnam & culpam simul finiri. „ III. De industria damnat Propheta sen- „ tentiam probantium satisfactionem, „ dicens: Quoniam si voluisses, Sacrifi- „ cium

„ cium dediſſem: Holocauſtis non dele- Sæcul. XVI.
„ ctaberis. IV. Irridet Micheas Pro- A. C. 1521.
„ pheta eos, qui per opera ſatisfacere
„ volunt. „ *Prima harum propoſitionum eſt in D. Paulum: Secunda in Prophetam: Tertia in Micheam contumelioſa, & omnes falſæ, impiæ, & in Spiritum ſanctum blaſphemæ.* V. „ Virtute clavium jacti-
„ tant quidam ſolvi pœnas per divinam
„ juſtitiam requiſitas, quod non credo
„ verum, nec probabitur. „ *Hæc propoſitio eſt falſa, ſcandaloſa, & poteſtati clavium derogativa animique temerarii indicativa & arrogantis.* VI. „ Commen-
„ tum & futile cavillum eſt dicere: quia
„ Sacerdos ignorat menſuram contri-
„ tionis pro abſolutione, ideo forte non
„ imponit tantam ſatisfactionem, quan-
„ tam divina juſtitia requirit, quod pro-
„ pterea neceſſe ſit eidem ſatisfieri vel
„ proprio opere, vel indulgentiis. „ *Hæc propoſitio eſt falſa, ritui Eccleſiæ, ejusque doctrinæ adverſa, & pœnitentialis ſatisfactionis enervativa.* VII. „ Pœna, qua
„ Deus vult peccatum punire, non po-
„ teſt auferi per hominem, vel per Pa-
„ pam. „ *Hæc propoſitio eſt auctoritati Eccleſiæ a Chriſto conceſſæ impie & ſchismatice contraveniens, & ſapiens hæreſim.* VIII. „ Hæretica eſt ſententia, qua Sa-
„ cramenta novæ legis gratiam juſtifi-
„ cantem dare dicuntur illis, qui non

Sæcul. XVI A.C.1521.

„ ponunt obicem, cum sit impossibile „ Sacramentum conferri nisi jam cre- „ dentibus, & dignis. „ *Hæc propositio est falsa temeraria, & præsumptuose asserta.*

TITULUS VI.

De accedentibus ad Evchariſtiam.

Complectitur hic titulus duas tantum propositiones, inter quas prima est: „ Magnus & pernicioſus error est, si „ quis accedat ad Sacramentum Evcha- „ ristiæ ea nixus fiducia, quod confes- „ sus est, quod non sit sibi conscius mor- „ talis peccati, quod præparatoria sua, „ & orationes præmiserit: Omnes hi ju- „ dicium sibi manducant, & bibunt. „ *Hæc propositio est impia, a debita Sacramenti suscipiendi præparatione retractiva, ad desperationem inducens, & doctrinæ D. Pauli contraria, nec Fideles ea nixi fiducia secludunt divinam misericordiam.* II. „ Pro- „ batio, qua homo peccata sua discutit, „ atque ponderat, non pertinet nisi ad „ insensatos, & crassos Sacramenti con- „ temptores. „ *Hæc propositio est temeraria, & arroganter asserta, impia, & scandalosa.*

TITULUS VII.

De certitudine Charitatis.

Septimus titulus de certitudine justifi- catio-

cationis duas pariter continet propositiones. I. „ Pessime docent Theo- Sæcul. XVI. A.C. 1521.
„ logi, quando dicunt, nos nescire,
„ quando sumus in charitate. „ *Hæc propositio intelligendo* nescire *pro certitudine fidei, de qua loquitur Auctor, est falsa, sacris Doctoribus dissona, & sano Scripturæ sensui.* II. „ Caveat omnis Chri-
„ stianus, ne unquam incertus sit, an
„ Deo placeant opera sua; qui enim sic
„ dubitat, peccat, & perdit opera sua
„ cuncta, frustraque laborat. „ *Hujus consilium loquendo de certitudine fidei est temerarium, pernicioſum, & sacris eloquiis dissonum.*

TITULUS VIII.

De peccatis.

Ad hunc titulum revocantur quinque propositiones. I. „ Justus in omni
„ bono opere peccat. II. Omne opus
„ bonum optime factum, est ve-
„ niale peccatum. „ *Utraque harum propositionum est falsa, piarum aurium offensiva, ac bonorum operum infamativa.* III.
„ Quod non omni tempore pœnitemus,
„ & resipiscimus, vitium est. „ *Hæc propositio, ut vitium dicit culpam ad sensum Auctoris, est falsa, irrationabiliter, & ex erroneo Scripturæ intellectu asserta.* IV. „ Hoc est mortalium mortalissimum

Sæcul. XVI. A. C. 1521.

„ non credere se esse damnabili & mortali peccato obnoxium Deo. „ *Hæc propositio est falsa, impia, desperationis inductiva, & sapiens hæresim.* V. „ Theologi docentes ex regulis suis, venialia „ peccata esse distincta a mortalibus, ad „ insaniam perditissime nituntur trahere „ hominum conscientias. „ *Hæc propositio est stulte, & præsumptuose asserta, sacris Doctoribus injuriosa, & in quantum prætendit venialia non distingui a mortalibus, est hæretica.*

TITULUS IX.

De Præceptis.

Facultas ad hunc titulum reduxit sex propositiones: I. „ Qui negat Deum „ nobis impossibilia jussisse, pessime fa„ cit, & qui hoc falsum esse dicit, plus„ quam pessime. „ *Hæc propositio est scandalosa, impia, legis Christianæ infamativa, ac auctore S. Augustino in Deum blasphema.* II. „ Sola duo ultima Decalo„ gi præcepta sunt, quæ a nullo quan„ tumlibet Sancto aliquo modo implen„ tur; cetera omnia implent, sed in „ his duobus manent rei, & peccatores, „ quia nihil de istis implent. „ *Hæc propositio est erronea, impia, in legem, & legislatorem blasphema, & in Sanctos contumelioſa.* III. „ Omne præceptum Dei „ magis

Sæcul. XVI. A. C. 1521.

„ magis positum est, ut ostendat præte-
„ ritum, & præsens peccatum, quam ut
„ futurum prohibeat. Siquidem juxta
„ Apostolum, per legem nil nisi cogni-
„ tio peccati.„ *Hujus propositionis prima pars est falsa, temerarie, & sine ratione asserta. Secunda vero:* „ Juxta Apo-
„ stolum per legem &c. „ *est erronea, legi, mentique D. Pauli contraria.* IV. „ Quia
„ homini Charitatem habenti nulla lex
„ necessaria est, ideo per hoc præce-
„ ptum: *Sabbata sanctifices*, non opus
„ præcipitur, sed quies. V. Istud præ-
„ ceptum tertium, *Sabbata sanctifices*, ces-
„ savit proprie, imo omnino quoad per-
„ fectos Christianos, quia justo non est
„ lex posita. VI. Infirmis, qui non-
„ dum sunt mortificati secundum vete-
„ rem hominem, opus est, ut certis offi-
„ ciis, diebus, modis occupentur vigi-
„ liis, jejuniis, orationibus, disciplinis,
„ & similibus: quibus perveniant ad per-
„ fectum interioris hominis; ut ubi cor-
„ pus fuerit castigatum, & in servitutem
„ fuerit redactum, & mortificatæ passio-
„ nes, tum ipsa cessent paulatim, & tan-
„ tum minuantur, quantum profecerit
„ interior homo, adeo, ut si perfectus
„ fuerit, illa omnino cessare debeant. „
Quælibet harum trium propositionum est ex erroneo Scripturæ intellectu asserta, jure in

Sæcul. XVI. A.C. 1521. *Concilio Viennensi contra Begardos reprobata, & hæretica.*

TITULUS X.

De Consiliis Evangelicis.

In hoc Titulo quatuor damnantur propositiones: I. „ Illud verbum Christi Matthæi quinto: *Qui te per-*
„ *cusserit in maxillam dexteram* 8. & illud
„ ad Romanos 12. *Non vos defendetis Ca-*
„ *rissimi*, non sunt consilia, sicut etiam
„ multi Theologi errare videntur, sed
„ præceptum. „ *Hæc propositio est falsa, legis Christianæ nimium onerativa, & sanæ intelligentiæ S. Scripturæ adversa.* II.
„ Requirere coram judice de injuria re-
„ parationem Christianis prohibitum
„ est. „ *Hæc propositio est falsa, scandalosa, juri divino naturalique dissona.* III.
„ Quia Christianus temporalia non de-
„ bet amare, ideo non debet jura-
„ re. „ *Hæc propositio est in moribus erronea, & sapiens hæresim.* IV.
„ Judæis ad libitum verum jurare, est
„ permissum. „ *Hæc propositio, si intelligatur* permissum, *tanquam licitum, falsa est, divino præcepto adversa, & antiquus Judæorum error.*

TITULUS XI.

De Purgatorio.

Hic titulus novem propositiones complecti-

plectitur: I. „ Scriptura divina to- Sæcul. XVI.
„ ta prorsus nihil habet de Purgatorio. „ A.C. 1521.
Hæc propositio est falsa, Waldensium errorem maxime fovens, ac sanctorum Patrum sententiæ repugnans. II. „ Non videtur „ probatum esse, quod animæ in Purga- „ torio sint extra statum meriti seu au- „ gendæ charitatis. „ *Hæc propositio est falsa, temerarie & impie asserta: & in hoc quod prætendit animas in Purgatorio non esse extra statum meriti &c. est in fide erronea.* III. „ Non videtur probatum esse, „ quod ipsæ animæ in Purgatorio sint de „ sua beatitudine certæ, & securæ, sal- „ tem omnes. „ *Hæc propositio est falsa, & præsumptuose asserta, necnon traditioni Ecclesiæ & doctrinæ Sanctorum contraria.* IV. „ Animæ in Purgatorio peccant si- „ ne intermissione, quamdiu horrent „ pœnas, & petunt requiem, quia quæ- „ runt, quæ sua sunt plusquam voluntа- „ tem Dei, quod est contra charitatem. „ *Hæc propositio est falsa, impia, purgandis animabus injuriosa, & hæretica.* V. „ Im- „ perfecta sanitas, seu charitas moritu- „ ri necessario secum fert magnum ti- „ morem, tantoque majorem quanto „ minor fuerit ipsa. VI. Pœna Purga- „ torii est pavor, & horror damnatio- „ nis, & inferni. „ *Utraque hæc propositio est falsa, temerarie, & sine ratione posita.* VII. „ Probabile est animas Pur-

Sæcul. XVI A.C. 1521

„ gatorii præ confuſione neſcire, quo „ ſtatu ſint, damnatæ, an ſalvatæ, imo „ ſibi videntur jam ire in damnationem, „ & deſcendere in lacum. VIII. „ Ani„ mæ in Purgatorio nihil aliud ſentiunt, „ quam incipere ſuam damnationem, ni„ ſi quod ſentiunt nondum clauſam poſt „ ſe portam inferni. „ *Utraque harum propoſitionum eſt falſa, piarum aurium offenſiva, voluntarie, & irrationabiliter poſita, & ſtatui animarum Purgatorii injurioſa.* IX. „ Omnes animæ in Purga„ torium deſcendentes ſunt imperfectæ „ fidei, ſeu ſanitatis, imo per quantam„ cunque ablationem pœnarum non eſ„ ſent ſanæ, niſi prius ab eis auferatur „ peccatum, id eſt, imperfectio fidei, „ & charitatis. „ *Hæc propoſitio quantum ad omnes partes eſt falſa & temerarie aſſerta, ac ſanæ Scripturarum intelligentiæ diſſona.*

TITULUS XII.

De Conciliis generalibus.

Sub hoc titulo de auctoritate Conciliorum generalium continentur quatuor propoſitiones. I. „ Via jam nobis fa„ cta eſt enervandi auctoritatem Conci„ liorum, & libere contradicendi eorum „ geſtis, ac judicandi eorum decreta. „ *Hæc propoſitio ſi velit Auctor, licitum eſſe cui-*

cuipiam Concilii legitimi auctoritati contradicere in iis, quæ fidem, & mores concernunt, est schismatica, & hæretica. II. „ Certum est inter articulos Joannis „ Huss, vel Bohemorum multos esse „ plane Christianissimos, & Evangeli„ cos, quos non posset universalis Eccle„ sia damnare. „ *Hæc propositio, loquendo de articulis condemnatis, est falsa, impia, & sacris Conciliis injuriosa.* III. „ Isti duo articuli, una est sancta univer„ salis Ecclesia, quæ est prædestinato„ rum universitas, & universalis sancta „ Ecclesia tantum est una, sicut tantum „ est unus numerus prædestinatorum: „ non sunt Joannis Huss, sed Augustini „ super Joannem. „ *Hæc propositio ad Hussitarum intelligentiam est falso S. Augustino attributa. Articuli autem loquendo de Ecclesia militante sunt propositiones hæreticæ.* IV. „ Iste articulus: duæ natu„ ræ, Divinitas, & humanitas sunt u„ nus Christus, est a Catholicis conce„ dendus. Et similiter ille: divisio hu„ manorum operum est, quod sunt vir„ tuosa, & vitiosa, quia si homo est vi„ tiosus, & agit quicquam, vitiose agit, „ & si est virtuosus, & agit quicquam, „ virtuose agit. „ *Hæc propositio est falsa, & ex ignorantia veræ Theologiæ asserta: primus autem Articulus est propositio*

Sæcul. XVI A.C.1521. *hæretica, ſecundus eſt propoſitio ſapiens hæreſim.*

TITULUS XIII.
De Spe.

Unica tantum propoſitio ad hunc titulum revocatur, nimirum hæc: „ Spes non provenit ex meritis. „ *Hæc propoſitio eſt falſa, præſumptionis inductiva, ac ſacris Scripturis diſſona.*

TITULUS XIV.
De pœna Hæreticorum.

Hic titulus itidem unam duntaxat propoſitionem includit; ſcilicet: „ Hæ„ reticos comburi eſt contra voluntatem „ Spiritus. „ *Hæc propoſitio eſt falſa, contra voluntatem Spiritus divini aſſerta, & errori Catharorum, & Waldenſium conſona.*

TITULUS XV.
De obſervatione & ceſſatione Legalium.

Ad hunc titulum nonniſi unica reducitur propoſitio his verbis concepta: „ Licet opera legis quæcunque fieri, ſi „ ea requirit charitas fraterna, modo „ non lege cogente, quo caſu licet eti„ am modo circumcidi ſine periculo & „ cum

„cum multo merito.„ *Hæc propositio est Christianæ legi inimica, Judaicæ perfidiæ favens, & hæretica.* Sæcul. XVI. A. C. 1521.

TITULUS XVI.

De bello contra Turcas.

Unica duntaxat propositio in hoc titulo recensetur, hunc in modum prolata: „Præliari adversus Turcas est re„pugnare Deo visitanti iniquitates no„stras per illos.„ *Hæc propositio universaliter intellecta est falsa, nec sacris eloquiis consona.*

TITULUS XVII.

De Immunitate Ecclesiastica.

Circa hanc materiam itidem, hæc unica propositio damnata fuit: „Si „Imperator vel Principes revocent li„bertatem datam personis, & rebus Ec„clesiasticorum, non potest eis resisti si„ne peccato, & impietate.„ *Hæc propositio est falsa, impia, schismatica, libertatis Ecclesiasticæ enervativa, ac impietatis tyrannicæ excitativa, & nutritiva.*

TITULUS XVIII.

De libero arbitrio.

In hoc articulo quinque propositiones referuntur: I. „Liberum arbitrium non est

Secul. XVI. A.C. 1521

„est Dominus actuum nostrorum. „ *Hæc propositio est falsa, sacris Doctoribus, ac omni doctrinæ morali adversa, cum Manichæorum errore conveniens, ac hæretica.* II. „Frustra garriunt Sophistæ, actum bo„num esse totum a Deo, sed non totali„ter. „ *Hæc propositio est sanctis Doctoribus eam ponentibus injuriosa, S. Ambrosio potissimum, SS. Augustino, & Bernardo, quos hic Sophistas appellat, & quantum ad id, quod prætendit actum bonum esse totaliter a Deo, & nullo modo a libero arbitrio est hæretica.* III. „ Liberum arbi„trium ante gratiam nihil valet, nisi ad „peccandum, non autem ad pœniten„dum: Ex Augustino de spiritu & lite„ra. „ *Hæc propositio, accipiendo gratiam pro gratia gratum faciente, de qua loqitur Auctor, est erronea, errori Manichæorum conformis, a sacris eloquiis aliena, perverse & truncate ex S. Augustino allegata.* V. „Liberum arbitrium sine gratia tanto ma„gis appropinquat iniquitati, quanto for„tius intenderit actioni: Ex Ambrosio.„ *Hæc propositio, accipiendo gratiam, ut prius, est falsa, piarum aurium offensiva, a bonis operibus retrahens, inique, & mutilate ex D. Ambrosio excerpta.*

TITU-

Sæcul. XVI.
A. C. 1521.

TITULUS XIX.

De Philoſophia, & Theologia Scholaſtica.

Sub hoc titulo ſeptem propoſitiones continentur, quarum prima eſt: „ Phi„loſophia Ariſtotelis de virtute morali, „de objecto, de actu elicito talis eſt, quæ „nec in populo doceri poſſit, nec ad ſcri„pturæ intelligentiam utilis, quia con„tinet duntaxat portenta verborum non „niſi ad contentiones verborum confi„cta. „ *Hæc propoſitio quantum ad omnes ſuas partes, loquendo de Philoſophia Ariſtotelis, in his maxime, in quibus a fide non diſcedit, eſt falſa, & tanquam ab inimico ſcientiæ arroganter, ac inſipienter aſſerta.* II. „Omnes virtutes morales, & ſcientiæ „ſpeculativæ non ſunt veræ virtutes, & „ſcientiæ: ſed peccata, & errores. „ *Hæc propoſitio quantum ad primam partem quoad virtutes morales eſt eodem modo proſcripta, ſicut prius illa:* „ Opera quæcun„que ante charitatem ſunt peccata. „ *Quantum ad alteram partem de ſcientiis, eſt manifeſte falſa.* III. „ Theologia Scho„laſtica eſt falſa Scripturæ & Sacramen„torum intelligentia, & exulem nobis „fecit veram, & ſinceram Theologiam. „ *Hæc propoſitio eſt falſa, temerarie & ſuperbe aſſerta, ac ſanæ doctrinæ inimica.* IV.

„In

Sæcul. XVI. A.C. 1521. „In sermonibus Joannis Tauleri lingua „Teutonica conscriptis plus reperio (*dicit Lutherus*) Theologiæ solidæ, ac sin„ceræ, quam in universis omnium Uni„versitatum scholasticis doctoribus rece„ptum est, aut reperiri posset in omnibus „suis sententiis.„ *Propositio, quam Lutherus asserit, est manifeste temeraria.* V. „Quo tempore cæpit Theologia schola„stica, id est, illusoria, eodem evacuata „est Theologia Crucis, suntque omnia „plane perversa.„ *Hæc propositio est falsa, præsumptuose, & irrationabiliter asserta, & errori Bohemorum damnato vicina.* VI. „Libidinem corrumpendæ Scriptu„ræ jam ferme trecentis annis patitur „Ecclesia incomparabili damno suo a Do„ctoribus scholasticis.„ *Hæc propositio est falsa, stulte, & malitiose asserta.* VII. „Theologi Scholastici Aristotelis mora„lia prorsus convenire mentiti sunt cum „Christi, Paulique doctrina.„ *Hac propositione impudenter & falso Theologis Scholasticis imponit Auctor, quod non est verum, quamquam satis exploratum sit in multis moralia Aristotelis cum Christi & D. Pauli doctrina consentire.*

Propositio ex libro de Hierarchia cœlesti.

Ultima denique propositio proscripta fuit, excerpta ex libro de Hierarchia cœlesti,

lesti, qui S. Dionysio Areopagitæ attribuitur; „ In ea Lutherus ita differit: ni- Saecul. XVI. A. C. 1521.
„hil ferme est solidæ eruditionis in Dio-
„nysio, qui scripsit de cœlesti Hierarchia.
„Et omnia sunt illius meditata in præ-
„fato libro, ac somniis prope similima:
„in Theologia autem mystica pernicio-
„sissimus est, Platonizans magis quam
„Christianizans: in Ecclesiastica vero
„Hierarchia ludit allegoriis, quod est o-
„tiosorum hominum studium.„ *Hæc propositio*, inquit Facultas Theologica, *est falsa, temerarie, & arroganter asserta, ac Viro sancto insigni eruditione claro injuriosa, quem Damascenus Divinum Areopagitam Pauli Discipulum, sacerrimum, & eloquentissimum appellat.* Observandum tamen, quod Parisienses hi Theologi absque ratione hunc librum e S. Dionysii Areopagitæ calamo profluxisse supponant (*).

§. XXI.

(*) De hoc argumento doctissimus Criticus P. Honoratus a S. Maria Carmelita Discalceatus librum composuit, sub titulo: *Problema Viris eruditis propositum circa libros S. Dionysio Areopagitæ adscriptos.* Edit. Parisiis anno 1708.

Secul. XVI. A.C. 1521.

§. XXI.

Libellus Henrici VIII. Angliæ Regis adversus Lutherum.

Sub idem tempus Henricus VIII. Angliæ Rex non modo plura, eaque severissima promulgavit edicta, quibus Regnum suum a Lutheri hæresibus præmunire curabat, sed etiam ipsus adversus ejus doctrinam calamum stringere voluit; cum enim in lectione operum S. Thomæ Aquinatis assiduus esset, & Lutherus in pluribus suis libris contra sanctum Doctorem indigno prorsus modo tumultuaretur, licet id omne, quod in Theologicis disciplinis sciebat, ex illius doctrina hausisset, ideo Henricus Scriptorem adeo venerandum, tamque eximia eruditione clarum, cui Monachus ille maximam suæ scientiæ partem debebat, tam nequiter vilipendi ægerrime ferebat, seque viribus haud imparem esse arbitrabatur, ut Lutheri libros confutare, ac lucubratione solida hujus hæretici arrogantiam reprimere posset: cum vero Leo Papa edita hanc in rem Constitutione Lutheri libros perlegi diserte prohibuisset, nec absque eorum lectione hujus hæretici errores refelli possent, hinc Volseus Cardinalis summum Pontificem supplex adiit, ut Lutheri libros cunctis,

cunctis, qui eos confutare vellent, legendi facultatem concederet. Lubens annuit Pontifex, ignarus quidem, quod Rex Henricus adverſus hunc hæreſiarcham ipſus in literariam arenam deſcenſurus eſſet. Dabat Leo X. hac ſuper re literas Apoſtolicas die decima quinta Aprilis Anno Salutis milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo. Sæcul. XVI. A C. 1521.

§. XXII.

Henrici Regis liber pro aſſerendis ſeptem Sacramentis.

Scripſit itaque Henricus polemicum tractatum de ſeptem Sacramentis ab Eccleſia Catholica propoſitis, doctumque volumen ſuum ſummo Pontifici nuncupavit, ac Menſe Octobri Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo offerri voluit. Nonnullorum opinio fuit, hunc librum nonniſi ſub nomine Henrici VIII. fuiſſe editum, re tamen ipſa ab Eduardo Lee elaboratum. Verum id prorſus incertum eſt; Henricus enim adhuc junior Philoſophicis, ac Theologicis diſciplinis, eoquod ab Henrico VII. ad ſacram militiam deſtinatus eſſet, egregiam navavit operam, ut ideo haud dubitandum ſit, Regem hujus lucubrationis auctorem fuiſſe, licet forte cujusdam præclari Theologi auxilio uteretur. *Cochl. ann. 1522. p. 43.* *Sleid. in com. l. 3 p. 78.* *Pallav. hiſt. Conc. Trid. l. 2. c. 1.*

Sæcul. XVI A. C. 1521.

retur. Verum quidquid demum rei subsit, id saltem dubio caret, quod Henricus solidis S. Thomæ Aquinatis principiis innixus egregio prorsus conamine defendat, suisque argumentis indulgentias, summi Pontificis potestatem, septem Sacramentorum numerum, aliosque articulos hucusque a Luthero impugnatos, confirmet. Præprimis redarguit Lutherum, quod sub primis auspiciis indulgentias sub obtentu pœnitentiam extollendi depresserit, nunc vero omnino asserat; *illas ad nihil valere præterquam ad perdendam hominum pecuniam, ac Dei fidem.* Fatetur quidem idem Rex, quosdam forte in illarum promulgatione abusus irrepsisse (*); eas tamen illis, qui debite eisdem utuntur, proficuas esse demonstrat, ac asserit, quod neutiquam, quin debita erga Sedem Apostolicam submissio violetur, permitti possit, ut

(*) Bzovius in suis Annalibus Ecclesiasticis ad hunc annum Henrici Regis libellum ad annum 1521. num. XVI. integrum recitat, nihil tamen de ejusmodi abusibus reperitur, nisi forte ad hunc sensum detorquere placeat hæc Regis verba: *Quantumvis disputentur Indulgentiæ Pontificis.*

ut ſuprema ejusdem in Eccleſia auctoritas in controverſiam vocetur (*). Saecul. XVI. A.C. 1521.

Poſtea ſubjungit, quod Lutherus haud obſcure proſpexerit, nullatenus Sacramenta impugnari poſſe, quamdiu viſibile caput, quo illa firmarentur, ſubſiſteret, ideoque ut hoc obſtaculum haud ſuperandum eluderet, tandem in ſummos Pontifices inſurrexerit, ac eos, quos primo ex jure divino ſuprema poteſtate inſtructos agnoviſſet, poſtmodum nonniſi ex hominum lege Superiores eſſe docuerit, denique ad tantam, eamque maximam devenerit petulantiam, ut ex ſeptem Sacramentis quatuor unico veluti ictu reſecaret, ac de quinto tam ſuperbe diſſereret, ut illud, ſi aliquamdiu adhuc ſubſiſteret, id nonniſi Lutheri benevolentiæ deberi indicaret (**).

(*) Hæc rurſum ibidem non reperio, illa unice verba leguntur: *Non tam injurioſus ero Pontifici, ut anxie, & ſollicite de ejus* (ſummi Pontificis) *jure diſputem, tanquam res haberetur pro dubia.*

(**) Verba Henrici Regis propria hanc in rem ſunt ſequentia: *Iſta duo capita de tollendis prorſus Indulgentiis, & auferenda poteſtate ſummi Pontificis, quantumvis impia ſint, Lutheri tamen nonniſi præludia ſunt ad Sacramenta perimenda. . . . . In hoc libro protinus*

ex

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

Præterea, inquit Rex, *Sacramentum Corporis Christi vocari vult Sacramentum panis, quamvis SS. Patres docerent, quod licet figura panis & vini in Altari videatur, nihil tamen aliud, quam caro & sanguis Christi credenda sit.* Hoc autem dicendi genere Lutherus sibi viam stravit ad pernegandam transsubstantiationem, atque a Missa id, quod præ ceteris pretiosissimum habet, nimirum rationem Sacrificii, abstulit, nec minus docuit bona opera ad justificationem nihil prodesse, hac vero doctrina cunctos peccatores in suis sceleribus magis obduratos reddidit. Præterea *fidem ipsam nihil aliud facit, quam flagitiosæ vitæ patrocinium*, seu potius omnia peccata sub fide contegit, ac horrendis corruptelis Ecclesiam, Statumque inficit, dum subditos a votorum, quæ Deo reddiderunt, obligatione, necnon ab obedientia Superioribus debita eximit, atque a Sacramento pœnitentiæ difficiliores duas partes eliminat, scilicet confessionem, & satisfactionem, ipsamque Confirmationem & Matrimonium e Sacramentorum albo expungit. caussatus, non satis claro (nimirum pro genio suo) S. Scripturæ testimonio eisdem

ex Sacramentis septem tantum reliquit tria, nec ea tamen nisi pro tempore, nimirum significans, illa etiam ipsa propediem sese sublaturum.

dem Sacramenti rationem attribui. Præter hæc Lutherus Sacerdotium evertit, omnesque fideles ex æquo Presbyteros esse docet, nulli alteri innixus rationi, quam cuidam perperam intellecto sacri Codicis textui, qui, si in siniſtro Lutheri sensu acciperetur, *ea ratione qua omnes Christiani Sacerdotes sunt, eadem etiam omnes Reges forent;* Postremo tandem extremam unctionem Sacramentum esse negare constituit, cum vero eidem Sacramenti rationem competere, ex S. Jacobo apertissime demonstrari perspiceret, hæc Apostoli verba enervare præsumit, dicens, illius epistolam inter Canonicas haud reputari. Sæcul. XVI. A C. 1521.

§. XXIII.

Henrici VIII. liber Pontifici oblatus.

Hoc doctum Henrici Regis volumen summo Pontifici in pleno Patrum Senatu offerebatur. Acceptabat illud Papa non sine ingenti animi sui gaudio, usque adeo in elogia effusus, ut hunc libellum SS. Augustini & Hieronymi operibus æquiparare haud dubitaret. Paucis post diebus Leo Cardinales convocabat, ut de debito tam præclarum, quod Angliæ Rex Ecclesiæ præstitisset,

Sæcul. XVI A.C.1521

obsequium remunerandi modo consultationem haberet.

§. XXIV.

Titulus Defensoris fidei *a Papa Angliæ Regi collatus.*

Pallavicin. hist Conc. Trid l.2.c.1

Diu multumque deliberatum, tandem vero conclusum, hunc Monarcham insigni *Defensoris fidei* titulo honorandum esse. Ergo Pontifex diploma expediri jussit, in quo Henrico, cunctisque Angliæ Regibus ejusque Successoribus titulum *Defensoris fidei* attribuit, unaque literæ a Papa sunt scriptæ, quibus eidem Regi amplissime gratias egit.

§. XXV.

Melanchtonis libellus adversus Parisiensium Theologorum censuram.

Ceterum vix literis exprimi potest, quam inique Lutherus tulerit, quod Angliæ Rex Parisiensis Universitatis exemplo ductus adversus ejus libros calamum strinxisset. Jam cunctas moderationis leges transgressus, nil nisi rabiem, bilemque evomere satagebat. Hucusque lingua ac calamo præcipue coram Cardinale Cajetano, necnon in celebri disputatione Lipsiensi palam profitebatur, se Parisiensem Universitatem velut

sanæ

sanæ Theologiæ Magistram venerari, nunc vero ad extrema prolapsus, ejusdem Theologos, quam primum se ab eis damnatum noverat, non modo tanquam primarios veræ Theologiæ corruptores traducebat, sed etiam velut omnium ignorantissimos, ac totius orbis stupidissimos, virosque ingenio, scientia, ac discretione penitus privatos calumniabatur, & eisdem ad facultatis censuram per Philippum Melanchtonem, qui fidelissimus ejus discipulus, ac in literis humanioribus versatissimus erat, responsum dedit, ac si ipsemet id facere, haud dignaretur. Sæcul. XVI. A.C.1521.

Melanchton eo tempore in Wittembergensi Universitate publice docens, id muneris lubens in se suscepit, ac libellum edidit, hac inscriptione: *Apologia pro Luthero adversus furiosum Parisiensium Theologastrorum Decretum.* Paulo post ipse Lutherus librum composuit, in quo se Melanchtonis apologiam nomine Parisiensium Doctorum confutare simulabat, ac plura prorsus inepta ac insulsa, velut ab eis prolata stylo admodum barbaro recitabat, eo duntaxat consilio, ut hosce Doctores omnium ludibrio exponeret. Præterea scripsit Teutonice adversus eosdem.

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

§. XXVI.

Lutheri scriptum contra Angliæ Regem.

Inter opera Luth. contra Reg. Angl.

Erat equidem Lutheri responsum, quod Henrico VIII. dederat, serium magis, nec minus tamen contumeliis repletum. Præprimis velut immotum principium supponebat, quod non major habeatur ratio coronati cujusdam Principis, quam simplicis plebeculæ, ubi de defendendis Evangelii veritatibus ageretur; ut autem periculosum hoc principium defenderet, librum scripsit tot immoderatæ arrogantiæ verbis plenum, ut ejus etiam amici ac Discipuli tantam petulantiam redarguerent; nam in singulis ferme paginis, nil nisi atrociſſimas injurias, ac contumelioſas mendacii falso afficti exprobrationes impudentiſſimo calamo evomuit, & nonnunquam sermone ad Regem converso eundem proterve allocutus est, *Tandem, erubesce Henrice, non jam Rex, sed sacrilege!* Denique effusis ejusmodi injuriis ad ipsam doctrinam descendit, ac in eodem hoc libro palam ita professus est, *parum refert, sive quis in Sacramento Altaris panem permanere, sive non manere credat, ego jam transsubstantio sententiam meam, ac doceo, impium ac blasphemum esse credere, quod panis transmutetur.* Cete-

Ceterum Lutherus hac lucubratione sua nonnisi ignominiam apud ipsos quoque Sectatores suos sibi accersivit: Displicuit enim vehementer ejus amicis, quod cum tam enormi contemptu supremam inter profanas dignitates auctoritatem traduceret, ac sua dogmata petulanti adeo calamo defenderet. Saecul. XVI. A C. 1521.

§. XXVII.

Epistola Erasmi ad Melanchtonem de furore Lutheri.

Inter ceteros Erasmum quoque plurimum offenderat immoderata Lutheri rabies, quapropter ad Melanchtonem scribens ita queritur: *In doctrina Lutheri multa me offendunt: illud imprimis, quod quicquid suscipit defendendum, ibi oppido vehemens est, nec unquam facit finem, donec perferatur ad hyperbolen. Etiam admonitus adeo non mitigat, ut omnia reddat* ὑπερβολικώτερα. His subjungit idem. *Videor mihi ex scriptis animum hominis non minus deprehendere, quam ex convictu. Est ardens ac vehemens ingenium Lutheri, agnoscas ubique Pelidæ stomachum cedere nescii. Neque tu nescis, quantus sit artifex hostis generis humani. Accedit huc tantus applausus theatri, quantum vel modestissimum ingenium posset corrumpere.* *Inter Epist. Erasm. l. 6. Ep. ad Luth. l. 14. Ep. 1. l. 19. Ep. 3. ad Melanch.*

Sæcul. XVI. A.C. 1521

§. XXVIII.

Alia opera a Luthero in ſua captivitate ſcripta.

Lutherus præter libros, quos mox recenſuimus, plura alia ad propugnandos errores ſuos in loco, ubi delitescebat, concinnavit, & præ primis ſcripſit Theutonice Tractatum de Confeſſione ſecreta, ubi in Proemio effutire audebat: *Si Papa & Epiſcopi a ſe per libros ſuos admoniti non mutarent hæc inſtituta, fore, ut alius eos doceat, non verbis, ut Lutherus, ſed factis, & armis.* Poſt hæc ibi illam duntaxat confeſſionem, quæ *auricularis* vocatur, impugnabat, nec omnino confeſſionem rejiciebat, ut ex parvo ejus Catechiſmo liquet, quem omnes ejusdem Sectatores unanimi ſuffragio acceptant, in quo diſertis verbis aſſerit: *Coram Deo debemus nos reos agnoſcere peccatorum occultorum; coram Miniſtro oportet tantum ea confiteri, quæ cognoſcimus, & ſentimus in corde.*

§. XXIX.

Lutheri liber contra Latomum.

Sleid. in com. l. 3. p. 76. Sub idem tempus Lutherus librum confutare aggrediebatur, quem Jacobus Latomus Lovanienſis Univerſitatis

tis Theologus, ejusdemque urbis ad D. Petri Canonicus eo fine conscripserat, ut censuram in hujus hæretici libro a Lovanienſi Facultate latam defenderet. Sæcul. XVI. A.C. 1521

Cochl. ann. 1521. p. 43.

Denique in eodem receſſu prætenſæ reformationi ſuæ ultimam manum admovit, ubi haud ultra modeſtiæ limitibus ſe cohiberi patiebatur, uti tamen initio fecerat, eoquod tunc, ut ajebat, Papatus errores nondum plene depoſuiſſet. Præterea ſcripſit prolixum admodum de votis monaſticis tractatum, quem Patri ſuo inſcripſit, docuitque, quod ejusmodi vota omnino nulla eſſent, cum libertati Filiorum Dei directe opponerentur. Hæc iniqua prorſus doctrina omnium vitiorum licentiæ januam aperuit, ac plura Germaniæ monaſteria vaſtavit; Religioſorum enim quamplurimi ſacrilega inierunt connubia, ſuoque exemplo, quod & ipſe aliquot poſt annis ſecutus eſt, Luthero præluxerunt.

§. XXX.

Colloquia Lutheri cum Diabolo.

Inſuper edidit librum *de abroganda Miſſa privata* ad Fratres ſuos Auguſtinianos Cœnobii Wittembergenſis directum, in quo iſtos adhortatur ad invictum animi

Sæcul. XVI A.C. 1521.

nimi robur, ac constantiam, eosque de Principis ac Electoris Saxonici præsidio securos esse jubet. Hic enim, inquit, Princeps est prudens, ac sapiens, veritatis amator, nec temere ad quævis credenda proclivis. In eodem tractatu Lutherus celebrem illam, quam cum diabolo de abrogandis Missis privatis habuisse credidit, disputationem his verbis recenset. *Contigit mihi semel sub mediam noctem subito expergefieri, ibi Satan mecum cœpit hujusmodi disputationem. Audi, inquit, Luthere, Doctor perdocte. Nosti etiam, te per quindecim annos celebrasse Missas privatas pene quotidie? Quid si tales Missæ privatæ horrendæ essent Idololatriæ. Quid si ibi non adsuisset Corpus, & Sanguis Christi, sed tantum panem & vinum adorasses, & aliis adorandum proposuisses? Cui ego respondi, sum unctus Sacerdos, (*) accepi unctionem & consecrationem ab Episcopo, & hæc omnia feci ex mandato, & obedientia Majorum. Quare non consecrassem, cum verba Christi serio pronuntiarim, & serio Missas celebrarim? Hoc nosti. Hoc totum, inquit diabolus, est verum, sed Turcæ, & Gentiles etiam faciunt in suis templis omnia ex obedientia, & serio*

Hist gest. in Eccl. mem. Ant. de la Bizz. ad an. 1521.

Inter opera Luth t. 7. tract de Miss priv. fol. 236. & seq.

(*) *Lutherus Mense Aprili anno* 1507. *sacro Presbyteratus Ordine initiatus, secunda Maji primum Sacrum celebravit.*

ſerio Sacra ſua faciunt, Sacerdotes Jero- Sæcul. XVI.
boam faciebant etiam omnia certo zelo & A.C.1521.
ſtudio contra veros Sacerdotes in Jeruſa-
lem. Quid ſi tua ordinatio & conſecratio
etiam falſa eſſet, ſicut Turcarum, & Sama-
ritanorum falſi Sacerdotes, falſus & impius
cultus eſt? „ Dic quæſo, quando priva-
„ tam celebraſti Miſſam, ſolusque Sa-
„ cramentum ſumpſiſti, nec illud aliis
„ communicaſti, nonne contra Chriſti
„ Inſtitutionem egiſti? Quare tu tuique
„ ſimiles non itidem docetis, quod qui-
„ libet ſeipſum baptizare poteſt? Qua-
„ re matrimonium dici non deberet, ſi
„ quis ſe ſecum ipſo deſponſat? qua
„ ratione fieri poteſt, quod tu pro te
„ ſolo hoc Sacramentum conficere ve-
„ lis? „ His ſubjunxit Lutherus, quod
hiſce argumentis ac rationibus devictus
Diaboli conſilio acquieverit, „ non enim,
„ inquiebat, diffiteri poſſum, quod hu-
„ cusque peccaverim, nec etiam nega-
„ re valeo, quod peccatum meum fue-
„ rit graviſſimum, minus vero inficias
„ ire poſſum, quod mortem & damna-
„ tionem promerear. „

§. XXXI.

Wittembergenſis Univerſitas ab Electore Saxonico circa Miſſam conſulta.

Hunc Lutheri librum Wittembergen-
ſes

Secul. XVI. A.C. 1521.

ſes Auguſtiniani eo lætiori animo excipiebant, quod ipſi inſtigante Carolſtadio jam ante Miſſas privatas abrogaſſent. Verum Fridericus Saxoniæ Elector in amplectendo hoc errore tardior erat, veritus, ne ejusmodi auſus ingentes in ditione ſua tumultus excitarent, quapropter omnes Wittembergenſis Academiæ Doctores convocabat, eorum ſententiam rogaturus. Deputantur igitur ad illum ab Univerſitate quatuor Theologi, Juſtus Jonas, Philippus Melanchton, Nicolaus Ambsdorfius, & Joannes Dœlz de Veltkirch, qui habito frequentius cum Auguſtinianis colloquio tandem Friderico exponebant, quod Miſſæ privatæ in magnam Cœnæ Dominicæ injuriam cederent, proin rogare ſe ajebant, ut illas non modo in una ſola Eccleſia, ſed in omnibus ſtatibus ſuis abrogaret, ac revocaret veterem Cœnæ uſum juxta Chriſti Domini præceptum, & Apoſtolorum conſuetudinem, audacter ergo contemnat opponentium probra, ac perpendat, quod cunctis, quibus ſanam Evangelii doctrinam tueri cordi eſſet, multa toleranda inſtent: hinc ſingulare beneficium, quod a Deo accepturus eſſet, grato animo recipiat, prompteque arripiat occaſionem adeo propitiam, qua Evangelii

Sleid in com. l. 3. p. 77.

gelii lucem inter ſubditos ſuos revocare poſſet. Sæcul. XVI. A. C. 1521.

His repoſuit Elector, Ego quidem ad amplectenda ea, quæ pietatem concernunt, ſemper paratus ſum, aſt id, quod conſulitis, non minus difficilis, quam ſummi momenti res eſt, non ergo præcipiti utendum conſilio arbitror; quippe ad introducendum novum morem ſoli quatuor doctores vere non ſufficiunt, ſed a majori ſuffragantium numero nonniſi poſt maturam deliberationem res, de qua agitur, decidenda eſt, ſi vero cauſſa, quam defenditis, S. Scripturæ teſtimonio innititur, plures eidem & nobis ſuffragaturos, haud dubito, tuncque hæc mutatio, quam petitis, ac pietate plenam, imo & neceſſariam cenſetis, non ſine magna utilitate, & absque obſtaculis ſtabiliri poterit. His addebat, non equidem Sacræ paginæ ſcientiam profiteor, mihique tempus, in quo Miſſæ privatæ uſus, quem condemnatis, in Eccleſiam introductus fuit, incognitum eſt, id tamen perbene ſcio, plures Eccleſias, pluraque monaſteria eo conſilio condita, ac prædiis, certisque reditibus eo fine fuiſſe ditata, ut in illis ejusmodi Sacrificia fierent; ſi igitur pinques hi provertus Eccleſiis, Cœnobiis ac Beneficiariis hunc in finem relicti aufferentur, proin Miſſæ haud amplius

Sæcul. XVI A.C. 1521.

amplius celebrarentur, horrendi prorsus inde tumultus exorientur, quorum solus ego Auctor exstitisse proclamabor. Illud igitur meum est consilium, ut re cum præcipuis Academiæ ac Cleri membris prius discussa, doctrina ac probitate magis conspicui totum negotium tanta moderatione deciderent, ut sollicite omnes tumultus, scissiones, ac seditiones in populo præcaveantur.

§. XXXII.

Missæ privatæ a Wittembergensibus abolitæ.

Sleid. l. c. l. 3. p. 77.

Ergo Deputati, postquam cum ceteris sui Ordinis Doctoribus hac super re deliberationem habuerant, postera die, quid consilii cepissent, ad Electorem retulerunt, dicentes: una nostrum omnium opinio est, Missas privatas omnino abrogandas, idque absque strepitu effectui dari posse, si vero præter expectationem turbæ suscitarentur, nihilominus rem esse aggrediendam censemus; adeo enim enormis hac in re corruptela invaluit, ut illam tollere, omnino necessarium sit; nec novum videri debet, quod nonnulli exurgant, qui sese rei sanctæ ac honestæ constitutioni opponent; jam enim ab exordio mundi plebis multitudo sanæ doctrinæ restitit, nec

deerunt

deerunt tamen, quibus ex ſpeciali Dei beneficio datum, ut legitimum Cœnæ Dominicæ uſum approbent, ac recipiant; ſubjungebant iidem etiam, quod Miſſæ ritus a ſacris literis præſcriptus adeo manifeſte a privati Sacrificii uſu differat, ut longior deliberatio prorſus ſupervacanea exiſteret: præterea congregationes, ac ſocietates nec ideo reditibus ac poſſeſſionibus auctæ fuerunt, ut certum Miſſarum privatarum numerum celebrent, ſed ut juventutem ſcientiis, ac pietatis ſolidæ inſtitutis imbuant, unde iidem proventus tam Magiſtris, quam ejusmodi Diſcipulis aſſignari, atque ad pauperum ſubſidia impendi poterunt; denique Electori ſuggerrere haud dubitabant, quod hic uſus usque ad S. Bernardi ætatem in Eccleſia viguerit, ac primum quadringentis abhinc annis turpis iſte Miſſarum quæſtus invaluerit, proin omnino extirpandus ſit; quo magis enim, ajebant, hæc profanatio feneſceret, eo minus toleranda eſſet; ſuſcitabit equidem hæc mutatio quosdam tumultus, id tamen nequitiæ duntaxat illorum adſcribendum venit, qui pietatis oſores repugnante etiam ipſa conſcientia ob lucri jacturam veritatem impugnant. Placuit Electori horum reſponſum, ac propterea Miſſæ privatæ primo in Wittembergenſi civitate, ac

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

Sæc. XVI A C 1521.

paulo post in omnibus Saxoniæ ditionibus abolitæ sunt. Ex hujusmodi ausibus haud obscure colligebatur, quod Caroli V. edictum quantumvis severissimum periclitanti Religioni parum succurreret, nec hæresis progressus in Germania ullatenus sisteret.

§. XXXIII.

Initia belli inter Carolum V. & Franciscum I.

Interea Carolus V. die vigesima quarta Aprilis Wormatiensia solvebat comitia, priusquam vero ipsus inde in Flandriam emigraret, Sedis Apostolicæ Nuncium impense rogabat, ut datis literis summum Pontificem certiorem redderet, a se Legatos Romam mittendos, qui pro se ad Neapolis Regnum diploma obtinerent. Exposuit Carolo Nuncius, summum Pontificem, ut Cæsaris precibus annueret, minus propensum esse. Percepto hoc responso; *ergo, ipsus*, inquit, *Romæ Papam adibo, ac quadraginta armatorum millibus stipatus mea eidem offeram obsequia.* (*) Ejusmodi

(*) Ejusmodi verba a piissimo Cæsare fuisse prolata, valde dubitamus, ubi nec unicum a Continuatore testem allegatum videmus, ac ceteri

di reſponſum Leo, ubi percepit, ægerrime ferebat; cum vero in feſto S. Petri ſolitum eidem tributum offerretur, placatus Cæſari in Neapolis Regnum inaugurationis diploma additis etiam novis privilegiis tranſmiſit. Sæcul. XVI. A.C. 1521.

Sub idem tempus priſtina Carolum inter & Galliæ Regem ſimultas revixit, adeo, ut utrinque ad arma deventum. Hujus diſſidii cauſſam Guicciardinus in Leonem Pontificem conjicit, eoquod jam cum illo, jam cum iſto de ſocietate agere cæperit, ſed præprimis cum Gallo, quem faciliorem ſciebat. (*) *Guicc. l. 14.*

§. XXXIV.

---

ceteri Scriptores, Natalis Alexander, Paggius, Odoricus Raynaldus, Bzovius, Spondanus, Palatius &c. altum de hoc tenent ſilentium.

(*) Spondanus ad annum 1521. num. 6 ita hanc in rem diſſerit: *Præcipuam diſſidii cauſſam Guicciardinus libere ſemper ſuſpiciones ſuas vero admodum ſimiles promere ſolitus, in Papam conjicere non dubitavit, qui ſcilicet ſive aliis cogitationibus pro utilitate Eccleſiæ Romanæ ductus, ſive nominis ſui gloria, ſive ut utrumque Regem Italia pelleret, eos inter ſe committere neceſſarium exiſtimans, cum utroque de ſocietate agere cæperit, ſed arctius cum Gallo, quem faciliorem ſciebat.* Veras autem diſſenſionis cauſſas apud eundem enarrat Bella-

Secul. XVI. A. C. 1521.

§. XXXIV.

Franciſci I. molimina in Navarræ Regnum.

Igitur Rex pacta armorum ſocietate cum Henrico VIII. Angliæ Rege protinus Navarræ Regnum bello aggredi conſtituit. Opportune favebat ejus conſiliis mota in Cæſarem conjuratio; tota enim ferme Hiſpania ſeditione exarſerat, jamque plurimæ, juxta ac nobiliſſimæ urbes a Caroli fide defecerant; Acceſſit etiam, quod Hiſpaniæ Rex in Noviodunenſi fœdere pollicitus eſſet, ſe infra quadrimeſtre Henrico Albreto Navarram redditurum, ita quidem, ut tunc ſi fidem falleret, Franciſco Galliarum Regi integrum foret, ad recuperandum hoc Regnum Henrico ſuppetias ferre, quam tamen conditionem non adimpleſſet Carolus. Præterea ambo Hiſpaniæ

jus, præter Palatium in Carol. V. num. 78. & in Leon. fol. 797. ac Bzovium num. 27. qui Leodienſem Epiſcopum Gallorum Regis præſidio ac pecunia fretum Carolo Wormatiæ palam bellum denunciaſſe, ac inde Pontifici ingentem dolorem acceſſiſſe refert, eo quod Cæſar ejusmodi turbis diſtraheretur, ne cauſſam fidei Catholicæ etiam armis tueri posuerit. *Vide infra* §. 38.

ſpaniæ Rectores, ut exercitus contra rebelles deſtinati vires augerent, ex Pampelonenſi, aliisque Navarræ urbibus præſidia eduxerant. Sæcul. XVI. A.C. 1521.

§. XXXV.

Tota ferme Navarra ab Aſparro ſubacta.

Secundo hoc rerum concurſu animatus Galliarum Rex, ineunte Menſe Martio hujus anni Andream Fuxium Aſparrum Lautreci Mareſcalli fratrem cum exercitu in Navarram miſit. Hic cum ſuis ſtrenue procedere juſſis, cum regnum milite vacuum reperiret, præprimis S. Joannis Pedoportuenſis oppidum, quod veluti regni clavis erat, in ſuam poteſtatem redegit. Accepto hoc nuncio Najarrus Dux Regni Pro-Rex die decima ſeptima Maji Pampelona exceſſit, nonnulli tamen Nobiles Hiſpani ad arcem confugerunt, illam quamdiu poſſent, obſirmato animo propugnare parati. Hos inter celebris quoque Ignatius Loyla, patrio nomine Inigo dictus numerabatur, qui Ogneſii ac Loiolæ Dynaſta inter Jupuſcanos nobiles facile princeps erat. *Petrus de Angl. ep. 722*

Interea Aſparrus quindecim dierum ſpatio totam ferme Navarram armis ſubegit, quam ſorte Cæſar ægre recu-

Sæcul. XVI A C. 1521

peraſſet, ſi victor diutius ibidem moram traxiſſet; aſt vel aucupandæ gloriæ cupidus, vel Regis Domini ſui commoda procurandi ſtudio abreptus, Jupuſcanam invaſit Provinciam, ibique Lugrunium obſidione cinxit. Re comperta Hiſpaniæ Rectores quantocius, quot quot poterant, copias contrahebant, ut Gallos, qui Navarra haud contenti, Hiſpaniam quoque ſibi ſubjicere parabant, totis viribus propulſarent. His quoque ſuas jungebant copias ipſi etiam ſeditioſi, qui nuper acceptata veniæ gratia ad Caroli Regis obſequium redibant, quorum olim caput erat Petrus Giron, jam nunc hujus exercitus Dux.

§. XXXVI.

Galli ab Hiſpanis cæſi, ac Navarræ Regno pulſi.

Joan. Ant. de Vera hiſt. de Charles V. p. 86.

Interea Aſparrus Lugrunii obſidioni intentus nuncium accepit, quod exercitus ſuo longe ſuperior appropinquaret, quapropter ſeſe Pampelonam verſus recipere contendit, aſt cum Hiſpani ejus adventum prævenirent, utraque acies in agro Scirano nonniſi una leuca a Pampelona in conſpectum venit; unde utrinque certaminis neceſſitas inſtabat; ac ſub primis pugnæ auſpiciis Aſparrus ſecunda uſus fortuna, primos Hiſpa-

Hiſpani equitatus ordines perrumpebat, verum cum Caſtellæ Admiralis opportune auxilium ſuppeditaret, cæſi ſunt Galli, deſideratis ſuorum quatuor millibus, ipſoque Aſparro capto. Contigit hæc clades die trigeſima Junii, quam totius Navarræ regni jactura ſequebatur, Hiſpanis illius poſſeſſionem majori, quam Galli ceperant, celeritate recuperantibus. Doluit vehementer Galliarum Rex, quod non modo exercitum ſuum infauſta hac expeditione fatigaverit, ſed etiam Carolo Cæſari, quæ adverſus eum conſilia moliretur, manifeſta fecerit, interceptis quibusdam literis, quæ Aſparro ereptæ fuerant. Sæcul. XVI. A.C. 1521.

§. XXXVII.

Robertus de la Marck ſeu Marchianus a Galliarum Rege in Cæſarem concitatus.

Eodem tempore, quo Franciſcus I. Galliarum Rex Navarram infeſtis armis opprimi juſſerat, Robertum Marchianum Sedani & Buillonii Dominum ad ſeditionem contra Carolum V. concitavit. Nec dudum deerat quæſita belli occaſio; Chimacenſis enim Princeps ex Crojorum Familia ortus cum Aimerio Barone capitali horum inimico de

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

urbe Hierga in Arduenno agro sita judicio contendebat, quam etiam Robertus per Ducatus sui Proceres Chimacensi adjudicabat. Aimerius, postquam caussa cecidit, a Cæsare prosequendæ appellationis diploma petiit, obtinuitque, quo eidem datum, ut Chimacensis Principis liberos in judicium coram Brabantiæ Cancellario ad hoc negotium deputato vocare posset. Robertus Marchianus pupillos, quorum Tutor erat, ibi comparere jussos, ac supremum (ut contendebat) Buillonii imperium labefactatum indignatus, quosdam ad Cæsarem ablegabat, qui jus suum defenderent; cum vero Carolus ejusdem postulatis annuere recusaret, Robertus Gallorum partibus sese addixit, ac Remorantini Franciscum Regem adiit, a quo perbenigne exceptus, ejusque præsidio inflatus, Cæsarem missis literis ad pugnam provocavit, ac Fleurangium filium suum natu majorem cum quatuor, aut quinque armatorum millibus præmisit, ut Virtonum Lucemburgensis Provinciæ urbem Carolo V. subditam obsideret.

Mem. du Bellay l. 1.

§. XXXVIII.

Caussa dissidii inter Carolum V. & Franciscum I.

Ex hac agendi ratione haud obscure per-

perſpexerat Imperator, quod Fran- Sæc. XVI.
ciſcus I. ſtudioſe jurgia ſuſcitare quæ- A.C.1521.
reret, ut priſtinam cum eo amicitiam ſolvendi obtentum haberet, quibus acceſſit jam nota de Regno Navarrenſi contentio: his igitur de cauſſis brevi ambo Principes in aperta eruperunt disſidia. Equidem Angliæ Rex pacem conciliaturus Legatum miſit, qui Galliarum Regem admoneret, ne adverſus Cæſarem quovis pacto hoſtiles auſus exerceret. Aſt Franciſcus tunc *Sacro-Cæſare* agens, Legato repoſuit: Non ego belli Carolum inter & Marchianum auctor ſum, quinimo ſubditis meis prohibebo, ne Roberti ſtipendia mereantur, jubebo etiam, ut idem litem ſuam cum Aimerio Barone dirimat, quin armis Cæſarem invadere præſumat. Enimvero ad Regis juſſa Fleurangius exercitum ſuum dimiſit, & Franciſcus I. Montpeſatum ad Angliæ Regem eo conſilio ablegavit, ut cum illo de pace inter Imperium, & Franciam firmanda ageret; eodem tamen tempore Pontificem ſollicitavit, ut junctis cum eo viribus, ac inito fœdere Neapolis Regnum invaderet.

Secul. XVI. A. C. 1521.

§. XXXIX.

Franciſci Regis conſilia de fœdere cum Papa ineundo.

Quamvis forte ejusmodi fœdus ſummo Pontifici minus diſpliceret, de ſincero tamen ejusdem animo dubitandi locus eſt; facile enim proſpicere potuit, nullatenus e re ſua fore, quod idem Rex, qui jamjam Mediolani Ducatum poſſidebat, ſimul etiam Neapolis Regnum ſibi ſubjiceret. Nihilominus mutuæ ſocietatis articuli eriguntur, quorum præcipuus erat, ut communibus expenſis Neapolis Regnum expugnaretur, ea tamen lege, vi cujus omnes ditiones, quæ Umbriæ, Spoleti, & Anconæ Provinciis, necnon Lyri fluvio interjacent, ſtatui Eccleſiaſtico rurſus conjungantur, reliqua vero Regni pars dato hanc in rem inveſtituræ diplomate cedatur ſecundo genito Regis Franciæ filio, qui quoque Henricus nuncupetur; cum vero hic nonniſi unum ætatis annum ageret, Cardinalis Legati, qui Neapoli ſedem ſuam figeret, tutellæ committatur, donec juvenis Princeps decimum quartum ætatis annum attigiſſet. Cum vero ſummus Pontifex nuper Ballionium capite truncari juſſiſſet, ut adverſus Filiorum, qui Patris ſui mortem

mortem ulciſci moliebantur, inſultus ſecurus eſſet, inſuper cavebatur, ut Mediolanenſium copiæ ad debellandos Sedis Apoſtolicæ hoſtes deſtinarentur. Præterea Galliarum Rex daturum ſe operam pollicebatur, ut etiam Veneti huic fœderi accederent. Aſt ejusmodi ſocietatis pacta utrinque firmari, Rex parum ſollicitus erat, ſive quod in expugnando Neapolis regno ſerio a Papa juvari diffideret, ſive quod aliis forte negotiis diſtentus eſſet. Sæcul. XVI. A.C. 1521.

§. XL.

Fœdus a Papa cum Cæſare adverſus Gallos initum.

Profuit hæc Regis cunctatio Pontifici non minus ac Cæſari, qui a Papa Neapolitani Regni diploma obtinuit, eo pacto, ut quotannis in Feſto S. Petri ſepties mille ſcuta Romana tributi nomine penderet, quibus ita ſancitis ſummus Pontifex cum Carolo Cæſare fœdus percuſſit, cujus præcipui articuli erant ſequentes. I. Papa & Imperator bellum conjunctis viribus in Gallos moveant, ut eos e Mediolanenſi Ducatu expellerent, & Franciſcum Sfortiam, qui Tridenti exulabat, ſuo imperio redderent. II. Parma & Placentia Sedi Apoſtolicæ a Gallis ereptæ ſummo Pontifici

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

tifici reſtituantur. III. Mediolanenſes incolæ nullo alio ſale utantur, quam ex ſalinis Cerviæ, quæ erat ditionis Eccleſiaſticæ urbs. IV. Cæſar in occupanda Ferraria Pontifici auxilium præſtet. V. Regni Neapolitani tributum Pontifici a Cæſare pendendum augeatur. VI. Imperator Medicæam Domum protegat. VII. Ex Archiepiſcopatus Toletani proventibus Medicæo Cardinali decem millium ſolidorum penſionem aſſignet. VIII. Denique Alexandro Medicæo ultimo Urbini Ducis Notho in Neapolis Regno Principatus, ex quo totidem aureorum nummum millia perciperet, promittatur. Hæc pacta taciturnitate ſumma premebantur.

§. XLI.

Caroli V. querelæ adverſus Franciſcum I.

Haud diu viguit concordia, quam Anglorum Rex Cæſarem inter & Galliarum Regem conciliaverat, prævalente animorum exacerbatione, ob quam eorum neuter iræ ſuæ temperare poterat. Præprimis utrinque publica evulgabantur edicta, quibus ambo juſtas querendi cauſſas ſubditis ſuis manifeſtabant. Inter ceteras Imperator duas allegabat injurias, quibus Maximilianum a Carolo

lo VIII. Galliarum Rege affectum contendebat. Harum prima erat, quod Carolus Margaritam Maximiliani Filiam sexto post firmatum connubium anno ad suos remisisset, ac ne hac quidem contumelia contentus, insuper (quod & alterum conquerendi caput erat) non sine nova ignominia Annam de Brittannia eidem Maximiliano, cui jamjam desponsata erat, violenter surripuisset. His præterea addidit Cæsar, questus, I. quod Franciscus I. Claudiam Ludovici XII. Regis filiam natu majorem duxisset, quamvis eam Cæsari in matrimonium dare promisisset; II. quod Ludovicus XI. Burgundiæ Ducatum Mariæ de Burgundia Aviæ suæ per summum nefas eripuisset, ac Ludovicus XII. nil intentatum reliquisset, ut inter Carolum Cæsarem & Ferdinandum Catholicum, suum ex linea materna Avum dissidia suscitaret, eundemque compulisset, ut ejus neptin Germanam Gastonis Comitis de Fuxo filiam secundis nuptiis sibi copularet, ea conditione in pactis connubii Anno millesimo quingentesimo quinto inserta, ut in liberos, si quos ex suo thoro suscepturus esset, in Neapolis Regno succedendi jus transferret. Ultimo tandem Gallis exprobrabat Carolus, quod Franciscus I. nuper Mediolani Ducatum usurpasset, qui tamen

Sæcul. XVI. A. C. 1521.

Sæc. XVI. A.C. 1521.

tamen Sfortiæ ac Imperio obnoxius eſſet, eoquod conditionibus, a quibus illius dominium pendebat, non adimpletis, inaugurationis diploma haud amplius valeret, vi cujus tamen ſolius Galliarum Rex tunc Ducatum ſibi vendicare poſſet.

§. XLII.

Mutuæ Franciſci I. de Carolo Cæſare quærelæ.

Nec ſuæ Franciſco deerant querendi cauſſæ, ac primo quidem violatam duplicis promiſſi fidem opponebat, eique exprobrabat, quod in Noviodunenſi tractatu cautum fuiſſet, ut Navarræ Regnum Henrico Albreto redderetur, data centies mille aureorum penſione, hacque ſub lege, Franciſcus omnibus juribus ſuis in Neapolis regnum ceſſiſſet; Carolus tamen hucusque ſinceri Viri partes explere, datamque fidem liberare parum fuiſſet ſollicitus, quinimo non modo ſemeſtre, quod ad ſolvendam promiſſi fidem concedebatur, præterlabi permiſiſſet, ſed etiam nequidem admonita, quæ pactis utrinque firmatis per duos vel omnino tres annos iterata fuerant, unquam reſpondere voluiſſet. Alterum, de quo Galliarum Rex conquerebatur, erat, quod Carolus ob Flandriæ

driæ & Artheſiæ Comitatus Franciſco clientelare obſequium præſtare recuſaverit, & quamvis jam olim ſeſe eidem obnoxium eſſe profeſſus eſſet, nunc vero ea duntaxat ex cauſſa (ut inquiebat Rex) ſeſe ſubjicere renueret, quod ejusmodi ſubjectio Imperiali Majeſtati parum congrueret, ac omnino adverſaretur. Sæcul. XVI. A.C. 1521.

§. XLIII.

Belli initia Caroli V. adverſus Franciſcum I.

Tandem a verborum contentione res brevi ad armorum violentiam devenit: quamprimum enim Carolus V. fœdere nuper inito de Pontificis auxilio certus erat, Henricum Naſſoviæ Comitem in Robertum Marchianum movere juſſit, moxque Henricus in Bullionenſi Ducatu quatuor aut quinque urbes occupavit, & Nivellum Logniæ Gubernatorem, ac viginti ferme præſidiarios Meslancurtii laqueo ſuſpendi curavit, ac demum Bullionenſi urbe per civium proditionem occupata Gernacum ſecundum Roberti Marchiani filium captum Namurcum abſtraxit. His victoriis contentus Imperator, ſex ſeptimanarum inducias Roberto indulſit; verum Caroli copiis indies auctis Franciſcus

Sæcul. XVI. A. C. 1521

ciscus I. suspicari cæperat, Cæsarem castigato licet Bullionio Duce nequaquam tamen arma positurum. Nec sua eum fefellit opinio; quippe Liquesii Domino datum erat negotium, ut Moritaniam & S. Amandi oppidum expugnaret, quæsito expeditionis obtentu ex lite inter Liquesium, & Borbonium Cardinalem Sancti Amandi Abbatem exorta: Igitur Moritania urbe in deditionem accepta Flandriæ Gubernator Tornacum obsidione cinxit.

Mortagne

§. XLIV.

Franciscus I. apud Angliæ Regem questus.

Hos armorum successus Franciscus Galliarum Rex belli, quod sibi nunciaretur, præludia fore censebat; quapropter Henrico Anglorum Regi, qui nuper pacis conciliatorem egit, exponi curabat, se ad arma adversum Cæsarem capessenda compelli; nil enim propius esse, quam ut ab eo armis peteretur. Francisco reposuit Henricus, pacem, si desideras, in tuo arbitrio positam scias, honestis, quas Carolus V. proponit conditionibus, aures præbeto: si vero ineunte Mense Augusto ambo vestros Legatos plena agendi facultate instructos Caletum mittere velitis, & ego Volsejum,

jum, qui nomine meo pacem conciliabit, eo decernam. Placuit summopere Cæsari hoc Regis consilium, prosperum inde successum sibi pollicitus, eoquod Volsejum Cardinalem sibi propensum nosset. Nec Galliarum Rex propositum colloquium rejicere audebat, quamvis aliunde agendi ratio, quam Angliæ Rex tenebat, jure sibi parum probata esset: necdum tamen cognoverat, Volsejum Cæsaris partibus ex integro addictum esse. Ergo inter eos convenit, ut Cæsaris nomine Cattinara Cancellarius, pro Galliarum Rege Pratus Cancellarius, & Selva Præses unacum Apostolico Pontificis nuncio & Cardinale pacis conciliatore Calletum mitterentur, illucque omnes ad diem quartum Mensis Augusti præsentes adessent. Sæcul. XVI. A. C. 1521.

§. XLV.

Colloquium Calletense circa dissidia Carolum inter & Franciscum.

Tempore ad colloquium præstituto Delegati plena facultate instructi una omnes Calletum venerunt. Discutiebantur ibi jura Cæsarem inter & Franciæ Regem per Cattinaram & Pratum Cancellarios summa cum solertia ac integritate: ubi vero rem decidere opor-

Sæcul. XVI A.C. 1521.

tuiſſet, neuter juri ſuo cedere volebat: Imperator enim Burgundiæ Ducatum, eoquod maſculis nullatenus clientelari lege debitus eſſet, ſibi reddi conſtanter poſtulavit, contenditque, ſibi quoque ſupremum Flandriæ & Artheſiæ dominium deberi; cum Cæſarea, ut ajebat, Majeſtate indignum foret, ſi alterius imperio ſubjiceretur. Ex adverſo Pratus continuo Cæſaris Legato reponebat, quod tres hæ ditiones avelli non poſſent, quin præcipua Gallicæ Monarchiæ lex penitus everteretur, ſi vero id fieri tandem valeret, nihilominus tam magna a Cæſare exigi haud poſſent, niſi Gallia ejus armis penitus profligata. Ob haſce verborum contentiones colloquium effectu caruit, & aliunde ex Cardinalis Volſei conſiliis haud obſcure colligebatur, non eo illum animo illuc veniſſe, ut pacem inter contendentes ambos Principes procuraret, ſed potius, ut Cæſaris partibus ſeſe addicendi obtentum Regi Domino ſuo ſuppeditaret.

§. XLVI.

Muſomum a Cæſaris exercitu obſeſſum, captumque.

Cum interea Calleti ultro citroque verbis irrito prorſus conatu litigaretur,

retur, Naſſoviæ Comes, qui in Buillionii Ducis ditionibus caſtra metabatur, trajecta Moſa Muſomum cinxit. Urbs eſt in Campania ambitu ſuo quidem exigua Lucemburgum verſus Sedanum inter & Stenæum ſita, loci tamen opportunitate valde celebris, ac proficua: Cum vero Montmortius illius Præfectus milite præſidiario deſtitutus eſſet, Cæſaræi exercitus potentiæ reſiſtendo impar deditionem facere compellebatur. Ipſus ergo cum ſuo Locumtenente Naſſoviæ Comitem adiit, hic vero improvida eorum fiducia abuſus illos detinuit, donec præſidiarii penitus urbe exceſſiſſent, quo facto Cæſarei Aubantonium, ignobile quoddam oppidum deprædabantur, ac connivente Comite Naſſovienſi in omnem licentiam effundebantur. ſæcul. XVI. A. C. 1521.

§. XLVII.

Maceriaca a Cæſareis obſeſſa, ac liberata.

Primis hiſce victoriarum auſpiciis Comes animo erectus, Maceriacam quoque exiguo ſuorum diſpendio occupare ſperabat. Pariter hæc civitas in Campania ad Moſam Sedano & Carolopi interjacebat cuidam ferme inſulæ impoſita, quam amnis alluens hinc col-

Sæcul. XVI A.C. 1521

le, illinc valle includit. Propugnabat illam cum ducentis equitibus, ac duobus recentis militiæ millibus Bajardus Eques magnæ ſpei juvenis ex Illuſtri domo Tarilla & Anna Morentiaca progenitus. Verum ad primos Cæſareorum incurſus altera hujus præſidii pars per urbis portas fuga dilapſa eſt, ceteri per muros ſeſe præcipites dederunt: ſuorum tamen ignavia Bajardi animus adeo non frangebatur, ut & copiarum defectum ſupplente illius fortitudine, Galliarum Regi ſuppetias ferendi ſpacium præberet: Poſtquam igitur auxiliares hæ copiæ opportuno admodum tempore ductore Franciſco Montogomerio Leonicæ Toparcha advenerant, Seguineus, qui Cæſarei exercitus parti cis Moſam caſtra metanti imperabat, trajecto flumine vires ſuas Comiti Naſſovienſi jungere feſtinabat; cujus repentini conſilii cauſſam præbebat cujusdam ruſtici captivitas, qui a Cæſareis interceptus epiſtolam habebat velut a Bajardo ad Robertum Marchianum directam.

Hiſt du Cheval. Bajard. c. 63.

Lorges

Scribebat commentitius iſte Bajardus hunc in modum: Notum tibi ſit, Naſſoviæ Comitem firmo conſtituiſſe animo, ut relictis Caroli vexillis Gallorum partibus proxime accederet; hinc rogo te, urgeas illum, ut quantocius conſilium

consilium suum exequatur; duodecim enim Helvetiorum millia Seguinei castris instant, ea eversuri. Igitur Gallorum suppetiæ hanc rerum vicissitudinem in rem suam vertentes urbem præsidio vacuam ingrediebantur, quo comperto Nassovius obsidione soluta ad Namurcensem Comitatum sese recepit. Sæcul. XVI. A.C. 1521.

§. XLVIII.

Gallorum victoriæ in Belgio.

Paulo post S. Pauli Comes Musomum recuperavit, ac tota demum Campania hostili exercitu purgata Franciscus I. copias suas in Belgium duxit, ubi Cæsarei Tornacum assidua obsidione premebant. Præprimis Vindocinensis Dux Balmam, Landrecium, & Bunium urbes toto unoque impetu aggressus est, captasque solo æquavit: Cum vero Cæsar exercitum suum ad Valentianas duceret, Rex strenue hostem suum insequi atque ad prælium provocare statuit; ad id tamen obtinendum oportebat superare Scaldim, quam ob rem Rex quantocius Comiti S. Pauli negotium dedit, ea parte, quæ Bunio subjacet, flumen ponte jungeret. Hujus consilii executionem, ut impediret Nassoviæ Comes, nulla mora accurrebat, mille ducentis peditibus, ac duobus mil-

Sæcul. XVI A. C. 1521.

libus equitum stipatus. Verum Nassovienſem prævenit Comitis ſolertia; quapropter ille toto, quod adhibuit, ſtudio plus efficere non potuit, quam ut reliquam Gallici exercitus partem tranſitu prohiberet, demum vero ipſemet haud parum ſollicitus erat, quomodo exercitum ſuum ſubduceret, cum is nonniſi tertia leuca a Gallorum occurſu diſtaret. Hoc autem ut eluctaretur periculum, octingentos præmiſit equites, dato negotio, ut eo in loco, qui Comiti S. Pauli vicinior eſſet, aciem latius diſtenderent, ibique firmo pede perſiſterent, donec peditum agmina caſtra moviſſent.

§. XLIX.

Cæſareos profligandi occaſio a Franciſco Rege neglecta.

Sub idem tempus Borbonius Conneſtabilis quosdam Tribunos exploratum miſit, qui eidem nunciabant, hoſtem motis caſtris auffugere. Ergo habito mox belli Senatu decretum, ut primum Gallorum agmen ſeſe in octingentos illos Cæſaris equites effunderet, eorum peditibus a tergo inſtaret, & tamdiu fugientium iter præpediret, donec media ſimul ac poſtrema Gallici exercitus acies ſuppetias veniſſet. Hæc eadem

eadem quoque ſententia Trimollio, & Cabannio Mareſcallo inſederat, ac Helvetii etiam, quos ea die ipſemet Rex ducebat, ingentem pugnandi aviditatem teſtabantur: nec idem tamen placuit Caſtillonio Mareſcallo; dicebat enim, denſiſſimam eſſe nebulam, nec hoſtem ab amico diſcerni poſſe, in hac ergo incertitudine Regis vitam tanto diſcrimini haud exponendam. Annuebant ceteri, præpoſtero tamen ſucceſſu; amiſit enim Franciſcus occaſionem, qua bello vix ſuſcepto totum Cæſaris exercitum penitus delere potuiſſet; ſecundus quippe prælii eventus adeo certus erat, ut Imperator exercitus ſui cladem pertimeſcens primus Valentianas auffugerit. Sæcul. XVI. A.C. 1521.

§. L.

Fons rapidus a Bonniveto Admirali expugnatus.

In Hiſpania Bonnivetus Admiralis Fontem rapidum Regis nomine expugnavit, miſſoque nuncio Franciſcum hac de re certiorem reddidit, ſignificans, ſperare ſe, brevi oppidum quoque Sancti Sebaſtiani Gallorum armis ſubactum iri. *Mem. du Bellai l. x.*

Secul. XVI. A.C. 1521.

§. LI.

Miser Gallorum status in Italia.

Guicc. l. 14. Mem. du Bellai l. 1.

Minus prospera Gallis aspirabat Fortuna in Italia; quippe ibidem tam male Regis æraria administrabantur, ut militibus stipendia vix unquam solverentur, unde soluta militari disciplina, Mediolanenses pristinum, quo aliquamdiu in Gallos ferebantur, affectum exuentes, implacabili prorsus odio eos infectabantur. Jam tunc adversus civibus inerat animus, cum Lautrecus in Gallias abiisset, unicam Orvali Filiam ex asse hæredem sibi desponsaturus, Telinius tamen Rutenensis Senescallus, qui Trimollio absente Mediolani Gubernator erat, morum lenitate, ac humanitate sua incolarum animos rursum Gallis conciliabat: verum brevi officio suo movebatur, sollicitante Castri Brientii Comitissa, quæ turpibus Regis amplexibus assueta Lescunum Lautreci fratrem, qui alias Fuxius Marescallus dicebatur, in Telinii locum mitti procurabat. Ast novus ille Gubernator a Telinii modestia admodum alienus brevi omnium vilipensionem incurrebat, nam ob ingentem suam arrogantiam a Nobilibus passim contemptui habebatur, huic

huic acceſſit immodicus ejusdem luxus, cui, ut liberalius majorique cum ſplendore indulgere poſſet, ob levia etiam crimina opulentarum quarumdam familiarum bona fiſco addixit; quapropter ſingulis ferme diebus quidam in vincula conjici, alii exilio mulctari, alii ob minimas quasque ſuſpiciones bonis ſuis proſcribi cernebantur. Hos inter Hieronymus quoque Moronus Mediolanenſis Cancellarius, cum Gallis ſuſpectus eſſet, ex urbe pulſus, in urbem Tridentinam Cæſaris dominio obnoxiam ad Franciſcum Sfortiam ſeſe recipere cogebatur. Sæcul. XVI. A.C. 1521.

§. LII.

Moronus Cancellarius Mediolanenſium exulum Dux.

Moronus, ut armorum potentia ſibi reditum in patriam ſuam pararet, ſollicitante ſummo Pontifice, & Carolo Cæſare Mediolanenſium exulum, quorum ingens erat numerus, caput ſeſe conſtituit. Nec oblatum ſibi munus reſpuit Moronus, Leoni X. exponens, quod Gallos ex Italia pellendi medium magis expeditum haud ſuppeteret, quam ſi illi uno eodemque tempore in Mediolanenſi, ſimulque in Genuenſi ditione infeſtis armis obruerentur. Placuit *Guicc. lib. 14.*

Sæcul. XVI A. C. 1521.

Pontifici consilium, jussitque Guicciardinum Mutinæ ac Reggii Gubernatorem, ut Morono decem aureorum millia numeraret. His pecuniis auctus, tria armatorum millia conduxit Cancellarius, eo consilio, ut Cremonam ex insidiis caperet: Cum vero ad exequendam hanc expeditionem exules Busseti in Parmensi Ducatu ac in ditione Christophori Pallavicini convenirent, Lescunus rem edoctus, Cardinum ad Pallavicinum Cremonam ablegabat, eidem significans, ipsum perduellionis reum declarari, ni protinus exules ditione sua expelleret. Ast Pallavicinus Cardinum, ut ab eo captus abstraheretur, missum ratus, eundem occidi jussit: nihilominus tamen exules Buffeto pulsi, Reggium secessérunt, ubi Guicciardinus tutum illis asylum præbuit. Re comperta Lescunus confestim in eum cum quadringentis Lanceariis movit, sequente illum Alexandro Trivultio, qui Guelforum caput erat. Guicciardinus horum adventum præveniens, urbi sese inclusit, quam Lescunus quidem nulla mora adorsus est, spe concepta, se hoc pacto exules potestati suæ subjecturum. Verum spe sua frustratus die vigesima quarta Junii cum Guicciardino colloquendi copiam sibi concedi postulavit. Lubens annuit ille, atque

atque utrinque pro more ſecuritati cautum eſt. Sæcul. XVI. A. C. 1521.

§. LIII.

Reggienſe colloquium inter Guicciardinum, & Leſcunum.

Igitur Leſcunus comitante eum Trivultio ad oſtium propugnaculi, quod Parmenſi portæ jungebatur, proceſſit, conqueſtus, quod ſummus Pontifex Mediolanenſibus proſcriptis in Reggienſi urbe aſylum conceſſiſſet, cum hoc pacto fœderum fides violata fuiſſet: Viciſſim vero Guicciardinus Leſcuno exprobrabat, quod ſpreta eorumdem fœderum religione Galli Eccleſiæ ditiones infeſtis armis invaderent. Ferventibus mutuis hiſce objurgationibus, de repente ingens auditur tumultus, eam ob cauſſam ſuſcitatus, quod Bonnevalius, qui aliam urbis portam cum copiis ſuis obſederat, vi in urbem irrumpere tentaret, ea uſus occaſione, qua porta pro invehendo curru farina onuſto aperiebatur. Cives hanc Gallorum audaciam indignati ingentem globorum tempeſtatem in Bonnevalii milites exonerabant, ac favente hoc tumultu illi quoque, qui haud procul a colloquii loco urbis mænia cuſtodiebant, in Leſcuni ſocios ferreas fiſtulas explodebant, ipſumque Trivulcium *Guicc. l. 14.*

Sæcul. XVI A.C. 1521.

vulcium plumbea glande trajiciebant, quo ex vulnere altero die periit: ac Lescunum quoque pari fato sustuliſſent, nisi simul Guicciardinum cum eo colloquentem vulnerare veriti fuiſſent: Lescunus igitur, ubi Trivultium decimo a se passu humi prostratum cernebat, vitæ suæ consulturus in urbem admitti rogavit, quo concesso Guicciardinus illum paulopost ad sua reverti permisit, ne forte a Gallis crederetur, quod eum captivum detinere voluiſſet.

§. LIV.

Papa Gallis adversatus.

Guicc. l. 14.

Vehementer adversus Lescuni insultus conquerebatur summus Pontifex, palam profeſſus, Gallis Ecclesiæ ditiones infestantibus, atque aperte datam fidem violantibus, nec se ultra fœderis Religione adstringi. Equidem Lescunus Lamothum Gruinam ad Leonem ablegabat, qui ejus nomine factam irruptionem excusaret; ast Oratore minus benigne habito Papa bellum Gallis nunciandum ratus, triremes suas Neapolitanæ classi junxit, eo consilio, ut Genuam ex improviso aggrederetur, præterea copias suas contraxit, Mediolanum invasurus, ipsumque Lescunum anathemate percussit, suis Cardinalibus

bus exponens, se rem acturum cum Joanne Emanuele Cæsareæ Majestatis suæ Legato, ut adversus Gallos fœdus firmaretur; quamvis jam ante bimestre hæc armorum societas pacta fuisset. Primo equidem Galli Papæ minas flocci habebant; Pontificiam enim & Neapolitanam classem expugnandæ Genuæ successus destituit, eoquod Octavianus Fregosius opportuno adhuc tempore conjurationem a Morono Cancellario conflatam detexisset, tantaque solertia portum muniisset, ut hostis exscensionem facere minime auderet. Præterea Manfredus Pallavicinus, cui Papa & Imperator hanc Provinciam demandavit, Comum urbem irrito conatu capere tentabat; tanta enim vigilantia Grammontii Comes urbis Præfectus hostium solertiam elusit, ut propulsis Pallavicini copiis ipsemet captus fuerit, quo facto eidem literæ eripiebantur, ex quibus Galliarum Rex Papam sibi aperte adversari, probe cognoverat, quam ob rem Lautrecum quantocius Mediolanum reverti jussit. Sæcul. XVI. A.C. 1521.

§. LV.

Lautrecus sine pecuniis rursus Mediolanum missus.

Attamen Lautrecus forte siniſtri fati *Belcar. l. 17.*

sui

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

fui præscius Franciam relinquere detrectabat; haud enim ipsum latebat, Regis æraria penitus esse exhausta, nec minus perspectam habebat Regis sui socordiam, ac profusam luxuriem, quocirca iter aggredi constanter recusabat, nisi trecenta aureorum millia suppeditarentur, sine quibus Mediolani Ducatum conservari posse, palam negabat. Nihilominus Sororis suæ precibus, Regis jussu, ac jurata etiam hanc summam submittendi pollicitatione delusus, abire constituit. Ergo veredariis equis vectus e Francia profiscitur. Vix Mediolanum veniens nec vanum fuisse timorem suum confestim agnovit; quippe nec pecuniæ advenerant, nec Rex promissi sui memor erat. Ipsa quoque Regina pecunias Lautreco mittendas in alios usus converterat, cum hic illius odium incurrisset, eoquod de turpi amore, quo Regina implicita credebatur, liberius, quam cautius loqueretur. Potissimum vero crescebat Lautreci anxietas, ubi eo vix Mediolanum delato, die vigesima nona Junii in die festo SS. Apostolorum Petri & Pauli fulmen in arcis turrim, in qua pulvis pyrius servabatur, ceciderat, ac non modo turrim ignis violentia uno impetu in sublime rapuerat, sed etiam reliquam ædificii molem adeo concusserat, ut plures per noctes

noctes vigilias agere oportuerit, donec aucta præsidia, ac murorum ruinæ reparatæ essent; pertimescebant enim Galli, ne forte hostis clam urbem invaderet, eoquod Principes, qui Cæsari favebant, ac magno in numero erant, unice eo curas intenderent, ut favente hoc terrore, quo omnes ex hoc casu percellebantur, arcem expugnarent. Sæcul. XVI. A.C. 1521.

§. LVI.

Lautrecus cunctis Nobilibus invisus.

Equidem Lautrecus huic malo remedium ponere sollicitus erat; verum alia ex parte intempestivam exercebat severitatem, qua omnium Mediolanensium Nobilium invidiam in se concitabat. Jam supra memoravimus, Mainfredum Pallavicinum a Grammontio Comite captum, validoque præsidio stipatum ad Mediolanensem urbem fuisse abstractum. Istius ergo supplicio ceteros esse terrendos existimabat Lautrecus, unde adversus eum judicii acta instrui, Senatores jubebat. Id vero recusabant non pauci, quidam autem illum in Franciam esse mittendum, consulebant, demum exponebant omnes, hac agendi ratione non modo illustrissimas Mediolanensium familias, sed ipsum quoque Pontificem, cui Pallavicinus sanguine junctus esset, vehe-

Sæcul. XVI A.C. 1521.

vehementer irritari. Nihilominus spretis omnibus hisce monitis Lautrecus Pallavicinum capite truncari jussit, quinimo Historicorum nonnulli referunt, eum equis in diversum concitatis discerptum fuisse, nec his contentus adhuc, quod turpius est, Lautrecus, sordida avaritia seductus, omnia rei bona ærario addixit, eaque fratri suo Lescuno Marescallo donavit, quo indigno facinore fratris sui reditus viginti ducatorum millibus auxit, sibi vero omnium proborum hominum invidiam, ac seditionem accersivit.

§. LVII.

Fœdus Æthiopiæ Regis cum Lusitano Rege.

Italia interim tot turbis agitata, David Æthiopiæ Rex Turcarum potentiam veritus, ad Emanuelem Lusitaniæ Regem literas dedit, quibus illius præsidium adversus hostes suos implorabat. Epistola ejus elogiis in Emanuelem liberalius effusis plena erat, speciatim vero grates illi referebat, quod Matthæum, quem anno millesimo quingentesimo decimo quarto Legatum in Lusitaniam misisset, adeo honorifice excepisset, hunc vero jam fatis functum significabat. Demum suum Regi explicabat desiderium, quo suas copias Lusitanis jungere vellet,

ut

ut unitis viribus templum Hieroſolymi- Sæcul. XVI.
tanum Infidelibus eripere poſſent: ver- A.C.1521.
bo, hæ literæ ingens Religionis ſtudium, & Regis hujus affectum in Emanuelem teſtabantur, quem etiam rogabat, ut eximios Chalcographos, Typographos, aliosque celebres opifices in arte ſua peritos eidem ſubmitteret: ex quo conjicere licet, illum unice intentum fuiſſe, ut in ſuo Imperio liberalium artium ſtudia florerent. Hisce tam fervidis Regis precibus Emanuel, quantum valuit, ſatisfacere conabatur, fœdusque cum illo paciſcebatur. Re comperta Leo X. felix nuncium Cardinalibus manifeſtavit, ac Menſe Auguſto publicam gratiarum actionem inſtituit. Hæc tamen Solemnia brevi abſoluta minime retardabant initæ ſocietatis negotium, quod Papa magis cordi habebat.

§. LVIII.

Parma a Proſpero Columna cincta.

Interea Proſper Columna, quem Papa Ecclesiaſtico exercitui præfecerat, a- *Mem. du Bellai l. 1.*
verſionem, qua Mediolanenſes Lautrecum inſectabantur, in rem ſuam vertere ſatagebat. Imperabat tunc Columna octodecim ferme armatorum millibus, nequidem computatis mille ducentis Cataphractis, ac Mediolanenſibus exuli-

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

bus, qui haud exiguum agmen conficiebant. His copiis auctus Parmensem Ducatum ingressus, urbem obsedit, cui Lescunus præter duo Italorum millia, quæ sub Principe Friderico Bozzolo præsidia agebant, quadringentos cataphractos imposuit. Jamjam obsidentes tertia irruptione facta urbis propugnaculum flumine ab urbe sejunctum occupabant, cum ecce! Prospero Columnæ nunciatur, quod Ferrariæ Dux cum centum gravioris, ac ducentis levioris armaturæ militibus, ac duobus peditum millibus in aciem processisset, jamque Finarium, & sancti Felicis castrum expugnasset, ac demum recta Mutinam contenderet; Præterea eidem innotuit, quod Lautrecus cum quingentis Lanceariis, quinque Helvetiorum millibus, ac quatuor Gallici peditatus millibus trajecto Pado Parmensi urbi suppetias veniret. Hoc accepto nuncio Prosper obsidionem solvit, fuga sibi consulturus.

§. LIX.

Prosper Obsidionem solvere compulsus.

Guicc. l. 14.

Parmam obsidione liberatam ægerrime ferebat summus Pontifex; bellum enim diuturnum fore præviderat, ac Cæsare pecuniis destituto, totam sumptuum molem Sedi Apostolicæ impendere

dere pertimescebat ; aliunde Hispano- Sæcul. XVI.
rum fidem sibi suspectam habebat, nec A.C.1521.
eos sincero animo rem agere suspicabatur. Attamen Hispaniæ Legatus de integra suorum fide Papam securum reddebat, eique auctor erat, ut datis ad Sedunensem Cardinalem literis Helvetii ex suis Pagis duodecim armatorum millia conscriberent. Obluctabantur dudum Helvetii, tandem vero Cardinalis precibus cesserunt, ea tamen lege, ut hæ copiæ adversus Gallos arma capere non cogerentur; quodam enim articulo fœderis cum Francia initi cautum esse dicebant, ne adversæ parti, si jamjam fœderatis copias submministrassent, ullo pacto militum suppetias mitterent. Ast hanc conditionem eludere, haud ignarus erat Cardinalis. Sub idem tempus Papa etiam datis literis Prospero præcepit, ut trajecto Pado Mediolanensem Ducatum invaderet: Medicæus quoque Cardinalis relicta quantocius Florentia, Legati Apostolici munere suffultus supremum fœderati exercitus imperium assumpsit, quod Columna & Piscarius libenter eidem relinquebant, ne forte inviti illud æmulo suo cedere cogerentur.

Ergo Medicæus exercitum ad Ollrum flumen ducit, ut Rebeccanam urbem in Venetorum ditione quarto la-

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

pide a Pontevico dissitam expugnaret. Hoc in loco hostis sibi plenam securitatem pollicebatur, eoquod Venetorum Legatus promisisset Pontifici, quod eorum Senatus, quamvis Dux cum Francisco Rege fœdus pepigisset, Gallorum copiis ad nullam Reipublicæ urbem ingressum concessurus foret: unde quoque concludebat Legatus, Venetos nunquam eo duntaxat fine, ut unius fluvii transitum impedire possent, copias suas discrimini exposituros, ne forte exercitu suo semel profligato sese non minus, quam Mediolanenses alieno imperio subjicere compellerentur. Obstupuit tamen vehementer Legatus, postquam ei summo mane nunciasset Columna, quod Lautrecus noctu Pontemvicum tormentis muniisset, ut cum illis Fœderatorum castra Rebeccæ posita infestaret.

§. LX.

Fœderatorum exercitum fundendi occasio a Lautreco neglecta.

Enimvero tormentorum vis fœderatorum copias tanta clade afficiebat, ut post unius horæ intervallum tam præcipiti fuga castris excedere cogerentur, ut abs dubio, si Lautrecus tormenta sua Pontemvicum mittere distuliisset, ac ipsus cum suis copiis eo sese contuliisset, fœde-

fœderati aut Rebeccæ fame periiſſent, aut a Gallis, Venetisque, qui illos numero longe ſuperabant, penitus deleti fuiſſent. Sæcul. XVI. A.C.1521.

Helvetii, cum occaſionem a Lautreco neglectam probe cognoſcerent, ludibrii gratia a Gallis præmium, quod alias parta victoria eorum militibus diſtribui ſolet, petebant, eoquod pro parte ſua, ut victores eſſent, nihil reliquum feciſſent. Ceterum Papæ ac Cæſaris copiæ Gabioneum in Mantuana ditione ſitum ſeſe recipiebant, indeque Uſtianum procedebant, ubi caſtra ſua vallis foſſisque munientes adventum duodecim Helvetiorum millium, quos Cardinalis Sedunenſis adducebat, præſtolabantur. Hic, ubi has copias ſuo Imperio commiſſas videret, veritus, ne Helvetii ſe contra Gallos ad pugnam duci, brevi animadverterent, illos prævenit, dicens, nequaquam fœderis fidem violari; cum non de Franciæ, ſed ſummi Pontificis, Sedisque Apoſtolicæ cauſſa ageretur, ac deceret, quod eidem opem ferrent ad recuperandas urbes Parmam & Placentiam, ad quas Franciſco Galliarum Regi nullum omnino jus competeret: ut vero hisce rationibus majus robur adderet, inter Helvetios ingentem pecuniarum ſummam diſtribuit, indeque potiſſimam eorum partem ad ſua ſtu-

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

dia pertraxit. Non deerant tamen ex Pago Tigurino quatuor Helvetiorum millia, quæ ceterorum partes sequi detrectabant, ex quorum repugnantia haud levia exorta fuere dissidia. Re comperta Magistratus edictum promulgabant, quo omnes Helvetii nemine excepto utrumque exercitum deserere jubebantur, cum non, ut dicebant, congruum esset, quod unius Nationis Viri eodem tempore duorum hostilium exercituum stipendia mererentur, seque mutuo jugularent. Attamen Sedunensis Cardinalis ejusmodi mandata publicari suspicatus, tanta utebatur solertia, ut hoc edictum in manus ejus incideret, quocirca non nisi illud ad Helvetios, qui sub Lautreco Gallis uniti erant, directum expediri curavit, alterum vero ad Helvetios, qui in Fœderatorum exercitu in Italia militabant, inscriptum penes se retinuit.

§. LXI.

Helvetii a Gallorum exercitu sejuncti.

Bellcar. l. 16. Mem du Bellai l. 2.

Helvetii accepto suorum mandato Lautreci castra deserebant, ad sua reversuri; cum vero illos, qui Fœderatis juncti erant, persistere intelligerent, eadem illis jussa haud data fuisse existimabant, hac de re vehementer commoti. Nihilominus Sedunensis Cardinalis, Vir

Vir sagaciſſimus, horum æmulationem dextre in rem ſuam vertebat, ab eis poſtulans, an ſuis popularibus, qui fœderatorum ſigna ſequerentur, ſeſe conjungere vellent, id ſi facerent, pollicebatur illis pecunias in anteceſſum dandas, ac ſtipendia ſemper exacte, & longe liberalius, quam Lautrecus facere potuiſſet, eſſe ſolvenda. Duplici hoc artificio Sedunenſis Helvetiorum Magiſtratus eluſit, ac ſuorum militum numerum auxit. Sæcul. XVI. A.C. 1521.

§. LXII.

Lautrecus Mediolanum profugus.

Lautrecus ſiniſtro hoc eventu perterritus, relicto Ollro flumine ad Abduæ ripam caſtra poſuit, firmavitque; hic enim fluvius ultimus erat, quem Fœderati, ut ad interiores Mediolanenſis Ducatus ditiones penetrarent, trajicere debebant: Reliquam vero exercitus ſui partem ſecum in urbem duxit, nec tamen inde melius Gallorum rebus conſuluit; quippe cum exiguum, quod ei ſupererat, temporis ſpacium impendere debuiſſet, ut cives priusquam Columnæ ac Piſcarii copiæ advenirent, in officio contineret, urbemque valido præſidio muniret, ipſe potius totus in eo erat, ut hujus populi animos magis exacerbaret, jam in Nobiles, jam in cives ca- *Guicc. l. 14.*

Saecul. XVI
A. C. 1521.

pitali pœna animadvertendo. Imprudens hæc agendi ratio civium Primores tam vehementer offendit, ut rusticum quemdam ad Moronum Cancellarium mitterent, eique suaderent, quatenus Fœderatorum copias admoveret, eoquod urbem ei tradere decrevissent. Rusticus vix Mediolanum egressus erat, dum jam interceptus ad Prosperum Columnam ducebatur, qui notitiam Morono datam minime spernendam ratus, Piscario negotium dedit, ut cum primo agmine, cui imperabat, aggeri sancti Vincentii appropinquaret, Mediolanensium animos exploraturus. Veneti, qui ibidem excubias agebant, vix comperto hostis adventu, mox fuga dilabuntur, quos Piscarius quantocius insequens, cum copiis suis primo vicinam portæ munitionem, demum etiam urbem ingressus est, capto Theodoro Trivultio, qui morbo licet pressus, absque armis mulo vectus ad hosce rumores accurrebat. Capti quoque fuerunt Julius Sanseverinas, & Viglebani Marchio; nilque propius erat, quam ut idem fatum Grittus quoque Reipublicæ Provisor subiret.

§. LXIII.

Fœderati capto Mediolano urbem ingressi.

Piscarii militibus urbem ingressis paulo post

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

post Prosper etiam Columna sequebatur, comitantibus eum Medicæo Cardinale, & Mantuano Marchione, qui omnes cum potissima exercitus sui parte per portam Pictaviensem Mediolanum ingrediebantur: Lautrecus vero illa die ab hostium incursu adeo securum sese credebat, ut ante arcem ambulatum iret, dum interea Lescunus ejus frater in lecto sterteret, præcedentis diei laboribus fractus. Paulo post nonnulli, qui e castris effugerant, Lautreco nunciabant, quod hostes Gibellinæ factionis opera urbem per portam Papiensem intrassent. Accepto hoc nuncio Lautrecus, postquam Mediolanensi arci præsidium imposuerat, illiusque curam nobili cuidam Vasconi, Mascarono nomine demandaverat, conscenso protinus equo Comum auffugere compellebatur, sequentibus eum quingentis Cataphractis, nonnullis peditibus, & tribus aut quatuor millibus Helvetiorum, qui signa deserere renuebant. Fugitivum Lautrecum, dum interea arx cingebatur, Piscarius insecutus est, qui primo quidem nonnisi ejus iter explorare cogitabat, ubi vero intellexit, Lautreco nil reliquum fuisse, quam ut Comensi urbi quinquaginta milites ductore Vandenesio Chabani Marescalli fratre inferret, urbem obsidere constituit, quam etiam tanta tormentorum

Sæcul. XVI. A.C. 1521. vi verberabat, ut illius Gubernator deditionem facere cogeretur, cujus tamen pacta fuere violata, eoquod præsidiarii milites urbe excedentes ab Hispanis vasis omnibus exuti fuissent: quæ res Vandenesium adeo commovit, ut Piscarium ad singulare certamen provocare non dubitaret, ejus tamen minæ effectu caruere.

§. LXIV.

Plures aliæ urbes nemine obsistente a Fœderatis occupatæ.

Lautrecus perceptis Comensium defectione, nulla mora eo contendit, rebelles cives ad obsequium revocavit, ab eisque centies mille libras mulctæ nomine extorsit. Verum ejusmodi exactio ad reparandas res suas minime sufficiens erat; quippe, dum hoc iter aggrediebatur, interim plures easque nobilissimas Mediolanensis Ducatus civitates amisit, nimirum, Papiam, Laudum, Parmam, & Placentiam, quarum urbium cives sese Fœderatis adjunxerant. Veneti tam repentina hac rebellione perterriti, ut sese imminenti periculo subducerent, in summi Pontificis gratiam redire festinabant, eidemque per suum Legatum offerebant, se fœderi cum Gallis inito nuncium missuros.

§. LXV.

Sæcul. XVI.
A. C. 1521.

§. LXV.

Leonis X. Papæ obitus.

Verum Venetorum propositiones excipere, Leoni Pontifici haud amplius integrum erat; quippe, si Scriptorum nonnullis fides habenda, ob partas Fœderatorum victorias tam immodica afficiebatur lætitia, ut febri corriperetur. Utut res se habeat, id certum est, quod tam repentina febri obrutus fuerit, ut hoc anno millesimo quingentesimo vigesimo primo die prima Decembris e vivis excesserit, nonnisi quadraginta quatuor annos natus, postquam octo annis, totidemque mensibus, ac viginti diebus Ecclesiam rexisset. Fuere, qui existimarent, eum propinato veneno fuisse sublatum. Cadaver ejus in Vaticana Ecclesia lateritio tumulo sepultum est. *Constat*, inquit Paulus Jovius, *Leonem a prima adolescentia usque ad Pontificatum omnium opinione summam continentiæ laudem fuisse adeptum*, addit tamen idem Scriptor, quod Pontifex factus *jucunditate blandæ facilisque naturæ potius, ac Regia quadam licentia, quam certo depravati animi judicio in quædam vitia prolabi videretur*, cum cubiculi sui fores ejusmodi obsiderent homines, qui adeo non modestæ reprehensionis officium in se susceperant,

Paul. Jov. in vita Leon. X.
Onuphr. & Victor. in vita Leon.
Ciacon. ibid. p. 313.
Spond. ann. 1521. n. 9.
Raynald. ib.

Jean. de Crespin etat de l'Eglise ann. 1521. p. 5. 6.
Hist. de M. de Thou l. 1.

Sæcul. XVI. A C. 1521

perant, ut illum etiam ad varia oblectamenta incitarent. Ceterum Magistris utebatur omnino præclaris, a quibus humanioribus literis optime instructus, non modo erga eos semper beneficus extitit, sed omnes, qui scientia ac eruditionis laude claruerunt, potenter admodum protexit, præcipue vero Poetas magni habebat, & quandoque ab ea recedebat gravitate, quam dignitatis suæ Majestas exigere videbatur. Nam pluris habebat, qui fabulas concinnare noverant, aut veterum Poetarum, necnon profanæ eruditionis fama inclaruerunt, quam qui Theologicis disciplinis aut Ecclesiæ Historiis imbuti erant. Præter hoc luxui ac profusæ liberalitati deditus esse dicebatur.

§. LXVI.

Fœderatorum exercitus mortuo Papa dissipatus.

Guicc. l. 14.

Quamprimum fama de Pontificis obitu percrebuit, mox copiæ, quas alebat, dispergebantur; Helvetii enim, quos Sedunensis Cardinalis contra Magistratuum jussa detinuerat, exceptis circiter quadringentis in Patriam revertebantur; præter hos discedebant quoque Florentinæ Reipublicæ agmina; equites vero in Placentina & Parmensi ditione

ne hyberna agebant, ac denique consilia, quæ Columna adversus Cremonenses, & Piscarius contra Genuenses agitabant, occasioni magis propitiæ reservabantur. Turbato hoc rerum statu Lautrecus, copiis licet ferme destitutus, fors opportune uti potuisset, nisi Moronus Cancellarius auctoritate, qua valebat, populum induxisset, ut ad ferendos belli sumptus largiter conferret, cui accessit etiam cujusdam Prædicatoris eloquentia: erat is Andreas Ferrariensis ex Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini, qui Mediolanensibus odium adversus Gallos inspirabat; nam hic tanto verborum pondere nuperæ seditionis circumstantias exponebat, ut Galli ab omnibus tanquam Dei hostes haberentur. Detorquebat etiam in eos illa sacri Codicis verba, quibus reprobi perstringuntur; nec minus Lautreci vitia ac crudelitatem mentis cæcitati, qua Saul percutiebatur, æquiparabat, ac fulmen illud, quod de cœlo in Mediolanensem arcem ceciderat, velut prodromum interpretabatur illius sacri fulminis, quo Galli arcem tuentes percelli mererentur; denique Auditores suos ad opem ferendam pro Gallis trans alpes propulsandis tanta in dicendo efficacia permovebat, ut illi, quibus nonnisi duo aurei suppetebant, unum ad hoc opus impenderent,

Secul. XVI. A.C. 1521.

Mem. du Bellai l. 2.

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

rent, illi vero, qui armis gerendis pares erant, sine stipendiis militare promitterent.

§. LXVII.

Emanuelis Lusitaniæ Regis obitus.

Spond. ad ann. 1521. n. 13.

Jo. Barros dec. 3. l. 7. c. 7.

Paucis post obitum Leonis X. diebus, nimirum decima tertia ejusdem mensis Decembris Emanuel Lusitaniæ Rex Ulyssipone animam Deo reddidit, cum vixisset annos quinquaginta duos, & regnasset viginti sex, sepultusque est in Bethleemitico asceterio, ubi Regum suorum Successorum, totiusque Regiæ Domus sepulturam fieri voluit. Is viros literatos impense coluit, & commentarios de rebus Indicis scripsisse dicitur, de quibus extat ejus epistola in collectione rerum Hispanicarum. Lusitani Regiminis sui tempus passim ætatem auream appellant, atque a suis subditis Princeps felicissimus nuncupatur, ob Regni sui prosperitatem, secundos belli pacisque successus, necnon ob gloriosos conatus, quibus in ferociissimis etiam Infidelium Regionibus Religionem Catholicam propagabat. Tres successive habebat conjuges, ex quibus numerosam prolem reliquit: Isabella tamen de Castella Alphonsi Lusitani Principis vidua, quæ prima ejus uxor erat, nonnisi

nisi unicum ei genuit filium, Michaelem nomine, qui Matri suæ duntaxat vigesimum secundum Mensem vita superstes fuit. Ex altera conjuge Maria Isabellæ Sorore suscepit Joannem III.; Isabellam, quæ Carolo VII. nupsit; Ludovicum Cratensem Priorem, & Ferdinandum &c. Tertia denique conjux, quæ fuit Eleonora Austriaca Caroli V. Cæsaris Soror natu major, ei genuit Carolum, & Mariam, quorum prior adhuc puer e vivis excessit, Maria vero primo promissa fuit Francisco I. tunc Franciæ Delphino, postea Maximiliano Romanorum Regi, dein Imperatori, denique Philippo II. Hispaniarum Regi: nullum tamen ex his connubiis effectum habuit, adeo, ut Maria adhuc cælebs Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo octavo decederet. Secul. XVI. A.C. 1521.

§. LXVIII.

Joannes III. Emanuelis Filius Regni Successor.

Emanueli defuncto Joannes III. quem ex secundis nuptiis susceperat, in Regno successit, tum annum ætatis agens undevicesimum; natus enim erat die sexta Junii Anno Salutis millesimo quingentesimo secundo.

§. LXIX.

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

§. LXIX.

Guilielmi de Croy Cardinalis obitus.

Ciacon. in Leon. X. And. Sandoval in elog. Card. Gazet Hist. Eccl. des Pays-bas. Aubery hist. Cardin.

Hoc item anno sacrum Purpuratorum Collegium quatuor Cardinalium jacturam planxit; hos inter primus erat Guilielmus de Croy (Jacobum alii nominant) Henrici de Croy Portiani Comitis, & Carolinæ Castrobrianciæ Filius, necnon Philippi Arschoti Ducis Frater. Educabatur is Lovanii, ibique celebris Joannis Ludovici Vives natione Hispani magisterio utebatur, ac mortuo Jacobo de Croy Patruo suo, Anno supra millesimum quingentesimo decimo sexto nonnisi duodeviginti annos natus ad Cameracensem Episcopatum nominabatur, anno autem sequenti ad preces Caroli V. Hispaniarum Regis, ac demum Cæsaris, a Leone X. summo Pontifice non modo purpura decoratus, sed etiam ad Toletanum Archiepiscopatum, & annexam Hispani Primatus dignitatem, necnon ad Cancellarii Castellani munus evectus est. Cunctis tamen hisce honoribus juvenis iste Cardinalis exiguo admodum tempore potiebatur; cum enim Wormatiæ Comitia agerentur, die sexta Januarii venatum profectus, ac equo delapsus venam disrupit,

rupit, & paulopoſt vigeſimo tertio ætatis ſuæ anno vita deceſſit, nec viſa Hiſpania, nec luſtrato Archiepiſcopatu Toletano. Conditus eſt poſt obitum in Cænobio Cœleſtinorum Heverle dicto prope Lovanium ex Patris ſui ſumptibus ædificato, ubi hodie ejus inſcriptio ſepulchralis legitur. Sæcul. XVI. A.C. 1521.

§. LXX.

Franciſci de Comitibus Cardinalis mors.

Alter ex Cardinalibus, qui hoc anno obiere, erat Franciſcus Conti, ex vetuſtiſſima Principum de Comitibus familia ortus, quam duo Pontifices, Innocentius III. & Gregorius IX. plures-que Cardinales illuſtrarunt. Parentes habuit Jacobum de Comitibus, & Eliſabetham Carafam. Is fuit (ut teſtatur Ciaconius) *egregia indole, induſtria ac pietate necnon civilium rerum peritia laudabilis.* Hinc Campſanum Archiepiſcopatum in Neapolis Regno adeptus eſt, die vero prima Julii anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo a Leone X. Presbyter Cardinalis titulo S. Vitalis renunciabatur, cui idem quoque Pontifex ſigillum Collegii Cardinalitii cuſtodiendum commiſit. E vita migravit in Veliterna Diæceſi feria ſecunda *Ciacon. l. cit. Auberyhiſt. Card. Panvin. de Rom Pontif. Victorel in addit. Ciac.*

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

die quinta Junii, adeo pauper, ut juxta quorumdam Scriptorum teſtimonium nequidem pro exequiarum ſumptibus neceſſarias relinqueret pecunias. Corpus ejus, Leonis juſſu Romam delatum conditum eſt in Eccleſia S. Vitalis.

§. LXXI.

Thomæ Bacocii Cardinalis extrema.

Ciaron. in. Leon. X. p. 192. Auberii l. c. Victorel. in add. ad Ciac.

Tertius erat Cardinalis Thomas Bacocius Strigonienſis Archiepiſcopus, & in Hungaria Status Miniſter. Is natione Hungarus in oppido Herdovi Veſprinienſis Diœceſis ex mediocris fortunæ parentibus natus erat, & ſolo meritorum ſuffragio regnantibus Matthia Corvino, & Ladislao V. ad ſupremas dignitates evehebatur, ac primo quidem Agrienſi Cardinali aliquamdiu a ſecretis fuit, tanta deinde valuit auctoritate, ut non ſolum Regis Hungariæ Cancellarius, ſed etiam primo Taurienſis, dein Senienſis Epiſcopus, mox Archiepiſcopus Strigonienſis electus fuerit. Poſtea in Cardinalium Senatum Ladislai Regis, & Reipublicæ Venetæ precibus ab Alexandro VI. die vigeſima quinta Septembris Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo adlectus, mox ab eodem Rege Status Miniſterio præfectus fuit: Anno autem ſalutis milleſi-

Iſtuanf. hiſt. Hung. l. 3. & 6. Du Brav. l. 32. & 33.

mo

mo quingenteſimo duodecimo, Thomas Romam profectus Julii II. morti præſens adfuit, *confiſus*, ut inquit Ciaconius, *ſe Succeſſorem Julii in Pontificatu futurum.* In Hungariam reverſus, a Leone X. Legatione in Bohemia & Hungaria auctus eſt; ubi ſacram militiam adverſus Turcas prædicari juſſit, tanto ſucceſſu, ut citiſſime plusquam ſexaginta hominum millia confluerent, qui omnes cruce ſignari petebant. Fungebatur itidem multis legationibus, nimirum Conſtantinopolitana, Polonica, & Norvegica, nec minus ablegatus quoque eſt ad Scotiæ Regnum, necnon in Pruſſiam, Ruſſiam Livoniam, Valachiam, Sileſiam, Luſatiam, Moraviam, Transſilvaniam, Dalmatiam, Croatiam, & Moſcoviam. In Hungaria Seditionem in Ludovicum juniorem motam ſedavit, demum vero ſenio gravis, ac laboribus fractus, ibidem die undecima Junii Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo diem ſupremum obiit.

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

§. LXXII.

Raphaelis Riarii Cardinalis fata.

Quartus, qui hoc anno inter Cardinales obiit, erat Raphael de Riariis, ſeu Galleovus, die tertia Maji Anno milleſimo quadringenteſimo quinquage-

Ciac in Sixt. IV. p. 70. Auberii. Victorel. loc. cit.

Sæcul. XVI A.C. 1521.

simo primo Savonæ ex Violante Riaria, Petri ejusdem nominis Cardinalis Sorore progenitus, ejusdemque hæres a Sixto IV. Papa substitutus illius agnomen ex ejusdem Pontificis jussu assumpsit, Anno autem Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo Mense Decembri Cardinalium Collegio adscriptus est, quamvis nonnisi vigesimum septimum ætatis annum ageret. Eundem Sixtus diversis temporibus præfecit Ecclesiis Foro-Cornelienſi, Leutriganæ, Oxamenſi & Conchenſi, nec minus rexit etiam Cosentinum, & Salernitanum Archiepiscopatus, præter Episcopatum Tridentinum. Præfuit etiam Abbatiis Cassini & Cavæ. Subibat olim ingens vitæ periculum; cum enim Papa adversus Laurentium de Medicis justam conquerendi causſam se habere credebat, ac Francisco Pazzio, qui in ejus ac Juliani Medicæi exitium juraverat, faciles nimium aures præbebat, jubebatur tum Riarius ejusdem frater, qui Pisis operam studiis navabat, quantocius Florentias accurrere, ut conjuratos præsentia sua animaret, cum vero hæc consilia effectu carerent, Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo a plebe vix non dilacerabatur, demum ob periculi sibi impendentis horrorem

Onuphr. in Sixt. IV. & in Chron.

ita

ita expaluit, ut pallorem in vultu, quo- Sæcul. XVI.
ad vixit, retinuerit. A C. 1521.

Sub Innocentii VIII. Pontificatu magis prosperâ utebatur fortuna, mox tamen sub Alexandro VI. adversam experiri cogebatur; cum enim ad hujus Pontificis electionem plurimum contulisset, hoc obsequii genere suis Nepotibus Hieronymi Riarii Patrui sui filiis fortunam constanter propitiam fore existimabat; ast sua eum spes fefellit; quippe Alexander VI. eos Forolivii, ac Foro-Cornelii Principatibus exuit, quinimo eorum Matrem Catharinam Principissam carceri mandari jussit. His ærumnis pressus Cardinalis asylum in Galliis quærere cogebatur: Interfuit tamen electionibus Pii III. Julii II. & Leonis X. summorum Pontificum, sub cujus ultimi regimine inter alios conjurationis, quam Petrucius Cardinalis in ipsum Papam conflaverat, socios deprehensus, ac in arce S. Angeli custodiæ datus fuit, ab eodem vero Pontifice, cum crimen suum fateretur, raro magnanimitatis exemplo veniam impetravit, postea vero Neapolim secessit, ubi etiam die septima Julii hoc anno mortalitatem exuit. Cadaver autem ejus Romam translatum in æde SS. Apostolorum sepulchrum obtinuit.

Machia. hist. Florent. l. 8. Garimb. l. 4. Ughel in Ita. sacra. Ubertus Foglieta in elog.

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

§. LXXIII.

Joannis Reichlini obitus.

Paul. Jov. in elog. c. 143. Dupin. Bibl. Script. t. 14. Sæc. XVI. p. 3. Melchior Adam de vit. Philosoph. Germ.

Eodem hoc anno Joannes Reuchlinus, de quo jam alibi mentionem fecimus, die tertia Julii Stutgardiæ rebus humanis valedixit, annos natus sexaginta septem. Is altercationum, quas cum Dominicanis habebat, pertæsus, primo Ingolstadium sese recepit, ubi procurantibus ejus amicis ducentorum aureorum pensionem obtinuit, ea lege, ut Græcam ac Hebraicam linguam publice doceret. Ipsimet Fratres Prædicatores virum a se tamdiu injuste vexatum dolentes, concordiam cum eo inire, ac litis expensas solvere statuebant, quocirca eidem offerebant, se a Romana Curia literas impetraturos, quibus a Censuris absolveretur, quas tamen licet in eum vibratas haud promeritus fuisset, proin nec liberatione indiguisset. Ast priusquam Dominicani promissum exequi poterant, peste urbem Ingolstadiensem depopulante Reuchlinus Tubingam se contulit, ubi Græcum idioma tradere rogabatur: exiguo tamen tempore illius scholares suo Magistro potiebantur; quippe assiduis studiis exhaustus, ac litium, quæ identidem in eum movebantur, fastidio consumptus, icterico morbo correptus

reptus est. Quamprimum nullum malo remedium suppetere senserat, Stutgardiam transferri petiit, ubi etiam e vivis excessit, ut mox memoravimus. Is quamvis toto vitæ suæ tempore variis adversæ fortunæ procellis jactaretur, nihilominus plurimos libros elucubravit; nam ex Græco in Latinum transtulit Eusebii libros de vita Constantini Magni, necnon varias quæstiones, quæ Divo Athanasio adscribuntur. Composuit etiam opus *de verbo mirifico*, quod exhibet partitum in tres libros Dialogum inter Philosophum, quem Sidonium appellat, & inter Christianum nomine Capnionem. Horum primus exponit, quicquid selectius, ac illustrius Paganorum Philosophia subministrat, alter vero mysteria in hebraicis nominibus & præcipue in Dei nomine recondita detegit; tertius denique inducitur, ut utriusque principia adoptans Christianam Religionem comprobet: Præterea alium concinnavit librum de arte Cabalistica, itidem in tres partes divisum, ubi discursus habetur inter Judæum, Mahometanum, & Philosophum Pytagoricum. Ferunt illum, ut adversarios suos ludibrio exponeret, vulgasse epistolas, quas inscripsit, *literas obscurorum Virorum*: in his Scolasticorum stylum ideo studiose imitatus est, ut hosce Theologos ab aliis deridendos

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

proponeret: incertum tamen est, utrum hæ literæ a Reuchlini calamo profluxerint, quas nonnulli Henrico Huttenio adscribunt, ceterum hoc opus nugis jocisque pleniſſimum est, unde tantopere Monachorum indignationem provocavit, ut illud ad librorum prohibitorum Indicem rejici procurarent: Erasmus etiam hunc scribendi modum reprobavit: id vero, si Reuchlini est, postremum, quod composuit, opus fuisse, dici potest. Reuchlini Adversarii illum Lutheri causſæ implicare conabantur, ipse vero in cunctis hisce, quæ Ecclesiam turbabant, altercationibus nullam partem habere voluit.

Id extra omnem controversiam positum est, quod Reuchlinus sui ævi doctissimis merito accensendus sit: firma tamen caret ratione, quod inter Christianos primus fuerit, qui sese Hæbraicorum librorum studiis impenderit; jam enim Sæculo decimo tertio Raymundus Martinus ex ordine S. Dominici vir doctrina insignis Talmudum, aliosque ejusmodi generis libros singulari studio pervolvit, librosque hæbraico sermone conscriptos edidit. Scripsit quoque Reuchlinus plurimos libros de eloquentia, nec eo tempore præter ipsum Germania alium habebat, quem Italiæ Doctori-

Sleidan in Comm. l. 3. p. 86.

ctoribus opponere potuisset, quibus in sermonis elegantia nullo pacto cedebat, longeque in doctrinæ eminentia eos superabat. Variis temporibus ejusdem libri Tubingæ, Francofordiæ & alibi typis vulgati prodierunt. Saecul. XVI. A.C. 1521.

§. LXXIV.

Solimanus Turcarum Imperator.

Interea non pauci Principes faventibus publicis scissionibus Imperii sui fines extendere nitebantur, quod consilium, ut ipsemet quoque Solimanus Turcarum Imperator Selimi filius prospere exequeretur, non parum adjuvit bellum Carolum inter & Franciscum jamjam inchoatum: cum enim novus hic Imperator Seditionem in Syria conflatam sedasset, & Gazellæ Gubernatorem rebellium caput neci dedisset, ipse non modo Imperii, sed & grandium, quæ ejus Pater fabricaverat, consiliorum hæres cum potentissimo exercitu Hungariam invasit.

§. LXXV.

Belgradum a Solimano expugnatum.

Igitur cum prosper armorum successus Solimani fortitudinem atque audaciam acueret, hoc anno in Mense Septembri Albam Græcam, seu Belgradum cinxit, *Isthuanf. l. 7. Leuncl. l. 8. Dubrav. l. 33.*

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

xit, ac sexta obsidionis hebdomada expugnavit. Hujus propugnaculi jacturam vehementer dolebat Carolus Imperator, veritus, ne pari fato tota Hungaria Turcarum armis succumberet.

Sleid. comm. l. 3. p. 79. Raynal. hoc ann. n. 122.

§. LXXVI.

S. Reliquiæ Constantinopolim translatæ, ac rursus Belgradum missæ.

Parta urbe Solimanus inde Constantinopolim detulit quasdam sacras Reliquias, nimirum Corpora SS. Thetæ, & Venerandæ, Brachium S. Barbaræ, necnon imaginem B. Virginis miraculis claram; has Christiani pecuniis redimebant; cum enim Solimanus Christianos, ut eas recuperarent, summo flagrare desiderio cerneret, Jeremiam Patriarcham Constantinopolitanum accersivit, eique injunxit, ut ipsi pro illis duodecim solidorum millia numeraret; si vero hoc pacto Reliquias redimere renuerent Christiani, minitabatur Solimanus, projecturum se illas omnes in mare. Equidem immodica erat hæc summa, cum tamen thesaurus hic sacer profanari timeretur, quem Patriarcha ceterique Christiani verum, proin pretiosissimum existimabant, ideo a fidelibus ægre licet, utpote pauperrimis ea summa colligebatur. Idem Jeremias, qui

qui hasce Reliquias a Solimano vindicaverat, suffectus est Theolepto, qui cum ob perversos mores scandalum in Ecclesia crearet, in quodam Episcoporum conventu, qui de Solimani consensu habebatur, Patriarchali dignitate exutus est. Sæcul. XVI. A.C.1521.

§. LXXVII.

Propositiones de Sepulturis ad Parisiensem Facultatem Theologicam delatæ.

Eodem hoc anno die decima nona Junii Parisiensis Facultas Theologica sex sequentes Propositiones proscripsit: *I. Est magnum periculum aliquid accipere pro Sepulturis, quia pro Sepulturis nihil debetur. II. Omnes pro Sepulturis aliquid accipientes aut recipientes sunt simoniaci, sacrilegi, & latrones. III. Magnus est error in Ecclesia Dei pro Sepulturis aliquid accipere. IV. Consuetudo non potest excusare aliquid recipientes, quin sibi damnationem aquirant. V. Omnes pro sepulturis aliquid accipientes sunt damnati. VI. Si esset lis contestata in aliqua Curia Parlamenti, essent declarati Simoniaci, & ad restitutionem condemnarentur.* *Argent. Collect. judic. de nov. error. t. 1. p. 401.*

§. LXXVIII.

Sæcul. XVI. A.C.1521.

§. LXXVIII.

Censura harum Propositionum.

Hæ sex Propositiones hoc anno in nupero jejunio verno in Sagiensi Ecclesia Cathedrali ad populum dictæ fuerant, eas vero Episcopus per Magistrum Joannem Gillain Theologicæ Facultati denunciavit. Hæc igitur illas censuris suis perstrinxit hunc in modum: *Primæ quatuor Propositiones ita indistincte positæ sunt scandalosæ, seditiosæ, & nullo modo prædicandæ, & si prædicatæ sint, revocandæ, accipiendo eas in sensu, in quo communiter accipiuntur post sepulturam exhibitam, & secundum laudabilem consuetudinem.* Postmodum de postremis duabus propositionibus sequens tulit judicium. *Istæ duæ propositiones sunt temerariæ, & nullatenus prædicandæ*, addit quoque, *quod sint exhortandi Prælati, ne graves exactiones contra jura & laudabiles consuetudines in suis Diœcesibus permittant, quibus non intendit Facultas favere.*

§. LXXIX.

Alia Censura Propositionum ab Hieronymo Clichtoveo enunciatarum.

Argent. loc. c. p. 402. Eadem Facultas die quinta Decembris sequentes Hieronymi Clichtovei propositio-

positiones censuræ subjecit. *I. Non est illicitum lege divina aut naturali vendere beneficia. II. Neque est prohibitum lege eadem pensiones redimere. III. Non est illicitum bursas vendere. IV Non est vetitum in die festo aut loco sacro negotiari.* Has propositiones Clichtoveus in secunda principali Conclusione disputationis suæ, quam magnam ordinariam vocant, sub Magistro Joanne Bartholomæi Ordinis Cisterciensis propugnavit: cum vero illæ plurimis offensioni essent, Natalis Beda Syndicus coram conventu die quarta Novembris habito hac super re questus, scandalum condigne reparari postulavit, quapropter Præses, ac Licentiatus in jus vocantur, eisque præcipit Facultas, ut sensum, in quo hasce propositiones accepissent, exponerent, quibus auditis, Facultas quatuor istas propositiones damnavit addens hanc declarationem: *Prima est erronea, & quæ simoniacam labem divino jure prohibitam in Ecclesiam illicite induceret. Secunda est falsa, scandalosa, & viam pernitiose aperiens, qua venduntur beneficia, loquendo de pecuniaria Ecclesiasticarum pensionum redemptione. Tertia est scandalosa, & turpe lucrum impie fovens. Quarta sic indistincte posita est falsa, scandalosa, & impia.* Saecul. XVI. A.C. 1521.

Pronunciato hoc judicio Clichtoveus propositiones prioribus contrarie oppo-

Sæcul. XVI A. C. 1521. oppositas propugnare jubebatur, cui sententiæ tam ipse, quam ejusdem Præses morem gesserunt.

§. LXXX.

Alia Censura de tribus Magdalenis.

Idem initio tom. 2. Aliam insuper censuram reperio, quæ ab eadem Facultate die Sabbati nona Mensis Novembris in majori Aula Collegii Sorbonæ pronunciata, & die prima Decembris in Congregatione apud S. Mathurinum confirmata fuit. Ibi decisum est, nonnisi unicam dari S. Magdalenam. Cum primus omnium S. Gregorius Papa disertis verbis doceret, quod *Peccatrix illa, de qua S. Lucas scribit, eadem omnino persona exstiterit, ac Maria Lazari soror, & Maria Magdalena;* ideo hanc sententiam universalis Latinorum Ecclesia ob summam reverentiam, quam tam sancti ac præclari Doctoris testimonio debet, omnino amplectendam censuit: Cum vero eadem opinio in sæculo decimo sexto ad examen vocaretur, Jacobus Faber Stapulensis, & Jodocus Clitoveus Anno Domini millesimo quingentesimo decimo nono tractatum *de tribus, & unica Magdalena* typis ediderunt, quorum lucubrationem Joannes Fischerus Roffensis Episcopus, & Marcus Grandvalius confuta-

futarunt: hinc utrinque acris fervebat disputatio, his replicantibus, illis contrario mox responso occurrentibus. Tandem omnino prævaluit Doctoris Angli sententia, qui nonnisi unicam Magdalenam exstitisse tuebatur. Hæc disputatio occasionem Theologicæ Parisiensi Facultati dedit, ut conventu habito declararet, sibi probari sententiam Fischeri docentis, quod Maria Magdalena, Maria Lazari soror, & illa in Evangelio peccatrix non nisi unica mulier exstiterit. Sæc. XVI. A. C. 1521.

In hac decisione Facultas tam gravibus utebatur verbis, perinde acsi ageretur de opinione, cujus decisio Ecclesiæ summe necessaria foret. *Cum itaque*, inquit Facultas, *occasione quorumdam opusculorum in lucem editorum, quæ plures esse Magdalenas disseruerunt, multa & gravia oborta fuisse noscantur in populo scandala, & consimiliter reliqua etiam instituta, quæ Ecclesiastica sanctione longa jam antiquitate recepta in dubium trahi possent, ita ne se habeant, sicut tradit Ecclesia, an secus? quod animarum saluti vel maxime obesset. Nempe, nihil certum aut indubitatum in tota Ecclesia demum relinqueretur, si cuique pro suo arbitrio impune liceret hujusmodi traditiones Sanctorum Patrum per Ecclesiam receptas, rejicere aut calumniari.* Positis hisce principiis, quæ quidem in se

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

se ipsis verissima sunt, perperam tamen applicata, Facultas declarat, *sententiam S. Gregorii Magni amplectendam esse, & sequendam; licet enim in sacris Evangeliorum textibus ejusdem beatæ Peccatricis pro diversitate statuum ejus varia legantur officia, unica tamen sit Maria Magdalena, quæ Marthæ soror exstitit & peccatrix illa, cujus Evangelium meminit; hanc ergo sententiam esse tenendam, ut Evangelio Christi, & sanctis Doctoribus conformem, & Ecclesiæ Catholicæ ritui consonam: scripta vero adversus hanc sententiam nullatenus esse toleranda. Nos vero,* inquit Facultas, *censemus inhibendum iis, qui de nostro gremio sunt, ne deinceps eorum quisquam præsumat ad populum, vel disputationibus publicis asserere sententiam contrariam.* Postquam ergo Facultas præclaram hancce doctrinam, quæ in se quidem vera, perperam tamen huc applicata est, præmisisset, tandem declarat, *sententiam Sancti Gregorii Magni amplectendam esse ac tenendam nimirum, quod (licet in sacris Evangeliorum textibus ejusdem beatæ Peccatricis pro diversitate statuum ejus varia legantur officia) unica tamen sit Maria Magdalena, quæ Marthæ Soror extitit, & Peccatrix illa, cujus conversionem scripsit S. Lucas, hanc enim sententiam Evangelio Christi, & sanctis Doctoribus conformem, & Ecclesiæ Catholicæ ritui*

tui consentaneam esse, scripta vero adversus hanc opinionem nullatenus toleranda Unde omnibus, qui de nostro gremio existunt, inhibendum, ne deinceps eorum quispiam in concionibus ad populum, aut disputationibus publicis contrarium asserere præsumat.

Saecul. XVI. A.C. 1521.

Lata hac censura Tillemontius, Bailletus, aliique hanc quæstionem exactius discusserunt, ex quibus Dupinus ita scribit: „ Parisiensis Facultas hodie„ dum ab hac opinione recedit, eo po„ tissimum nomine, quod nunquam, „ ejusmodi sententiam ad fidem perti„ nere, Ecclesia censuisset, eoquod pa„ rum referat, an una vel plures ex hi„ sce Sanctis fuerint.„ Ceterum unam ab alia distinquendam esse, tum ex S. Evangelio, tum ex Ecclesiasticæ antiquitatis testimoniis facili negotio decidi posse videtur; nam imprimis, Peccatrix illa fuit publica meretrix in Naim urbe, quæ in Evangelio nunquam Magdalena nominatur, nec plusquam unica vice Christum Dominum conspexit, quando scilicet unxit pedes Jesu, ac Christus ad illam dixit: *Vade in pace:* Ex adverso Maria Magdalena ex Gallilæa, ac nobili ex genere ortum ducebat, & postquam a dæmonio, quo possidebatur, liberata fuit, continuo Christum Dominum secuta est. II. Affir-

Sæc. XVI. A.C. 1521.

mari nequit, quod Maria Magdalena fuerit Lazari soror; hæc enim erat in Bethania prope Jerosolymam, ille vero ex Gallilæa venit: ac propterea Evangeliſtæ semper inter illas distinguunt, dum unam appellant Mariam Magdalenam, alteram vero Marthæ sororem, præterea S. Evangelii textus utrique diversa assignat munia, omnesque antiqui Patres, qui D. Gregorium præcesserant, has tres mulieres discernebant, nec ante Sanctum hunc Pontificem, quin discrimen facerent, Peccatricem fuisse Magdalenam affirmabant; denique nuperi sæculi celebriores Scriptores Ecclesiastici tres distinctas fuisse personas censuerunt, ut patet ex Breviariis recens recognitis, & præcipue in Parisiensi (*).

§. LXXXI.

Ministri a Cardinalibus Romæ Sede vacante nominati.

Priusquam ad novi Pontificis electionem procederetur, omnes Cardinales in unum congregati (exceptis Medicæo

(*) Consule hanc in rem doctissimum hujus ævi Criticum P. Honoratum a S. Maria Carmelitam Discalceatum in Tomo I. animadversionum in Regulas Critices.

dicæo, Cortonenſi, Cornaro, & Cibo) nominabant Officiales, qui vacantis Sedis tempore ſua quisque munia obirent. Igitur exercitus imperium Conſtantino Comneno Macedoniæ Duci committunt, Romanæ autem Urbis Regimini Vincentium Caraffam Neapolis Archiepiſcopum, ac denique Palatii Vaticani cuſtodiæ Annibalem Ramigo Spoleti Epiſcopum præficiunt. Præterea plura alia negotia decidi curarunt: cum vero nonnullæ cauſſæ in prima hac congregatione dirimi ac componi haud potuerint, hanc in rem ex Epiſcoporum ordine Cardinalem de Montibus, nec non Piccolominæum Presbyterum, & Cæſium Diaconum itidem Cardinales nominarunt. His ita diſpoſitis, omni die in ſecunda aula Congregatio habebatur; inchoatis vero Papæ defuncti exequiis, tres illi Cardinales de Montibus, Piccolominæus, & Cæſius confeſtim unacum ærarii Romani Præſide ad cubiculum Cardinalis de Montibus ſeſe contulerunt, ibidemque, quæ ad urbis, platearum, pontium, ac portarum cuſtodiam neceſſaria eſſent, edito mandato diſpoſuerunt.

Sæcul. XVI. A.C. 1521.

Sæc. XVI. A. C. 1521.

§. LXXXII.

Cardinales nonnisi liberato prius Ferrerio Cardinale, Conclave intrare volentes.

Interea Cardinales Grimanus, Soderinus, Cedunus, Gonzaga, & Ferrerius seu Hipponensis suo quisque loco, ubi morabantur, sese itineri committebant, Romam ituri; cum vero Prosper Columna Ferrerium, quod Gallis faveret, captivum Papiæ detineret, Purpurati una omnes ad Hieronymum, Moronum, Roctium, aliosque Mediolanensium Barones literas dare compellebantur, quibus significabant, se nunquam nisi Cardinalis liber dimitteretur, conclave ingressuros. Interim justis summo Pontifici de more persolutis die undecima Decembris in Palatio Decani Sacri Collegii generalis habebatur Congregatio, in qua de rebus actum, quæ ipsum Conclave, ac præcipue Vaticani Palatii custodiam concernebant; non deerant enim, quibus Comitis Rangoni nominatio minus probabatur, imo eandem omnino nullam declarari postulabant: unde duo ex Columnensium familia, nimirum Vespasianus, & Prosper junior, totidemque ex Ursinis præ-

præter Ludovicum Petiliani Comitem, & Laurentium Cajetanum seligebantur, qui omnes quatuor in se curam susceperant, ut suppeditatis pecuniis, cuncta pro conclavi necessaria subministrarentur; cum vero Pontificis ærarium esset exhaustum, Cardinales pecunias mutuo accipere decernebant, eisque etiam Thomas Righi Cameræ Clericus duo Ducalium millia totidemque alius quidam absque ullo fœnore numerarunt. Sæcul. XVI. A.C. 1522.

§. LXXXIII.

Cardinales conclave ingressi.

Alia habebatur Congregatio die decima sexta Mensis Decembris in Basilica S. Petri in Sacello Sixtino. In hac conclavi initium esse dandum decernebatur, simulque cunctis, quæ ad portarum custodiam requirebantur, dispositis, reliquum diei colloquiis impendebatur, quibus Regum ac Principum Oratores honorati fuere. Die vigesima septima ejusdem Mensis Purpurati, re divina de Spiritu Sancto peracta, conclave ingressi sunt: Erant numero triginta novem, nec unquam Sacra hæc comitia majori Cardinalium frequentia magis erant conspicua. Primo quidem levis oriebatur contentio de sche- *Pet. Delph. l. 12. ep. 50.*

Sæcul. XVI A.C. 1522

darum norma, mox tamen decretum, illas esse scribendas, atque ex parte Scripturæ sigillo muniendas, ex altera vero parte absque sigillo complicandas, ne quovis pacto mutari valerent. Præterea sancitum, ut si qui forte mutata sententia ceteris accessuri, atque alteri sua suffragia daturi essent, id indicare deberent quodam signo, de quo ante scrutinium conveniretur. Hoc quidem jam octava Decembris decernebatur, ubi vero rursum proponebatur, nonnulli sese huic statuto opponebant, contendentes, juxta veterem morem suffragantium schedas omnino apertas esse dandas, alii vero eas clausas sigillo firmari petebant. Tertio post die scilicet trigesima Decembris Sacellanus in Sacello S. Nicolai sacris operatus est, quibus peractis suffragia prima vice colligebantur. Demandata est schedas ex calice extrahendi cura senioribus trium ordinum Purpuratis, quibus Cardinalis tit. Aræ-Cœli adjungebatur, post hæc Cornarus suffragia publice prælegit, eaque cunctis, qui illa signaverant, legenda exhibuit. Ferebat Ostiensis Cardinalis suffragia novem, Grimanus decem, Volaterranus, Flischus, de Montibus, & Anconitanus, quilibet quinque, Farnesius & Jacobatius septem, aliique adhuc pauciora.

Ergo

Ergo die prima Januarii Anno Christi milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo ad alteram votorum inſpectionem, quam *Scrutinium* vocant, procedere oportuit, ubi cum una aperiretur ſcheda, in ea tredecim omnino Cardinales nominabantur, quæ res adeo ceteros commovit, ut ſuffragantis nomen rupto ſigillo manifeſtari peterent, quod tamen effectui datum non eſt. In alia quadam ſcheda quinque ſcripti legebantur; præter hos Cardinalis Oſtienſis decem, nonnulli ſeptem, alii quinque ſuffragia ferebant. Die ſecunda Januarii tertia habebatur ſuffragiorum collectio, ubi in Cardinalem tit. SS. quatuor Coronatorum quindecim Purpurati conſpirabant, in quarto autem ſcrutinio die quarta Januarii habito idem nonniſi quinque, Fliſchus vero novem, totidemque in quinta votorum inſpectione poſtero die facta, nec non alii ſuffragia quinque habebant. Sequenti vero die Cardinalis Cibo, qui tum ægrotabat, ejus ſchedam deferentibus Anconitano, & Urſino Cardinalibus, ſolus duodecim ſuffragia numerabat, moxque Cardinalis tit. SS. quatuor Coronatorum exclamabat: *Nunc habemus Pontificem*, quocirca eidem Cardinali Medicæus, Petruccius de Valentia, Campegius, Cortonenſis, Armellinus, Sæcul. XVI. A. C. 1522.

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

& Rangonius accesserunt. Sub idem tempus Cæsarinus, qui prius Farnesio suffragabatur, mutata jam sententia Ægidium nominabat, quam ob rem tam acris orta est contentio, ut plerique ejus schedam aperiri voluerint; & quamvis omnes Papam esse electum divulgarent, Cardinales tamen ad ulteriora minime progredientes ea die nil amplius gesserunt.

Grimanus Cardinalis, cum adversa valetudine premeretur, variasque artes, quibus salva animi integritate adstipulari haud posset, adhiberi cerneret, ex conclavi excedere satius duxit, ceteris Cardinalibus eum detinere nequicquam conantibus: Cum vero Ægidius Cardinalis Farnesio vehementer indignaretur, septima jam vice suffragia colligere oportuit, ubi Jacobatius undecim, Flischus septem, Ursinus decem, & Grimanus septem sibi suffragantes habuit. Octavum quoque scrutinium effectu caruit.

Equidem Volseus Cardinalis, Regis Angliæ Minister, nec auro nec labori pepercit, ut ipse in summum Pontificem eligeretur: omnes tamen illius conatus in irritum ceciderunt. Nec benignior aspirabat fortuna Medicæo Cardinali, qui itidem potiorum suffragio-

rum

rum partem sibi conciliare nitebatur. Dudum Volseus vana spe semetipsum lactabat, fore, ut sua tandem prævalerent consilia, eoquod Cæsar, cui non infima in conclavi erat auctoritas, maximam ei spem feciſſet, effecturum se, ut ipse Papa fieret. Verum Carolus tantum ab eo, quod obtulerat, præstando abfuit, ut potius Adrianum Cardinalem Florentinum, Dertusæ Episcopum, a quo olim literis imbuebatur, defuncto Pontifici subrogari curaret. Sæcul. XVI. A.C. 1522.

§. LXXXIV.

Electio Adriani Cardinalis a Cæsare clam agitata.

Ceterum tanta dexteritate, tamque religiosa taciturnitate res agebatur, ut Cardinales, qui Caroli partibus obsecundabant, animi sui propositum minime proderent, sed jamjam contenti, ut Medicæi Cardinalis consilia everterent, interea opportunam sua vota ad effectum deducendi occasionem tranquille exspectarent. Nec minus caute Imperator animi sui sensus occultabat, quamvis ceteroquin Cardinalium quorumdam fidem adeo sibi perspectam haberet, ut de secundo successu securus esset. Id rei probavit eventus, quippe Adrianus nunquam hucusque nomina-

Saecul. XVI A.C. 1522

tus, in nona scrutatione die nono Januarii habita solus quindecim tulit suffragia, atque ille, qui Adrianum omnino eligendum ceteris proposuerat, in ampliſſimas illius laudes excurrens, præclaras ejus dotes, ac copioſos fructus in Eccleſiam ex ejusmodi electione redundantes prolixius enumerabat, quæ elogia Cardinalis S. Sixti, alias de Minerva dictus, ſuo quoque ſuffragio comprobans, ſe quoque eidem acceſſiſſe affirmavit, quo dicto Cardinales Columna, Cavallicenſis, de Monti, Fruſtius, Comenſis, Piccolominæus, Anconitanus, Numalius de Ara cœli, Armellinus Tranenſis, & alii eidem quoque ſuffragati ſunt, adeo, ut in eum ſolum quindecim ſuffragia convenirent.

§. LXXXV.

Adrianus Cardinalis Dertuſenſis Epiſcopus in Papam electus.

Ciacon. to. 3. p. 423.

Spond. ad ann. 1521. n. 11. & 1522. n. 1.

Sub idem tempus Cardinalis tit. S. Crucis Farneſium, ut ſuo quoque ſuffragio Adriano accederet, admonuit; ille vero reſpondit, ſibi id haud integrum fore, eoquod Adrianus non modo exterus eſſet, ſed nequidem Romanæ urbis limina unquam ſalutaſſet: Cum vero ceteri

ceteri omnes ejusmodi rationibus minime terrerentur, plures se illis quindecim jungebant, adeo, ut Adrianum ex tribus duæ suffragantium partes nominarent. Medicæus Cardinalis comperta ceterorum propensione, & ipse potiori parti suffragatus est, veritus, ne ejusmodi repugnantia prorsus irrita negotium sibi faceſſeret. Itaque Adriani electio unanimi omnium consensu confecta est, atque omnino prodigiosa & divini Spiritus afflatu directa habebatur ab illis, qui humana potissimum consilia interveniſſe ignorabant. Ceterum Adriano vix electo Parisius de Graſſis Pisaurienſis Episcopus Protonotario præcepit, ut ejusdem electionem populo annuntiaret, quod ille his verbis executus est: *Habemus Pontificem Dominum Adrianum Florentium, Trajecti in Belgio natum Cardinalem Presbyterum tit. SS. Joannis & Pauli.*

Sæcul. XVI. A C. 1522.

Paul. Jov. in vit. Adriani VI. p. 249.

Cum vero eo tempore Adrianus in Hiſpaniis ageret, sacrum Collegium Cardinales Pompejum, Columnam & Alexandrum Cæsarinum per sortes elegerunt, qui Legatorum munere aucti S. Collegii nomine Adrianum convenirent: quo decreto soluta fuere sacra comitia.

§. LXXXVI.

Sæcul. XVI. A. C. 1522.

§. LXXXVI.

Novi Pontificis Historia.

Paul. Jov. in vita Adriani VI. Victorel. apud Ciacon. Pallavic. lib. 1. cap. 2.

Neo-electus Pontifex patria Batavus natus est Trajecti die secunda Martii anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, ejus Pater fuit Zytopola, vel ut alii putant, aulæorum opifex, sed adeo pauper, ut filium suo sumptu bonis literis imbuere, nequaquam posset, cum vero miras nobilioris ingenii dotes in illo deprehenderet, eundem Lovanium misit, ut in Collegio Portiorum gratuito stipendio cum ceteris pauperibus alumnis aleretur. Ibidem Adrianus in disciplinis tam Philosophicis quam Theologicis eximium adeo profectum fecit, ut eidem, cum die vigesima prima Junii anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo Doctoratus laurea decoraretur, ipsa Margarita Eduardi IV. Regis Angliæ Soror, tum Caroli audacis Burgundiæ Ducis vidua, & Belgii Gubernatrix ad obtinendos hosce honores necessarias expensas suppeditare voluerit, Paulopost Adrianus ejusdem Margaritæ opera primo Lovanii Canonicus ad S. Petri ædes, postea Theologiæ Professor, ejusdemque Ecclesiæ Decanus, ac demum Universitatis Cancellarius electus fuit.

Maxi-

Maximilianus I. Nepoti suo Carolo Archiduci, qui tum nonnisi septimum ætatis annum agebat, ac postea Hispaniæ Rex, dein Imperator sub nomine Caroli V. salutabatur, Adrianum literarum, virtutisque Magistrum selegit, eundemque postmodum in Hispaniam Legatum decrevit ad Ferdinandum Regem, a quo Dertusæ, quæ Cataloniæ urbs est, Episcopus designatus, post Ferdinandi obitum unacum Ximenio Cardinale Hispaniam gubernavit, tandem vero Caroli V. nomine solus Regni Prorex renunciatus est.

Sæcul. XVI. A. C. 1522.

§. LXXXVII.

Adrianus VI. appellatus.

Die prima Julii Anno salutis millesimo quingentesimo decimo septimo a Leone X. Papa Cardinalium Collegio adscriptus est. Agebat is Victoriæ quadam Cantabriæ urbe, cum electionis suæ nuncium accepit, moxque Pontificio habitu ornatus, Adrianus VI. nominari voluit; quæ rei novitas omnibus admirationi fuit, eo potissimum nomine, quod quingentis abhinc annis & amplius Prædecessores ejus semper nomina sua mutassent.

Duchesne vies des Papes p. 383. Rayn. ann. 1522. n. 3.

§. LXXXVIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

§. LXXXVIII.

Adriani electio populo Romano ingrata.

Hujus electio Romanis, qui natione Italum præfici optabant, minus accepta erat, ac ſpeciatim populus adeo indignanter ejus nominationem ferebat, ut Cardinales, cum patefacto conclavi domum redirent, paſſim injuriis ac maledictis appeteret; hunc Romanorum furorem auxit fama in vulgus ſparſa, Pontificem neglecta Roma in Hiſpania permanſurum, aut ſaltem in Hollandiam rediturum, ut longiori itinere moram traheret. Præterea Paulus Jovius refert, quod Gonzaga Cardinalis, dum fervente populi tumultu cum pluribus Cardinalibus per pontem Sancti Angeli præterveheretur, *renidenti vultu ſeſe ad illos, qui ceteris magis tumultuabantur, convertens, his gratias egerit, quod adverſus extrema ſupplicia promeritos contumeliis eſſent contenti, nec lapidibus publicam injuriam vindicarent.*

Paul. Jov. in vit. Adriani VI. p. 251.

Interim, dum ipſe Romam veniret, Sacrum Collegium ex quovis ordine tres Cardinales conſtituit, qui Pontificia obirent munia, & Palatium Vaticanum incolerent. Die tamen decima Februarii Cardinalis Cibo, & Grimanus Eccle-

Ecclesiæ regimen acceptare recusabant, Fliscus quoque sese huic oneri itidem subducere cogitabat, ast legitima excusatione destitutus, suam nominationem ratam habere compellebatur, idque unicum precibus ejus datum, ut in Vaticano Palatio habitare non cogeretur. Sæcul. XVI. A. C. 1522.

§. LXXXIX.

Lutherus deserto secessu Wittembergam delatus.

Ineunte hoc anno Lutherus custodiæ suæ pertæsus Wittembergam rediit, cum vero ab Electore Saxoniæ minime vocatus esset, ejusque indignationem ultraneo hoc reditu incursurum se pertimesceret, ideo Mense Martio ad eundem literas dedit, hunc in modum scriptas. Jussa tua, Serenissime Princeps, semper revereor, secessum tamen meum relinquo, nullo perverso animi proposito stimulatus; haud equidem me latet, me plurium objurgationem incursurum, quod tali pacto meipsum discrimini exponam; cum enim a Papa necnon a Cæsare proscriptus sim, tantam horum potentiam contemnere non deberem, hæcque dudum, nec non seria mente perpendi; nihilominus triplici ex caussa reditum meum oppido necessarium fore existimo, ac primo quidem, quod a Witten-

Sleid in com. l. 3. p. 80. Florim. de Raym. de orig. hæres. l. 1. c. 5. Surius in com. an. 1522 Cochl. in actis & script. Luth. ann. 1522. p. 48.

Sæcul. XVI A. C. 1522.

Wittenbergenſi Eccleſia, cujus conſervationem negligere haud valeo, iteratis literis evocatus fuerim; hujus enim Eccleſiæ populique cura ſpeciali ratione mihi concredita, ejusque ſalus plurimum cordi eſt. Altera ratio fuit, quod me abſente diabolus totam meam Eccleſiam turbaverit, nec aliter quam me præſente pax revocari poſſit, quæ ratio adeo urgens mihi viſa eſt, ut vix rem edoctus, confeſtim nilque hæſitans itineri me commiſerim; nihil enim antiquius habeo, quam gregis mei ſalutem, cui quidem per epiſtolas invigilare potuiſſem, niſi in præſenti rerum viciſſitudine ejusmodi remedium nimis infirmum fuiſſet. Denique tertia ratio erat, quod ingentem tempeſtatem Germaniæ impendentem prævideam, cum illa Dei beneficia ſibi oblata contemnat. Equidem non pauci veram doctrinam (ita commentitiam ſuam reformationem appellitabat) ſummo ſtudio amplexi ſunt, aſt iidem illam morum ſuorum perverſitate coinquinant, illam Spiritus libertatem, quam a me edocti ſunt, in uſum improbum vertunt; alii vero omnino toti in eo ſunt, ut eandem hanc doctrinam penitus opprimant, quæ res ſeditionem afferre poſſet. Quamvis enim jam potenter Papæ tyrannidem diminuerim, cum tamen Magiſtratus inſignem

signem adeo favorem grato animo ac- Sæc. XVI.
cipere recusent, timendum omnino, ne A.C. 1522.
Deus Verbi sui contemptum puniat, ac sensim omnes malis oppressos penitus deleat.

In eadem epistola plures adhuc alias reditus sui causas adducit, quibus tamen minus insistit, primas, quas allegasset, satis superque validas existimans. His tandem addebat: oro te Sereniss-ime Elector, ut meum in urbem accessum, licet absque tua venia factum haud indigne feras, sed recorderis, quod tanquam Princeps supremus nonnisi in corpora, ac subditorum bona potestatem habeas, solus vero Christus supremus sit animarum Dominus, quarum cura cum mihi est credita, eis in auxilium venire, obstrictus sum.

§. XC.

Tumultus a Carolstadio Wittembergæ suscitati.

Turbas, quas Lutherus in sua epistola memorat, Wittembergæ suscitaverat Carolstadius, qui Lutheri absentiam in rem suam vertens, totam Ecclesiæ disciplinam evertere nitebatur: Idem enim, cujus jam olim mentionem ingessimus, Vir erat ferox, stupidus, callidus tamen & seditiosus, sine pietate,

Sleid. l. 3. p. 82.

Zwingl. ep. ad Matth.

Albert. id. de vera Relig.

Sæcul. XVI. A.C. 1522

& absque humanitate, Judæo similior quam Christiano, cujus ignorantia nullo magis luculento comprobatur argumento, quam illa explicatione, qua Christi Domini verba in institutione S. Eucharistiæ prolata corrupit, affirmans, quod Salvator noster, dum dixit: *Hoc est corpus meum* nullatenus respexerit ad corpus, quod tradidit, sed duntaxat semetipsum ostendere voluerit sedentem in mensa, prout erat cum suis Discipulis. *Ridicula prorsus explanatio*, inquit Meldensis Episcopus, *quam ab homine ratione utente inventam vix credas.*

Hosp. inian. fac. part. fol. 132.

Hist. Variat. l. 2. §. 8.

§. XCI.

Dissidiorum initia Lutherum inter & Carolstadium.

Priusquam Carolstadius absente Luthero insulsam hanc interpretationem excudisset, Wittembergæ sacras imagines e templis ejecit, sacratissimi Sacramenti elevationem, ipsasque Missas, ut vocant, privatas abrogavit, & communionem sub utraque specie restituit. Non equidem Lutherus hasce novitates improbabat, sed importuno tamen tempore factas, parumque necessarias damnabat: *Omnes*, ajebat, *erraverunt, quicunque consenserunt ad abrogandam Missam, non quod bonum non fuerit, sed quod non ordi-*

Sæcul. XVI. A.C. 1522

ordinate factum est. Ast dicis justum id esse ex Scriptura? fateor & ego, sed ubi manet ordo? quia ex temeritate factum est, absque omni ordine, cum scandalo proximi? Et nisi adeo mala res esset Missa, vellem eam restituere, optarem omnes imagines in toto mundo abolitas esse, sed prius imagines ex populorum animis, in quibus insculptæ sunt, eruere, illosque bene instruere vellem, postea corporeæ hæ imagines sua sponte concident.

Nihil tamen vehementius Lutheri indignationem provocabat, quam quod Carolstadius neglecta ejus auctoritate novi Doctoris officium sibi arrogaret; quocirca Lutheri sermones, quos hac de re habuit, notatu digni sunt; quippe suppresso Carolstadii nomine illos, qui horum ausuum auctores exstiterant, increpabat, quod nulla legitima potestate, quam missionem vocat, suffulti, tales ausus attentassent, perinde ac si sua audacia firmiori niteretur fundamento. *Tueri*, inquit, *facile illos possum contra Pontificem, ast non contra dæmonem in mortis articulo objicientem illud: omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicetur*, & illud: *non mittebam Prophetas, sed ipsi currebant, non loquebar ad eos, sed ipsi prophetabant. Quid tunc respondebunt? in infernum præcipitabuntur.*

Ep. Luth. ad Casp. Gustol. 1522.

Serm. quid Christiano præstandum to. 7. fol. 273.

Sæcul. XVI. A C. 1522.

In alio sermone, quem itidem Wittembergæ habuit, probare conabatur, ad tollendas morum corruptelas non tumultus, non manus, sed Verba esse adhibenda; *Dum enim*, inquit Lutherus, *suaviter dormiebam, aut cerevisiam cum Melanchtone hauriebam, verbum meum Papam tum fortius concussit, quam Principum ullus. Si cum tumultu agere voluissem, nataret Germania in sanguine, nec Imperator Wormatiæ, ubi tum eram, securus fuisset.*

Nec tamen propterea Carolstadius sua ex parte obmutuit, sed ita a Luthero lacessitus, doctrinam de præsentia reali impugnare aggressus est, non alio, quam æmulum suum exagitandi studio incitatus. Nec segnior Lutherus in odium Carolstadii S. Hostiæ elevationem, quamvis eam prius abrogare constituisset, nihilominus retinuit, ut ipsemet fassus est. *Ne*, inquit *Diabolus nos docuisse aliquid videatur.* Nec moderatius scribebat in quadam epistola, in qua de Carolstadii reformatione agens, eidem exprobrat, *quod Christianismum reduxerit ad res nihili, quales sunt, communionem sumere manibus, & sub utraque specie, abrogare confessionem, & confringere imagines.*

Hosvin part. 2. fol. 188. Ep. ad Casp. Gustol. form. Miss. tom. 2 fol. 384. 386.

Unum tamen articulum Lutherus in Carolstadio improbare non audebat, nempe

nempe impias, quas contraxit, nuptias; cum enim ipsemet Lutherus sacrilegum ejusmodi connubium inire constituisset, pergratum ei accidit, quod Carolstadius exemplo suo præire haud dubitasset. *Hæ nuptiæ*, inquiebat Lutherus, *summa me afficiunt lætitia, itaque Deus Carolstadium corroboret in facinore, quod nuper ad vitæ licentiam in Papistis reprimendam aggressus est.* Ceterum hæreticus iste ex omnibus Germaniæ Ecclesiasticis primus fuit, qui publice connubium inire attentavit, ubi ejusdem discipuli ad celebrandum infamem hunc concubinatum epitalamium multis blasphemiis unacum impietate respersum composuerunt. Sæcul. XVI. A. C. 1522.

§. XCII.

Lutheri epistola ad comitia Ordinum Bohemiæ.

Effrænata in Dei Ecclesiam rabies Lutherum ad quævis audenda concitavit; unde Statuum, ac nobiliorum Virorum arcana, quantum valuit, explorare intentus, eos ab unitate Ecclesiæ avellere nitebatur: Cum vero in Bohemia a Regni Ordinibus comitia celebrari, ac Pontificis auctoritatem toto studio stabiliri comperisset, ad tantam prolapsus est audaciam, ut datis ad hu- *Sleid. in com. l. 3. p. 82. & 83.*

Sæcul. XV. A. C. 1522

jus regni Ordines literis summum Pontificem apud eos in invidiam trahere, ac totis viribus, ne Romanæ urbis Episcopus pro Apostolorum successore ab eis haberetur, impedire præsumeret. Dabat hanc epistolam die vigesima nona Julii, atque in ea hæc scribit: Sæpius me in Bohemiam eundi desiderium incesserat, hoc tamen iter aggredi ausus sum nunquam, veritus, ne mei Adversarii me auffugisse credant, spero tamen, Germanos ac Bohemos brevi eandem fidem professuros; credebat enim Lutherus, quod hi scilicet ex mente Ipsius, summi Pontificis auctoritatem haud ultra reverituri, sed illum velut antichristum, Romam vero tanquam Babylonicam Meretricem detestaturi essent: cum vero Catholicorum pars ceteris numero & potentia adhucdum prævaleret, hunc populum adhortabatur, ut dejecto divisionis muro a Joannis Hussi, & Hieronymi Pragensis Doctrina minime recederet.

§. XCIII.

Lutheri liber contra Episcopos Germaniæ.

Sleidan. in com. l. 3 p. 83

Eodem anno Lutherus adversus totum Ecclesiasticum Germaniæ statum, ac præcipue contra Episcopos librum edidit

dit prorsus seditiosum, latino sermone conscriptum, cui hunc titulum præfixit: *Adversus falso nominatum ordinem Episcoporum.* In proemio libri semetipsum appellat *Dei gratia Ecclesiastem, ac Wittembergensem Prædicatorem. Cum enim,* inquit, *tot Bullæ, tot anathemata, ac Papæ Cæsarisque damnationes omnes mihi titulos abstulerint, & bestiæ characterem in me deleverint, necessario hunc titulum suscepi, non ab homine, neque per hominem, sed per revelationem Jesu Christi.* In toto hoc libro nonnisi convitiis atque opprobriis adversus Ordinem Episcoporum insano furore tumultuatur, eosque ignorantiæ, licentioris vitæ, ac tyrannidis insimulat, præcipue vero eosdem velut Evangelii & veritatis hostes, atque idololatras traducit, eoquod, inquit ipse, hominum traditiones sequantur, & Papæ idolum adorent. Nec etiam effutire erubescit, quod Ecclesiæ ac Monasteria nil nisi Inferni portæ, ac inutilium rituum officinæ sint; postea etiam declamat contra celibem vitam, & vota, nilque eorum prætermittit, quibus Clericos populo infensos reddere, plebemque contra eos ad seditionem suscitare poterat, quinimo eo temeritatis pervenit, ut etiam asserere auderet, quod Episcopi nonnisi ex seductione Sathanæ Episcopi sint,

Sæc XVI. A C 1522.

Cochl. p. 52. 53. ad ann. 1522.

Sleidan. l. c. p. 83.

Adversus falso &c. inter opera Luth t. 2. fol. 305.

Cochl. l. c fol. 49. 50. 51.

Sæcul. XVI. A. C. 1522.

proin tanquam Dæmonis Nuntii ac Vicarii habeantur.

§. XCIV.

Lutheri ſcriptum adverſus Bullam quæ incipit: In Cœna Domini.

Præterea, ut ſuam in Pontificem vindictam exereret, eoquod ab eo promulgata Bulla, quæ incipit: *In cœna Domini* nominatim excommunicatus fuiſſet, aliam oppoſuit Bullam, ſuo Auctore dignam, quam inſcripſit: *Doctoris Lutheri Bulla & reformatio.* In ea inquit: *Quicunque opem ferunt, corpus, bona, & famam in hoc impendunt, ut Epiſcopatus devaſtetur, & Epiſcoporum Regimen extinquatur, hi ſunt dilecti Filii Dei, & veri Chriſtiani. Contra vero quicunque manutenent Epiſcoporum Regimen eisque obediunt, hi ſunt Diaboli miniſtri proprii.*

Cochl. p. 49.

§. XCV.

Germanica Novi Teſtamenti translatio per Lutherum facta.

Cochl in act. & ſcript. Luth ann. 1522. p. 50.

Hoc eodem anno Lutherus ſacri Codicis ac præcipue novi Teſtamenti, quod Germanice reddebat, partem divulgare cæperat. *Quis*, inquit Cochlæus,

Sæcul. XVI. A.C.1522.

læus, *satis enarrare queat, quantus dissidiorum, tumultuumque, & ruinarum fomes, & occasio fuerit ea novi Testamenti translatio, in qua Vir jurgiorum, data opera, contra veterem & probatam Ecclesiæ lectionem multa immutavit, multa decerpsit, multa addidit, & in alium sensum detorsit, multas adjecit in marginibus passim glossas erroneas, atque cavillosas, & in præfationibus nihil malignitatis omisit, ut in partes suas traheret Lectores*, quorum quamplurimos misere seduxit: Præsertim Lutherus errores suos in præfationibus atque notis manifestius, quam in ipso textu ostendit. Insurrexerunt quantocius contra hanc versionem Catholicorum quamplurimi, qui ex ea plusquam mille depravationes collegerunt. Hos inter Hieronymus Emserus Lipsiensis Doctor, qui Georgii Saxoniæ Duci a Consiliis erat, non solum hos Lutheri errores scripto notavit, sed velut pro salubri contra Lutheri venenum antidoto fidelem & exactam translationem, quæ probato ac recepto in Ecclesia textui latino in omnibus conformis erat, evulgavit: quæ eadem postmodum translatio per universam Germaniam diffundebatur, eo fine, ut Catholici sacras literas ad manus haberent, in quibus nil nisi ad inspirandam pietatem, & Dei cultum utilia invenirent, suasque animas Dei

Prateol. in Luth. Spond. ad hunc an. n. 11.

Sæcul. XVI. A.C. 1522. verbo ipsis in lingua vernacula proposito pascere possent: nec magis prudenti ratione confundi valent turgida Hæreticorum promissa, quibus falso persuadent, a se tantum ea, quæ evidenter in Dei verbo continerentur, ad credendum proponi. His ergo opponantur Sacræ Paginæ fideliter versæ, atque hoc medio facile illis falsa eorum jactantia demonstrabitur. Enimvero nihil magis hæreticorum conversionem adjuvat, quam si eis probata sacri Codicis translatio ob oculos ponatur.

§. XCVI.

Polonica Bibliorum translatio Socinianæ opposita.

Possevin. in appar. Luculentum hujus rei argumentum desumitur ex iis, quæ Possevinus refert de Bibliis, quæ Sociniani Polonice reddiderunt, cui Jacobus Viecius, celebris ac doctus Jesuita totum sacrum Codicem in idem idioma a se translatum opposuit, „ cum enim, ut inquit „ Possevinus, Unitarii eo fine versiones „ hasce Polonicas ederent, ut suos erro- „ res per universam Poloniam dissemi- „ narent, hinc Jacobus Viecius Jesuita „ ex eadem natione ortus a Gregorio „ XIII. Papa mandatum accepit, ut sa- „ cras Paginas ex integro in idioma „ Polo-

„ Polonicum transferret, hocque pacto genuinam verſionem illi ſpuriæ ab Anti-Trinitariis conflatæ opponeret. Itaque Viecius eam adornavit, ac veteri latinæ verſioni inſiſtens illam Cracoviæ approbante ſummo Pontifice in poſtremo hujus ſæculi anno typis vulgavit. Porro nova hæc verſio ad extirpandos recentiorum Arianorum, qui ſeſe per hoc regnum diffundebant, errores perutilis eſt;„ unde Gneſnenſis Archiepiſcopus Poloniæ Primas eandem ſuis impenſis edi curavit: Præterea Patres Jeſuitæ in Catalogo, ubi cunctos Societatis Scriptores referunt, teſtantur, quod hæreticorum verſiones mox vileſcere incæperint, poſtquam Viecius Epiſtolas & Evangelia vulgaverat, quinimo iidem admodum prudenter animadvertunt, „ quod hujus Viri „ opera inutiles reddiderit artes hæ„ reticorum, quibus nil magis ſolemne „ eſt, quam ſacras Paginas, quæ publi„ ci ac communes Eccleſiæ fontes ſunt, „ veneno ſuo inficere, ac malignis ver„ ſionibus depravare, eo fine, ut illi „ qui ex corruptis ejusmodi fontibus „ aquam ſalutis haurire deſiderant, „ eam bibere non poſſint, quin veneno „ ſibimetipſis mortem conſciſcant. „ Eundem etiam finem ſibi præfixiſſe videtur Emſerus, dum integerrimam novi Teſta- Sæcul. XVI. A. C. 1522.

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

Testamenti versionem oppositi illi, quam Lutherus in tot locis corruptam, atque adulteratam edidit.

§. XCVII.

Lutheri versio Novi Testamenti damnata.

Ep. Duc. Greg. ad Regem Angliæ apud Cochl. an. 1522. n. 50

Cum tam adulterinam versionem Rex Angliæ conspiceret, hac super re literas dedit ad Germaniæ Principes, præcipue vero ad Fridericum, Joannem, & Georgium Saxoniæ Duces, quos admonuit, ut malo inde pullulanti obviarent. *Literas has*, inquiebat, *obsignaturo mihi in mentem venit, Lutherum in suis adversum me nœniis excusare se, quo minus ad reliqua respondeat, impeditum se esse transferendo Biblia. Visum est igitur hortari vos, ut omnium rerum maxime provideatis, ne id permittatur facere. Nam ut-ut bonum esse, non negem, in quavis lingua legi Scripturam sacram: id certe periculosum est ex ejus versione, cujus mala fides fidem facit omnibus, id illi studium esse, ut bene scripta male vertendo pervertat, & populus ea se legere putet in Scriptura sacra, quæ vir execrabilis ab execrandis hausit hæreticis.* Ast sera nimis fuit admonitio; priusquam enim Regis Henrici VIII. literæ ad Georgium Saxoniæ Ducem perveniissent, jamjam per universam

sam Germaniam longe lateque divulgata erat nova Lutheri traductio; quocirca Georgio nil reliquum erat, quam ut hanc versionem proscriberet, ac comburi juberet. „ Nil, rescripsit ille ad „ Henricum Regem, intentatum relinquo, ut pernicioſos hujus Viri libros a „ statibus meis eliminem, nam proprio „ meo ære coemo omnes, quotquot „ possum, novi Testamenti ab eo traducti libros; certus enim sum, illum eo „ duntaxat fine hunc laborem in se suscepisse, ut eo fallacius errores ac „ dogmata sua spargere valeat.„ Ferdinandus quoque Austriæ Archidux Cæsaris frater novam Lutheri versionem publicari severissimo edicto prohibuit, ac ipsemet, cum Imperator tum in Hispaniis ageret, cunctis Cæsareæ Majestatis suæ subditis præcepit indictis gravibus pœnis, ut omnes quicunque novi hujus Testamenti libros domi haberent, eos traderent illis, quibus ejusmodi cura demandata erat, ut in unum congesti rogum publice comburerentur.

Sæc. XVI. A C. 1522.

Cochl. l. cit. p. 55. Raynald. hoc ann. n. 48.

§. XCVIII.

Lutheri scriptum adversus damnatæ versionis edicta.

Hoc Archiducis edictum in tam insanos furores concitavit Lutherum, ut

Sæcul. XVI A.C. 1522.

ut contra Principes tractatum scriberet *de potestate sæculari*, in quo illos tyrannidis, atque impietatis accusat, ac indignis prorsus convitiis proscindit. *In Misnia*, inquit, *in Bavaria, in Marchia, aliisque in locis promulgarunt Tyranni edictum, ut nova Testamenta hinc inde in præfecturas tradantur. Subditi sic agant: Non foliolum, non literam unam tradant sub periculo salutis suæ. Quisquis enim id fecerit, is tradit Christum Herodi in manus; illi enim agunt velut Christicidæ, sicut Herodes.* Tanta rei indignitas adeo Georgium Saxoniæ Ducem commovit, ut graviter apud Fridericum conquestus, eum vehementer hortabatur, ut de Luthero debitas pœnas sumeret. Itidem Angliæ Rex de Lutheri petulantia plurimum apud eundem querebatur, eidemque exponebat, maximum toti Germaniæ periculum impendere, si tanta impudentia impunis permitteretur. Ast adeo crevit Lutheri potentia, ut eum castigare nemo auderet, & Fridericus Saxoniæ Dux, cujus potissimum fuisset ejus audaciam reprimere, eidem omnem libertatem indulsit.

Inter opera Luth lib. de sæculari potestate.

§. XCIX.

§. XCIX.

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

Carolus V. ex Hiſpaniis in Angliam navigans.

Interea Cæſar rebus ſuis in Flandria & Germania diſpoſitis, maritimo itinere in Hiſpaniam revertebatur, ubi ejus præſentia multum neceſſaria erat: cum vero in tranſitu Regem Angliæ inviſere decreviſſet, die vigeſima ſexta Maji Dubrim appulſus eſt, ubi Volſeium Cardinalem obvium habuit, qui ſplendido ſtipatus comitatu adventantem præſtolabatur. Ipſus quoque Henricus biduo poſt ibidem advenit, atque ambo Principes poſtmodum Londinum proceſſerunt, ubi Imperator ſummis honoribus excipiebatur, ab Henrico Periscelidis Ordine auctus. Præterea uterque Brugenſem tractatum confirmabant, quo ſancitum, ut Carolus V. Mariam Regis Angliæ Filiam ſibi connubio jungeret, necnon idem in Francia ad Hiſpaniæ confinia, Henricus vero in Picardia quadraginta peditum, & decem millia equitum quisque aleret; huicque fœderi, ut Papa, Venetique accederent, rogarentur, ac denique ambo Principes fidem darent, quod ſua opera Helvetios vel ad deferenda Gallorum vexilla, vel ſaltem ad id, ut neutrius partes amplecteren-

Joan. Ant. de vera hiſt. Carol. V. p. 78.

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

cterentur, inducere velint. His pactis Henricus oppido contentus, Cæsari magnam, qua indigebat, pecuniæ summam mutuo dedit, eamque ducentis quinquaginta aureorum millibus haud minorem fuisse ferunt.

§. C.

Cæsar in Hispaniam delatus.

Quinque omnino hebdomadas Carolus in Anglia morabatur, quo temporis spacio Anglorum affectum penitus sibi conciliabat, simulque classis suæ, qua in Hispanias veheretur, Præfectum nominabat Surregiæ Comitem. Postmodum Augustoduni de portu solvens decimo navigationis die secundis velis in Cantabriam pervenit. Desiderabat equidem Adrianum Papam Barcinone venerari; rogavit enim illum, ut ibidem eum præstolari ac filialis obsequii sui homagium excipere velit. Verum Adrianus suum in Italiam accessum maturabat, veritus, ne Cæsaris colloquium iter suum retardaret; unde arrepto alio itinere, jamjam Barcinonem reliquerat. Nihilominus priusquam discederet, literas ad Cæsarem dedit, quibus promptioris discessus sui causas exposuit his verbis: „ Nil ardentius desi-„ dero, quam Majestatem vestram in-„ vise-

Idem ibid. p. 99.

„ visere, in ejusque amplexus ruere, Sæcul. XVI.
„ id mihi antiquissimum est, ut te salu- A. C. 1522.
„ tato etiam reportatas victorias gratu-
„ lari, teque edocere possem de statu,
„ in quo reliqui Hispaniæ Regnum,
„ quod te absente rexeram: verum sau-
„ sta hac sorte privor, eoquod instant,
„ urgentque omnes, ut Romam proti-
„ nus contendam; cum ibidem præsen-
„ tia mea sit oppido necessaria, nihilo-
„ minus æque ibi ac in Hispaniis tibi u-
„ tilis esse potero, ceterum in tua æqui-
„ tate tantum confido, ut certo mihi
„ persuadeam, te nullatenus ægre ferre,
„ quod eo me conferam, quorsum me
„ muneris mei ratio advocat. „ Datis hisce literis Reginæ Caroli Imperatoris Matri valedixit, eidemque Regni curam commendavit, nec minus ad eandem quoque sollicitudinem Senatum, supremum classis Præfectum, & Connestabilem adhortatus est: paulopost ejus discessum, cum Cæsar illuc adveniret, illi severam seditionis suæ pœnam timebant, qui Carolo absente conjuraverant. Verum ille, quamvis ob hoc crimen quam plurimi carceribus inclusi hærerent, nihilominus clementia motus nonnisi eorum octo capite plecti voluit, qui ob alia etiam scelera mortis supplicium promeriti sunt, ceteris vero cunctis omnium culparum oblivionem concessit,

Saecul. XVI. A.C.1522. exceptis centum octoginta, quibus tamen paulopost itidem vitæ veniam indulsit. Nec sine ingenti repugnantia Petrum de Ayala Salvaterræ Comitem extremo supplicio addixit; verum tam enormia illius erant scelera, quæ ipsa etiam generis sui nobilitas adeo atrocia reddebat, ut clementiæ locum haud ultra relinquerent.

§. CI.

Res in Italia durante hac expeditione.

Pessimo loco res in Italia erant, nam Prosper Columna, cum æs militare deficeret, potissimis exercitus sui copiis missionem fecit, hinc Imperator ex pecuniis, quas ab Angliæ Rege mutuas acceperat, inclinatas res haud parum erexit; quippe aliquam dictæ summæ partem Columnæ & Piscario transmisit, quibus ambo Belliduces aucti Franciscum Sfortiam non tantum suo Ducatui, sed ipsi etiam Medidolanensi urbi reddere aggrediebantur. Hanc in rem Hieronymus Adornius operam suam obtulit, ut Sfortiam adjuvaret, eumque Tridento, ubi sextum jam in annum hæserat, Mediolanum reduceret; enimvero promissum suum non minori dexteritate, quam successus felicitate executus est; quippe cum Grisonum Respublica transi-

transitum denegaret, Bergomum versus iter suum direxit, ac sex millibus Germanorum peditum conscriptis Sfortiam præfecit, ipse vero cum his copiis sese Cæsaris exercitui conjunxit, Lautreco transitum ejus nullatenus remorante. Sæcul. XVI. A. C. 1522.

§. CII.

Gallorum exercitus sexdecim Helvetiorum millibus auctus.

Equidem Cæsaræi nullum non movebant lapidem, ut Helvetios a Gallorum stipendiis averterent, nihilominus iidem sexdecim millium suppetias Lautreco submiserunt, quorum numero auctus fœderatis superior evasit. Ducebant hasce Helvetiorum copias Sabaudiæ Nothus, magnus Franciæ Magister, Cabannius Marescallus, & Galeatius Sanseverinas; Interea Fœderati tam valido hostium subsidio turbati, cunctas, quæ eis adhærebant urbes, deserere constituebant, ac earum duntaxat quatuor defendere parabant. Has inter erat Novarra, quam Philippus Tornellius cum duobus præsidiariorum millibus tueri promiserat, secunda fuit Alexandria, cui Hector Vicecomes cum mille quingentis peditibus præerat, reliquæ duæ erant Papia, ac civitas Mediolanensis, quarum primam Antonius de Leva cum

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

duobus Italorum millibus totidemque Germanis propugnabat, in alteram vero sese incluserat Columna cum septingentis Cataphractis, totidemque levis armaturæ equitibus, ac duodecim peditum millibus.

§. CIII.

Lautrecus Mediolanum movens, mox vero reversus.

Eodem tempore Gallis adhucdum Mediolanensis arx parebat, quocirca Columna, ne illius præsidium subsidiis juvaretur, eam duplici vallo fossaque circumdare, ac exercitum suum intermedium collocare constituit. Nihilominus Latrecus urbi appropinquabat, hostium castra exploraturus. Verum ubi propugnacula valide munita cernebat, eaque vi superare desperabat, sese fuga proripere decrevit: Cum autem de fugæ suæ ratione meditabundus ibi hæreret, Columna illum conspiciens tormentum, quod colubrinum vocant, aggeri impositum explodi jussit, cujus globo Marcus Antonius Columna Prosperi Nepos, ac Gallico levioris armaturæ Equitatui præfectus, necnon Camillus Trivultius Spurius ejusdem nominis Marescalli filius trajecti occubuerunt.

Prius-

Priusquam vero Lautrecus ſeſe re- Sæcul. XVI.
ciperet, circum circa Piſtrina deſtrui A.C. 1522.
juſſit, urbem famis violentia ad deditionem compulſurus. Hunc in finem aquarum curſum alio divertit, ratus, hac via hoſtium agmina brevi diſpergenda, quibus peractis Caſſani caſtra metabatur, cui etiam Joannes Medicæus tria peditum millia ac ducentos equites adduxit. Tunc primum Lautrecus nuncium acceperat, quod Franciſcus Sfortia Tridento cum ſex Germanorum peditum millibus abierit, ac Veronenſi & Mantuana ditione obliquo itinere ſuperata Placentiam venerit, eidemque Mantuæ Marchio cum ſuis Cataphractis ſeſe adjunxerit, nilque propius fuerit, quam ut Papiam, ac demum prima, quæ ſeſe offerret, opportuna occaſione Mediolanum contenderet. Huic tranſitum intercludendi deſiderium tam vehementer agitabat Lautrecum, ut caſtra movere decerneret.

§. CIV.

Morentiacus Leſcuno Mareſcallo occurrens.

Sub idem tempus nunciatum eſt Lautreco, quod Leſcunus Mareſcallus ejus Frater e Francia redux, necnon pecuniariis ſubſidiis auctus quosdam pe-

Saecul. XVI A.C. 1522

dites Genuæ expositos secum adduceret, quapropter quantocius Morentiacum cum tribus Helvetiorum millibus, & mille Italis, necnon ducentis Cataphractis præmisit, dato negotio, ut Lescunum comitaretur, simulque Ticini transitum hisce copiis magis expeditum redderet. Ast haud exigui laboris opus erat, hoc mandatum exequi; Franciscus enim Sfortia jamjam Papiam adveniens, Morentiaci accessum exploratum habebat: Saluti tamen fuit, quod *Bucardus de Refugio*, qui Cataphractis imperabat, opportune Morentiaco sese conjungeret; præcipiti enim cursu, quo cum suis Bucardus advolabat, tam densas pulveris nubes suscitaverat, ut Sfortia & Marchio Mantuanus totam Gallici exercitus molem sibi impendere arbitrati, Papiam sese reciperent.

§. CV.

Novarra a Morentiaco obsessa, captaque.

Morentiacus impendens sibi periculum hoc pacto eluctatus, interea, donec Lescunus adventaret, Novarram versus movit, urbemque, arx enim adhuc Gallis subjecta erat, expugnare constituit; cum vero cives illam hac ex parte tot vallis fossisque firmassent, ut eam expugnandi

di nulla spes esset, adversus mœnia, quæ arci opponebantur, prægrandes duos tormentorum suggestus erigi jussit, brevique tanta muri ruina facta, ut Helvetii, deficientibus aliis peditibus assultum tentare juberentur, qui tamen nec jussis nec precibus flexi nullatenus obtemperabant: „ Non enim inquie- „ bant, nisi in plena acie contra hostes „ dimicare obstricti sumus. „ Ergo Morentiacus Cataphractos suos, ut equis desilirent, jubere compulsus, ipsus ante eos præibat, ac transcensis muris urbem cepit, cunctis, qui in ea erant, aut promiscue trucidatis, aut captis: nec ulli vitæ gratiam fecerunt Galli, nisi Philippo Tornellio civitatis Gubernatori, reliquos autem omnes jugularunt, utNovarrensium crudelitatem plecterent, qua insciscos Gallorum adhuc respirantium ventres avena replebant, ut exinde eorum equi pabulum sumerent. Post aliquot tempus ipse Lescunus Marescallus cum suo comitatu advenit, junctisque Baiardi Equitis & Morentiaci copiis Viglebanum in suam quoque potestatem redegit. Sæcul. XVI. A C. 1522.

§. CVI.

Franciscus Sfortia in Mediolanensem urbem receptus.

Interea cum Prosper Columna nil cer-

Sæcul. XVI
A. C. 1522

Petr. de Ang ep. 760. Capella l. 2

tius haberet, quam quod Lautrecus ante Morentiaci adventum urbem minime aggressurus esset, Mediolano ad Sfortiam perscripsit, suadens, ut quantocius cum sex Germanorum peditum millibus, quos secum ducebat, captata occasione urbem accederet. Ipse etiam Prosper medio itinere eidem obviam processit, ac Sfortiam excepit, cunctis civibus atque incolis in ingentes lætitiæ testificationes effusis; gaudebant enim omnes, quod rursum pristini Principis sui Filium recipere possent.

§. CVII.

Lautrecus cæptam Papiæ obsidionem solvere coactus.

His interim gestis Lautrecus castris Cassano motis ad Binasensem urbem, quæ Papiam & Mediolanum æquali spatio intersecat, substitit; nam hoc situ occupato Papiam facile armis suis subjiciendam existimabat; nunciatum enim ei erat, urbem, cui Mantuanus Marchio præerat, nonnisi exiguo militum præsidio a Sfortia fuisse munitam: igitur pertormentorum vim satis amplo murorum hiatu patefacto, sui milites Venetis conjuncti assaltum tentant, sed non sine grandi suorum dispendio repelluntur, nec magis secundus arridebat suc-

ſucceſſus alteræ irruptioni, quam ad poſticam prope Ticinum tentabant; ibidem enim Roccapoſius Sclopi globo in crure vulneratus, & Riberacus omnino occiſus periit, idque factum eſt ex Centurionis Columberii culpa; hic enim, cum poſticam aggredi juberetur, toto certaminis tempore ad fluminis oram otioſus ſubſtitit, perinde acſi Spectatoris duntaxat officium eidem fuiſſet demandatum: Gallis itaque repulſis mille Corſicani totidemque Hiſpani ſequentis noctis beneficio in urbem nemine advertente irrepſerunt, cum vero & ipſe Proſper Columna cum Cæſaris exercitu eo adventaret, Lautrecus obſidionem penitus ſolvere compellebatur, ac recta Marinianum contendens, indeque Mediolanenſis civitatis conſpectum prætervectus, Monzæ, quæ exigua urbs eſt, caſtra poſuit, ut reſiduam pecuniæ ſibi ex Galliis transmiſſæ partem ſecurius reciperet.

§. CVIII.

Fœderatorum caſtra Bicocæ.

Fœderati pecunias Lautreco ſubmitti forte edocti, e caſtris ſuis Anchiſem Vicecomitem cum expedita militum manu emittunt, dato negotio, ut hæc auri ſubſidia interciperet: cum igitur quæ-

Sæcul. XVI. A C. 1522

ſtor militaris, ut tranſitum cum pecuniis tentaret, viribus impar eſſet, Aronæ ſubſiſtere cogebatur, non ſine gravi Gallorum damno; hæ enim pecuniæ ad numeranda Helvetiis ſtipendia erant deſtinatæ, quibus non perſolutis Helvetii quatuor dierum inducias admittebant, quo autem tempore elapſo, acceptoque interceptæ pecuniæ nuncio, eorum Belliduces Lautrecum adierunt, poſtulantes, ut vel ſtipendia ſolveret, vel miſſionem concederet, aut ſaltem eos in pugnam adverſus hoſtes duceret.

Eo tempore Fœderatorum exercitus caſtra metabatur Bicocæ, quæ erat villa tertio ab urbe Mediolanenſi lapide diſſita, ubi amplum erat vivarium, quod nullo negotio munimentis firmari potuiſſet, præſertim cum illud aliunde larga admodum foſſa cingeretur, quæ loci iniquitas abs dubio aggreſſionem ſatis difficilem reddidiſſet: quapropter Gallorum Belliduces Helvetiis exponebant, quod hoſtem tam opportuno loco munitum aggredi, belli legibus recta adverſaretur; cum nil certius quam clades expectari poſſet, ceterum pecunias jamjam Aronam delatas quinto aut ſexto die abs omni periculo advehendas ajebant, ut dein Fœderatorum copiæ amiſſa hujus prædæ ſpe a ſignis dilapſuræ forent,

eo

eo certius, cum Neo-electus Papa illis stipendia numerando impar esset, jamque duo fluxissent menses, e quibus Cæsar nullas in Italiam pecunias transmisisset. Sæcul. XVI. A.C.1522.

§. CIX.

Galli ob Helvetiorum Seditionem ad pugnam coacti.

Verum ad hæc Helvetii responsi loco nil aliud postulabant, quam vel pecunias vel missionem sibi dari, aut saltem ad pugnam educi; nilque amplius ab eis impetrari poterat, quam ut Lautreco totam posteram diem indulgerent, infra quem Bicocæ castra, hostemque explorare posset. Post hæc potissima Gallorum Belliducum pars in eam ibat sententiam, Helvetiis reditum in suam patriam esse concedendum, ceteras vero, quæ supereressent, copias urbibus, quæ in Longobardia adhuc Gallis parerent, imponendas: Verum Lautrecus aliorum consilia sequi raro solitus, hostium castra aggredi statuit, eumque in finem Crequium de Pondormo exploratum misit: Ipse vero copias suas in tria divisit agmina, totidem in hostes impressiones tentaturus. Primam aciem unacum octo Helvetiorum millibus tuebatur Morentiacus, quem nonnulli Nobiles, qui inter primos ordines dimicabant, comitaban- *Mem. du Bellai l. 2.*

Sæcul. XVI. A.C.1522

tabantur. Medio autem agmini præerat Lautrecus, cui Chabanius Mareſcallus, & Sabaudiæ nothus parere juſſi ſunt. Poſtremam denique aciem conſtituebant Veneti, qui nulli præter Urbinatis Ducem, qui ipſis præerat, obedire voluerunt. Omnes autem has copias præibat Petrus Navarrus cum ſuis Vaſconum legionibus, multisque foſſoribus, qui vias æquarent. Partitis ita curis Leſcunus Mareſcallus ad lævam declinans, circuitu facto Fœderatorum pontem cum ſuis equitibus ex improviſo capere conſtituit, Helvetiis interim recta ad munimenta properantibus: Lautrecus autem ad dexterum cornu procedebat, & Urbinatis Dux collem occupabat, ubi ab hoſtium incurſu tutus erat. Refert Guicciardinus, Leſcunum juſſiſſe, ut ſui milites rubram Crucem deferrent, hoc ſtratagemate Cæſareos, qui itidem hac teſſera utebantur, decepturus, eisque perſuaſurus, perinde acſi in eorum auxilium accurrere vellet.

Guicc. l. 14.

§. CX.

Pertinax Helvetiorum conſilium de prælio ineundo.

Mimm du Bellai l. 2.

Cum interea Proſper Columna per ſuos exploratores Gallorum conſilia edoceretur, Franciſcum Sfortiam cum ſuis

ſuis ſex Germanorum peditum millibus Mediolano ad ſe advocabat, reliquas vero Fœderatorum copias in aciem collocabat, dato negotio, ut ſigna inferentibus ſtrenue reſiſterent. Jamjam Helvetii, qui Gallorum ſtipendia merebantur, foſſis colle tectis appropinquabant, ſubſiſtere tamen juſſi, donec tormenta ac foſſores Navarrenſes accederent, ac ipſemet Leſcunus ad præſtitutam ſtationem perveniret, ut poſtmodum uno eodemque tempore duplex in hoſtem irruptio fieret. Sæcul XVI. A.C.1522.

§. CXI.

Tria Helvetiorum millia in prælio trucidata.

Nihilominus Helvetii Gallorum monita ſurdis auribus excipientes foſſam, quæ obſtabat, ſuperare aggrediuntur, ut exteriorem illius loricam tranſcendere poſſent: cum vero toto corpore tormentorum ictibus expoſiti eſſent, priusquam foſſam adorirentur, ſelectioris militiæ viros amiſerunt, ceteris omni impetu in foſſam irruentibus, quam cum adeo profundam experirentur, ut haſtarum ſuarum cuſpide vix aggeres attingerent, illam ſuperare minime poterant, nihilo ſecius tamen mœnibus obverſam foſſæ crepidinem aggredi nitebantur,

Secul. XVI. A.C. 1522

bantur, aſt fœderati, qui per aggeſtæterræ foramina hoſtem irruentem ſine diſcrimine conſpiciebant, in eum tam certo ictu tormenta ſcloposque explodebant, ut nullus ferme globus vano conatu in humum innoxius caderet, adeo, ut rurſus duo Helvetiorum millia cæſa fuerint, inter quos etiam numerabatur Albertus de Petra eorum Dux, præter quatuordecim Belli Præfectos animi fortitudine longe clariſſimos. Pene immobiles ſteterant Helvetii, ludibriis eorum, a quibus occidebantur, exaſperati, atque ægerrime ferentes, quod tunc nequidem per unius ex hoſtibus mortem ſuorum jacturam ulciſci poſſent, hinc diu in eodem veſtigio ſtabant, donec præcipiti fuga locum ſibi facerent.

§. CXII.

Bicocana Gallorum clades.

Ex altera parte Leſcunus pontem, quem confecto circuitu aggredi decreverat, tam valide a Germanis peditibus per Sfortiam ſubmiſſis munitum repererat, ut tanto hoſtium numero reſiſtendo impar ad Lautrecum fratrem ſuum ſeſe recipere cogeretur, non ſine magno qua militum, quam Ducum diſpendio. Tantæ cladis cauſſa exſtitit utriusque Gallici agminis ſocordia; eorum

rum enim Duces hostium vires alio convertere, sicque Lescuni conatus juvare neglexerant. Præterea Lautrecus Helvetios, ut ad pugnam redirent, nullo pacto permovere poterat, præterea accessit malorum cumulo, quod Urbinatis Dux Venetorum copias in quadam statione adeo recondita teneret, ut hæ nec Fœderatorum exercitum conspicerent, nec ab eo conspici possent, quocirca adeo immobiles hærebant, perinde acsi duntaxat certaminis spectatores, vel impedimentorum custodes forent. Sæcul. XVI. A.C. 1522.

Igitur hostes Helvetiorum metu liberi omnes exercitus vires tuendo ponti impenderunt, ubi Lescunus equum glande plumbea trajectum amisit, Montfortius autem Comes natu major Comitis de Valle Filius, Gravilla, Guichius, Turnonus, Launayus, Roquelorius, & Miolanes, omnes primæ nobilitatis viri ceciderunt. Insuper Morentiacus globi ictu in terram dejiciebatur, sed a suis e prælio eductus ex vulneribus suis convaluit. Hic fuit funestus exitus Bicocanæ pugnæ die vigesima secunda Aprilis commissæ, si tamen prælium appellari meretur, in quo Fœderati nequidem ex suis munimentis prodibant, ac tantam nihilominus stragem edebant, ut ex quorumdam Historicorum testimonio

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

nio in Gallorum exercitu omnino quinque millia occiſorum numerata fuerint. Ex Fœderatis cecidit Petrus de Cordona Caliſari comes, Piſcarii vero Marchionis filius, & Guaſtenſis Marchio periculoſo vulnere ſaucii erant. Poſthæc Galli accepta hac clade ex Mediolani Ducatu penitus fuere ejecti, illiusque poſſeſſio Franciſco Sfortiæ vindicata.

§. CXIII.

Helvetii ad ſua reverſi.

Poſtera die vigeſima tertia Aprilis, quæ erat feria ſecunda poſt Dominicam *quaſimodo*, Lautrecus Trezzum venit: ſequenti vero die Helvetii in patriam ſuam reverſi ſunt, quos Gallici exercitus Dux, quamvis eorum diſceſſum ægerrime ferret, raro tamen complacendi ſtudio Buffarolum uſque comitatus eſt, ſuoque equitatu eorum iter texit. Piſcarius abeuntes inſequi voluit, quem tamen Proſper Columna cohibuit, haud conſultum ratus, ut victoria recens parta in diſcrimen adduceretur, minus vero ut Helvetiorum temeritas intempeſtiva virium fiducia acueretur. Ergo Helvetii ſervato militari ordine, ac ſine ullo diſcrimine abierunt.

Sæcul. XVI.
A. C. 1522.

§. CXIV.

Lauda, Comum, & Picelo a Fœderatis expugnata.

Helvetiis ad ſua reverſis Lautrecus reliquis exercitus ſui copiis urbes firmavit, atque ut Cremonam ſervaret, Laudam Pompœjam valido præſidio munivit; nihilominus Bonnevallius Laudæ Pompæi Gubernator a Franciſco Sfortia interceptus eſt. Hic enim tanto impetu urbem invaſit, ut omnes ejus milites civitatem ingreſſi, non modo eam, ſed quidquid in illa continebatur, ſuæ poteſtati ſubjicerent. Ex præſidiariis capti fuere trecenti cataphracti, ac ter mille pedites, qui omnes nequidem gladios adverſus hoſtem ſtringebant. Dein continuato victoriæ curſu Piſcarius itidem Comum in deditionem accepit, pactis quidem honeſtis conditionibus; Galli tamen, hoſte urbem ingreſſo, violato gentium jure vaſis omnibus exuti fuerunt. Præterea Picelonis Gubernator a Piſcario vix provocatus, confeſtim urbis deditionem fecit.

§. CXV.

Cremona pactis conditionibus capta.

Fœderati nec hisce victoriis contenti, ad nova felicitatis incrementa pro-

Sæcul. XVI. A.C 1522

cedebant, urbemque Cremonenſem cingebant. Illius Præfecturam Pontdormius jam antea Leſcuno, qui cum Joanne Medicæo eo advenerat, cedere compellebatur, nec tamen ejus præſentia profuit, quominus Fœderati tanto impetu mœnia quaterent, ut Mareſcallus paciſci compelleretur, ſe urbis deditionem facturum, niſi Galli infra trimeſtre, vel juxta Guicciardinum, intra quadraginta dies ſuppetias ferrent, quibus nullatenus ſubmiſſis deditionis pacta executioni dabantur. Tandem nequid malorum cumulo deeſſet, hoſtis quoque Aronam occupavit, unacum pecuniis ex Francia transmiſis, ibidemque aſſervatis. Inſuper Veneti toti in eo erant, ut relictis Gallorum ſtudiis in gratiam Cæſaris redirent.

Mem. du Bellai l. 2.

Guicc. l. 24.

Mezerai abrege chron. tom. 4. p. 272.

§. CXVI.

Genua a Fœderatis occupata.

Cum igitur Lautrecus nonniſi quadringentos Lancearios, & Vaſconum peditum nonnullos in ſuo exercitu numeraret, reliquam Mediolanenſis Ducatus partem, quæ Gallis ſupererat, conſervandi ſpem penitus abjecit, atque in hisce anguſtiis prehenſus conſilium cepit, ut nonniſi duobus domeſticis ſtipatus in Franciam rediret, atque a nemine

ne cognitus sub alieno habitu per Helvetiorum pagos transiret. Ergo Fratri suo Lescuno exigui hujus exercitus Imperium reliquit, cum vero Mediolanensis & Novarrensis arces, necnon Cremonensis civitas nondum subactæ essent, earum Gubernatores etiam atque etiam obsecrabat, ut Gallici nominis gloriam tuerentur. Verum necdum iter aggrediebatur, cum jamjam fatalis defertur nuncius, Genuam a Prosperi Columnæ exercitu fuisse captam. Urbs hæc eo tempore extero Imperio haud subjecta Octaviano Fregosio Duci suo parebat: hic vero Gallorum partibus penitus addictus erat, nihilominus tamen Franciscus Rex Petrum Navarrum cum valido Præsidio urbi præfecit. Sæcul. XVI. A.C. 1522.

Ast Cæsarei Genuam, quæ tamen maritima ex parte ad Longobardiam aditum præbebat, Carolo Imperatori nondum esse subjectam, ægerrime ferentes, Fregosium Ducem stimulabant, ut ad Gallos urbe pellendos populum concitaret, facta eisdem pollicitatione, liberum in Franciam redeundi commeatum cunctis concedendum. Annuisset lubenti prorsus animo Fregosius, verum id ei haud amplius integrum erat, eoquod eodem tempore Petrus de Navarra cum duabus triremibus ac ducentis *Rayn. ann. 1522. n. 14.*

Sæcul. XVI A.C. 1522.

circiter Gallis portum intrasset. Nihil tamen horum adventus profecerat, quippe Benedictus Vivaldus, quem Piscarius miserat, adhucdum cum Duce colloquebatur, cum nonnulli Hispani milites quibusdam agminibus uniti dirutam muri partem, quæ ob induciarum fiduciam haud custodita erat, animadvertentes subito patefactam ruinam occuparent, murumque transcenderent, festive conclamantes: Victoria! Victoria! mox aliis insequentibus, urbs assaltu capta, ac prædantium licentiæ relicta est. Tanta erat spolii aviditas, ut ne ipsis quidem Ecclesiis reverentia haberetur, & solum in hoc a Columna & Piscario Victorum rabies cohibita esset, ut saltem fæminarum corporibus vis ac libido parceret, nec Genuensium ullus offenderetur, ceterum omnes, quotquot fors, casusque in manus dabat, Gallos promiscuo interitu delebant, aut saltem captivos abstrahebant. Dux quoque Fregosius comprehensus, ac munere suo exutus in Insula Ænaria includebatur, cui dein ibidem fatis functo Hieronymus Adornius suffectus est.

§. CXVII.

Franciscus Rex ob hanc jacturam vehementer afflictus.

Postrema hæc clades paucas Mediolanensis

nensis Ducatus reliquias tuendi spem Franciſco Galliarum Regi penitus adimebat, quocirca omnes revocabat copias, quas eo miſerat. Erant numero ſex peditum millia, & quadringenti Cataphracti, quibus præerat Longevillanus Dux. Hic Genuæ jacturam Villænovæ in comitatu Aſtenſi comperiens, inde ad Regem ſcripſit, cujus epiſtolam Rex ubi acceperant, conſeſtim Duci in mandatis dedit, ut cum copiis ſuis in Franciam rediret. Gallis ergo ad ſua reverſis, protinus juxta factas pactæ deditionis leges Cremona Fœderatis cedebatur, omnesque, qui ibidem præſidia agebant, ad arcem ſeſe recipiebant, cui Bunonius præficiebatur, qui etiam illam ultra unius anni ſpatium, donec Bonnivetus Admiralis cum novis militum ſuppetiis in Italiam rediiſſet, ſtrenue propugnavit. Sæcul. XVI. A.C.1522.

§. CXVIII.

Rex a Lautreco in Franciam reduce de Mediolanenſis Ducatus ſtatu certior factus.

Interea Lautrecus in Franciam pervenit, de quo minime dubium eſt, quod toto hujus belli tempore graves commiſerit errores, cum ejus negligentia factum eſſet, ut Franciſci Sfortiæ copiæ *Mem. du Bellai l. 2.*

Sæcul. XVI. A C. 1522. Prospero Columnæ, & sex Germanorum peditum millia Cæsareo exercitui jungerentur; præterea illi id vitio jure vertitur, quod nullo apparatu ad expugnandum necessario instructus Papiam obsidere moliretur. Silentio præterimus iniquas vexationes, quibus pacis etiam tempore Mediolanenses exagitabat; insuper his culpis accessit, quod de se clare nimis ac magnifice sentiret, hancque ob caussam veteranorum Belliducum consiliis nunquam aquiescceret; (*) Hæc sunt, quæ Lautreco crimini dantur, ceterum haud diffiteri debemus, siniſtram ejus in Italia sortem potissimum ortam fuisse ex eo, quod militare æs copiis non persolveretur, id tamen nec Regis nec Lautreci culpa accidit; ille enim quadringenta aureorum millia in Italiam mitti jussit, hic vero hanc summam non recepit; tota igitur culpa in Ludovicam de Sabaudia Regis Matrem,

(*) Spondanus ad annum 1521. num. 7. ignominiosæ cladis caussam in hæc Lautreci delicta conjicit, *Lautrecius*, inquit, *auctoritatem Apostolicam sibi assumens, Sacerdotia, quibus vellet, demandabat, manus in bona Sacerdotum defunctorum injiciebat, quicquid ab Roma denunciabatur, contemnere consueverat.* Ita nempe Religionis contemptum Regnorum jactura consequitur.

Matrem, ejusque avaritiam rejicitur, quæ utpote Lautreco Gallici exercitus Duci infensissima hasce pecunias a Jacobo de Belna Semblancaiensi Toparcha ac Regii ærarii Præfecto repetiit. Sæcul. XVI. A.C. 1522.

§. CXIX.

Lautrecus a Rege minus benigne exceptus.

Utut res se habuerit, id certum est, Lautrecum nonnisi ægerrime a Francisco Rege ad alloquium fuisse admissum, tandem vero prævalente Connestabilis auctoritate ad plenum Senatum introductus, coram Rege imperterrite comparuit. Increpabat Rex ante omnia Lautrecum, dicebatque, benigno Regis aspectu indignus est vir, cujus culpa nobilissimus Christiani orbis Ducatus est amissus. Ne id quidem, reposuit Lautrecus, diffiteor, Rex potentissime, hujus tamen jacturæ caussa unica extitit Regia tua Majestas; nam integro sesquianno exercitum tuum nullo accepto stipendio alui, cum vero Helvetiis æs militare non solveretur, ab eis compulsus Bicocanum commisi prælium, de sinistro ejus exitu, hostisque victoria probe præscius, ast ab Helvetiis pugnam inire coactus fui; secus enim signa deseruissent. Rex hoc sermone stupefactus

Sæcul. XVI A.C.1522.

ctus reſpondit, quod quadraginta aureorum millia pro ſtipendiis exercitui ſuo ſolvendis transmiſerit, cui protinus repoſuit Lautrecus, ſibi quidem hujus ſummæ ſpem datis literis fuiſſe factam, nunquam tamen pecunias accepiſſe. Ad hæc Rex ira commotus Semblancaium accerſiri juſſit, ut de quadringentis millibus aureorum, quos ad exercitum in Italiam mittere debebat, rationem redderet. Hic ingenue rem faſſus, hanc ſummam, inquit, eodem die, quo Mediolani numeranda conſtituebatur, Regina retinuit, ut exinde pretium ferret, quod tum ex penſionum & congiarii titulo, tum ex Valeſii, Turoniæ & Andegaviæ ducatibus, qui hæreditaria illius portio erant, eidem debebatur, cum vero eidem exponerem, quod hoc pacto Regni ærarium exhauriret, illa excidium mihi minitata eſt, niſi ejus votis ſatisfacerem, ſimulque fidem fecit, ſatis ſibi auctoritatis eſſe, ut me ab omni periculo immunem redderet; ſola enim ejus apocha tutum me fore ajebat (*).

§. CXX.

(*) Ægre admodum hæc cum illis, quæ §. CVII. & CVIII. relata fuere, conciliari poterunt; ſi enim pro Helvetiorum ſtipendiis hæ pecuniæ fuerunt miſſæ, ac jamjam Aronam usque

§. CXX.

Sæcul. XVI. A C. 1522.

Ærarii Præfectus per Reginæ malitiam condemnatus.

His perceptis Rex, ut de rei ferie plenius edoceretur, unacum Semblancaio Matris suæ cubile ingrediebatur, qua præsente Præfectus, quæ mox Regi dixerat, cuncta repetiit. Illa vero tam vehementi ira commovebatur, ut Semblancaium mendacii redargueret, atque innocentiam suam a viro adeo temerario attentatam vindicari, a Filio suo postularet. Verum cum nil antiquius sit in ejusmodi eventibus, quam quod magnorum Principum tonitura debiliores feriant, ita etiam Semblancaius in anteriori Regis cubili comprehenditur, & Pratus Cancellarius Reginæ amicus, ac occultus Præfecti hostis rem eo deduxit, ut Rex judices deputaret, qui adversus Semblancaium judicii acta instruerent, quamvis accusatus se a nemine nisi a

De Thou hist. l. 1

Belcar. l. 17.

Mem. du Bellai l. 2.

que fuere delatæ, primumque ab hoste in Mediolanensi Ducatu interceptæ, vel Regina injuste accusatur, quod in Galliis has pecunias sibi vendicaverit, vel per fraudem, & mendacium Gallorum Belliduces Helvetiis exponebant, pecunias jamjam Aronam delatas esse, ac quinto vel sexto die absque omni periculo ad eorum castra advehendas.

Sæcul. XVI. A. C. 1522

congregata Parlamenti curia judicari posse, allegatis privilegii sui tabulis contestaretur. Discussa tamen caussa pronunciatur sententia, qua Semblancaius peculatus crimini obnoxius declaratur, & tandem morti adjudicatur, sive id factum, quod judices mitiori supplicio Reginæ indignationem sibi accersere timerent, sive illorum animis ea insederit opinio, absque perfidiæ noxa haud diu Regum æraria administrari posse.

§. CXXI.

Fons rapidus ab Hispanis obsidione cinctus.

Joan. Ant. Vera hist. de Charles V. p. 82.

Interea Franciscus I. Bonnivetum Admiralem Fonterabia seu Fonte-rapido, cujus Gubernator erat, evocabat, in ejusque locum Lusdi Comitem subrogabat: Verum Admirale vix inde profecto Hispani cum valido exercitu adveniunt, urbem recuperaturi, quam cum propter obfirmatam Comitis constantiam vi expugnare desperarent, famis violentia depopulari statuerunt. Jam integer annus effluxerat, quo urbem assidue cinxerant, eoque intervallo aut famis, aut morborum injuria plurimos abstulerat, adeo, ut ex quatuor millibus, quibus urbis præsidium constabat, nequi-

nequidem trecenti supereſſent. Tandem vero Franciſcus ex doloris vi, qua ob Mediolanenſis Ducatus jacturam opprimebatur, animum erigens, Caſtellionem Mareſcallum cum valido agmine Fonterabiam decrevit, ut laboranti urbi ſuppetias ferret. Aſt hoc Belliduce Daggæ in itinere fatis functo, exeunte hoc anno Chabannius Mareſcallus in defuncti locum ſuffectus eſt. Sæcul. XVI. A. C. 1522.

§. CXXII.

Hiſpani obſidionem ſolvere, a Chabannio compulſi.

Igitur Chabannius uſque ad Vedaſſum Flumen proceſſit, ibidem Gallicam claſſem præſtolaturus, quæ ſub auſpiciis Latricii Britanniæ Pro-Admiralis terreſtris militiæ expeditionem promoveret. Attamen claſſis opportuno tempore non advenerat, nihilominus Chabannius Hiſpanorum aggeribus appropinquans, eos vi ſuperavit, ac hoſte pedem referente liberum ad urbem aditum nactus eſt, quam cum incolis ferme vacuam reperiret, commeatu ſollicite advecto inſtruere curavit, quo facto Lusdus Comes ad Franciæ aulam honores fortitudini ſuæ debitos recepturus rediit, poſtquam in ſui ipſius locum Frangetum centuriæ Caſtellionenſis Procenturionem

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

nem urbi præfecerat, qui tamen pessime officio suo functus est.

§. CXXIII.

Copiarum Imperialium & Anglorum expeditiones in Picardia & Campania.

Polyd. Virgil. hist. Ang. l. 27. Mem du Bellai l. 2.

Cæsar ubi in Hispaniam perveniens Fonterabiæ obsidionem solutam compererat, ingentem exinde dolorem concepit, eo potissimum nomine, quod Angliæ Rex Hispanis præsto esse, Gallosque ex urbe mutuis auxiliis propellere promisisset. Nihilominus Angli ad aliam expeditionem vires suas Cæsareis jungebant, Picardiam & Campaniam unitis armis invadentes: Attamen nullo singulari facinore sese illustres reddebant, quamvis ambo hi exercitus, ex quibus Cæsareo Bureus Comes, Anglico vero Surregiæ Comes præerat, Gallorum copiis tanto numero Superiores essent, ut Vindocinensis Dux, qui Picardiæ præfectus erat, illis resistendo impar haud amplius efficere posset, quam ut urbibus valido præsidio munitis cum expedita suorum manu hostem continenti levique prælio lacesseret: Cum vero ambo hi Belliduces in mense Septembri Hedenæ urbis obsidionem pararent, Franciscus Galliarum Rex, ut pecunias conquireret, nil intentatum, inausumque relinquere compellebatur. Ergo præprimis

mis regios census in Lotharingiæ Ducis favorem alienavit, atque in eundem Banvillæ & Castri Morellæ Principatus emptionis jure transtulit, hancque in rem diploma Regium expediri jussit, nequicquam reclamante Parisiensi Parlamento, ac ærarii Curia; Regis enim voluntati omnino obtemperandum erat. Præterea singulis ferme diebus justitiæ officia vendidit, ac nova etiam eaque quamplurima, quibus tamen Franciæ Monarchia per undecim omnino sæcula & amplius facile carebat, instituit tribunalia, vectigalia auxit, novaque varii generis tributa adinvenit: quinimo a sepulcro S. Martini Turonensis clathrum abstulit argenteum, quod a Ludovico XI. apponi jussum sexies mille septingentas septuaginta sex marchas argenti ponderabat, illudque ad monetæ officinam deferri præcepit, ut inde nummi cuderentur, quorum aversa pars figuram hujus clathri exhibebat. Ferunt, Regem ex Cancellarii sui consilio hoc facinus attentasse.

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

Daniel. hist. de Franc. t. 5. p. 488. & t. 6. edit. 1719.

Gervais. vie de S. Mart. p. 328. & 331.

§. CXXIV.

Hedenæ obsidio ab Anglis soluta.

Jam quinto aut sexto ferme mense Anglorum exercitus Hedenam urbem incassum oppugnabat; Vindocinensis enim Comes opportune introducebat Biczium, Socurium & Landium, tres Bellidu-

De Rapin. Thoiras hist. Ang. tom V. vit Henrici VIII. p. 166.

Sæcul. XVI A. C. 1522.

liduces animi fortitudine, ac militari experientia longe clariſſimos. Hi quadraginta duobus omnino diebus, totoque obſidionis tempore oppugnantium impetus tam invicta virtute ſuſtinebant, ut Cæſarei Anglique recedere compellerentur, cum eorum exercitus ob transfugarum numerum vix mediam ſuorum partem ultra recenſeret, ac reliqui nocturnis, iisque aſſiduis pluviis vexati in tentoriis ſuis cubare haud amplius poſſent: Igitur Bureus Cæſareorum Dux in Flandriam revertebatur, Suregiæ autem Comes exeunte Octobri factis velis in Angliam remeare conſtituit; ambo quidem prius ad urbem Corbeiam exercitum admoverunt, cujus tamen obſidionem aggredi non audebant, eoquod illam arte ac natura munitiſſimam, præſidiarios vero extrema quæque perpeti paratos cernerent. Nihilominus Durlentium pagosque circum vicinos continenti incendio abſumpſerunt, quo facto eorum expeditio finem habuit, adeo, ut cuncta Cæſaris Regisque Angliæ molimina durante hoc bello parum funeſta fuiſſent Franciſco Galliarum Regi, niſi ipſemet ſua pecunias pro alendo exercitu neceſſarias ſubminiſtrandi negligentia ſiniſtri armorum ſucceſſus in Italia auctor extitiſſet.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CXXVIII.

ADRIANUS VI. PAPA.
CAROLUS V. OCCIDENTIS IMPERATOR.

§. I.

Adrianus VI. Papa Genuam delatus.

Hoc anno die secunda Augusti Adrianus Papa Mediterraneum mare ingressus, Tarracona, quæ Cataloniæ urbs est, profectus est, ventisque secundis usus Genuam post brevem navigationem

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

Ciacon in vita Adrian. VI. p. 426.

Sæcul. XVI A.C. 1522.

tionem venit, ubi nonnisi tridui moram traxit. Planxerat valde hanc urbem misere vastatam ob direptionem, quam duos ante Menses perpessa est: his tamen insuperhabitis illius Senatus adventantem Pontificem omni, quo potuit, honore excepit. Eadem occasione Franciscus Sfortia novus Mediolani Dux, Prosper Columna & Piscarius Marchio recens electi Pontificis pedes osculo venerantes, ab eodem absolvi rogabant, si quas forte censuras in Genuensium deprædatione incurrissent: Verum Adrianus facinoris atrocitate commotus, horum submissione minime se flecti patiebatur, sed concisis admodum verbis eisdem respondit, *nec possum, nec debeo, nec volo.* Post hæc Genua profectus Liburni portum ingrediebatur, ubi a Medicæo Cardinale, ac quinque aliis Italiæ Principum Legatis, necnon a Francisco Gonzaga Pontificii exercitus Duce perhonorifice exceptus, atque ab iisdem ad veterem civitatem deductus est, cui excensionem facienti Pompejus Columna, & Franciscus Ursinus Cardinales, quos sacrum Collegium Legatos decreverat, occurrerunt, eumque sub umbraculo usque ad Ecclesiam conduxerunt. Postera die conscensa navi cum duodeviginti triremibus Ostiam pervenit, ac Tiberi vectus monasterium S. Pauli

Ducheſne hiſt. des Papes, vie d' Adrien. VI. p. 383. Aug. Juſt. l. 6. Foliet. l 12. Bizar l. 19. Raynald. an. 1522. n. 16.

Pauli petiit, in quo pernoctans die vigesima octava Augusti mitram, sacramque trabeam induit, Pontificio ornatu Romam ingressurus. Sæcul. XVI. A.C. 1522.

§. II.

Adrianus Romam ingressus.

Altera die vigesima nona ejusdem mensis Papa Romam ingreditur, & Clero, populoque Romano eum comitantibus, solemni pompa in Vaticanum deducitur, ipsumque Altare majus accessit, ubi cuncti Cardinales, ac denique ceteri omnes nulla habita dignitatis ratione promiscuo ordine illius pedes deosculabantur. Ad vesperam equo conscenso, cum pileo ac stola ad Basilicam S. Petri processit, Judæorum plateam, & aciem Campi Floræ prætervectus. Dein ad templum Vaticanum delatus, solitum occupabat locum, ac rursum a Cardinalibus consuetos submissionis honores accepit, qui improprio nomine *adoratio* dicuntur. *Pallavicin. hist. l. 2. c. 3.*

§. III.

Novi Pontificis coronatio.

Trigesima ejusdem Mensis die Adrianus in Sacello S. Andreæ rem divinam Pontificali ritu peregit, atque a *Ciacon. l. cit. Onuphr. in vita Pontif.*

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

Cardinale Cornaro ad gradus Basilicæ S. Petri thiaram recepit, solemnique pompa coronatus est. Peractis hisce solemniis totum sacrum Collegium in aula Innocentii VIII. prandio excepit, prohibuitque, ne arcus triumphales, ut Romani ea die solebant, erigerentur, cum vero eorum quidam jam pene confectus quingentorum solidorum sumptu excitaretur, illius structuram interrumpi præcepit, dictitans, *quod triumphales arcus gentilitios potius ritus, quam Christianos & Religiosos decerent.*

§. IV.

Caraffa & Cajetanus ad restaurandam morum disciplinam selecti.

In ipso adventus sui in urbem exordio Adrianus primas eo curas intendit, ut Clericorum mores corrigeret, ac Ecclesiæ disciplinam restauraret. Hanc in rem duos selegit Viros meritorum excellentia, ac probatæ virtutis fama longe celeberrimos, quorum primus erat Joannes Petrus Theatinus Archiepiscopus, Theatinus vulgo dictus, alter vero Marcellus Cajetanus Thienæus. (*) Horum consilia rogabat Adria-

(*) Hunc non fuisse Cajetanum Thienæum obser-

drianus eorumque sententias sequebatur, moxque ac illi quamdam morum corruptelam indicabant, illam tollendi media cum eis solerter discussit, eaque effectui dare spopondit: Cum vero ex perversa Indulgentiaram prædicatione, illarumque frequentia primæ incendii Ecclesiam devastantis scintillæ prodiissent, ad abolendos ejusmodi abusus primo animum adjecit, revocavitque facultates Fratribus Minoribus concessas, quibus eis permittebatur indulgentias promulgare pro Vaticani templi fabrica. Sæcul. XVI. A. C. 1522.

§. V.

Adrianus a quæstus studio omnino alienus.

Præterea Pontifex munia, ac Romanæ curiæ officia vendere prohibuit, quamvis sub ejus Prædecessore, quamprimum vacassent, venderentur, atque ejusmodi quæstus licitus crederetur. Præterea Datariæ exactiones moderabatur, Coadjutorias, *Ciacon. to. 3. p. 426. Raynald. ann. 1522. n. 19.*

observat Pallavicinus loco a Continuatore allegato, ipsumque Spondanum in hoc hallucinatum fuisse notat. Binner in suo apparatu part. VII. cap. 2. art. 4. n. 135. Hunc appellat *Marcellum Gazelium Cajetanum.*

Secul. XVI
A. C. 1522.

jutorias, & regreſſus abolebat, remque eo deducebat, ut ad Eccleſiaſticas dignitates nonniſi idoneis, Virisque morum probitate commendandis pateret aditus. Conceſſerat nepoti ſuo ſeptuaginta aureorum beneficium, cum vero ad ſuſtinendum Pontificii Nepotis honorem tenues adeo proventus minime ſufficerent, & nonnulli nobilitate generis conſpicui eidem pinquius Sacerdotium conferri rogarent, nequaquam exorari potuit, in hanc prorumpens vocem, *cuperem homines beneficiis dare, non beneficia hominibus.*

§. VI.

Urbinatis Dux in gratiam Pontificis reſtitutus.

Ardens hoc diſciplinam reſtaurandi ſtudium nullatenus Adriani ſollicitudinem præpediebat, quo minus temporale etiam Eccleſiæ bonum procurare, atque eidem inique erepta vindicare intentus eſſet: Recuperabat enim Ariminum, quod Sigismundus, & Pandulfus Malateſta uſurpaverant, eosque armorum vi ad urbis hujus reſtitutionem compellebat, non equidem bellandi aviditate ſtimulatus, ſed religione ductus, qua ad Eccleſiæ Romanæ fulcimentum fore neceſſarium arbitrabatur.

tur, ut iniquos Eccleſiaſtici dominii detentores, quod ſponte ſua reddere recuſabant, armorum potentia vel invitos cogeret. Nec in his tamen ſemper omni cum rigore ſibi ſatisfieri poſtulabat; quippe conceſſa Urbinatis Duci venia, eundem a cenſuris, quibus a Leone X. percuſſus erat, liberavit, rurſumque pro ejus Ducatu inveſtituræ diploma impertivit, addita tamen hac clauſula, *ſalvis juribus in contrarium.* Itidem Alphonſum Eſtenſem Ferrariæ Ducem in gratiam recepit, conceſſisque Pontificiis literis eidem denuo omnium, quæ ante bellum inter Leonem X. & Gallos habuerat, poſſeſſionem aſſeruit. Nec his contentus, eidem ad hæc Finarium, & Sancti Felicis oppida, quæ idem Dux vacante Sede occupaverat, adjecit. Sæcul. XVI. A. C. 1522.

§. VII.

Bellicus Solimani apparatus pro Rhodi expugnatione.

Interim Solimanus Turcarum Imperator felici Belgradienſis obſidionis ſucceſſu elatus, Rhodum quoque cingere ſtatuit. Erat tunc numero quadrageſimus tertius ſupremus Ordinis S. Joannis Jeroſolymitani Magiſter Philippus Villerius ex antiqua Liladami familia natus, qui ſucceſſerat anno priori *Belcar. l. 17. n. 32.*

Sæc. XVI. A.C. 1522

Fabritio Carreto, ac Rhodi sedem fixerat: verum ejus electio toti Equitum Ordini funesta accidit.

§. VIII.

Supremus Magister a Cancellario Ordinis proditus.

Jacques de Bourbon relation du Siege de Rhodes Jac. Bosio. c. 19 & seq Belcar. l. c.

Contigit tunc temporis, ut Adrianus Amaralus Ordinis Cancellarius, cum supremum Magisterium omni nisu ambiret, ob sui neglectum tam insana indignatione commoveretur, ut Rhodum Insulam Solimano tradere decerneret, hancque in rem quemdam Turcam, quem in nupero bello captum mancipii loco habebat, ad Solimanum ablegaret, eique epistolam deferendam committeret, qua Imperatorem de Statu Insulæ, locisque minus firmatis atque ad oppugnationem magis commodis certiorem reddidit. Itidem, insulam exigua militum manu muniri, significabat, nihilque eorum omittebat, quibus Solimani animum jam satis aliunde propensum ad hanc expeditionem excitaret, accessit insuper cujusdam Judæi Medici perfidia, qui a Solimano Rhodum, ut eam exploraret missus, singulis ferme diebus ad Imperatorem de urbis statu ac viribus literas dedit, quas Græcus quidam patria Chiensis Constantinopolim

nopolim transmisit. Solimanus hisce notitiis usus, terra marique exercitus contraxit, ac terrestri Bascham Mustapham Sororium suum, classi vero pro summo Navarcho Curtogolum Piratam praefecit. Demandabat etiam obsidionis curam Achmeti Baschae, ac denique Pyrrhum veteranum Gubernatorem nominabat, ut Mustaphae a consiliis esset. Sæcul. XVI. A. C. 1522.

Ut vero suos Baschas ad rem strenue gerendam, suosque milites ad fortiter dimicandum animaret, his verbis usus est: Facili, quam aggredior, expeditione, amplissima vobis gloriae occasio offertur; nam urbis praesidium exigua Equitum manu constat, nec auxilia a Principibus Christianis timenda; bellis enim intestinis impliciti sunt, cum Venetis quoque pax mihi est: Turpissimum autem foret, si parvum privatorum numerum, ac speluncam latronum in medio Turcarum imperio diutius tolerarem, qui tamen meos portus, insulas, populosque adjacentes impune identidem infestant. Memini me reperisse in monitis Selimi Patris mei, ad res Imperii Ottomanici stabiliendas necesse esse, ut Belgradum & Rhodum occuparem, jam ergo priorem urbem feliciter expugnavi, nunc & alteram brevi me subacturum confido.

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

§. IX.

Magni Magistri apparatus ad strenuam Insulæ defensionem.

Jacques de Bourbon. l c. p. 632 dans la nouvelle histoire de Malthe to. 2.

Haud segnior pro parte sua supremus Rhodiorum Magister comperto ingenti Turcici Imperatoris apparatu cunctis iis provide prospexit, quæ ad validam urbis defensionem necessaria judicabat; nam ex Cretensi Insula, necnon ex Neapolitano & Siculo regnis magnam frumenti, vini, pulveris pyrii, armorumque apparatum advehebat, & in Cretam ablegabat fecundi Ordinis Equitem, ut is quingentos Sagitarios conduceret, qui tum Mercatorum, tum nautarum vestes induti Cretensis Gubernatoris solertiam fallere jubebantur; hic enim Solimani potentiam veritus, sonantibus tubis, indictaque corporis pœna prohibuit, ne suorum quis Magni Magistri stipendium mereretur, aut Insula excederet. Nihilominus Rhodiensis Procurator ad suas partes pertraxit Gabrielem Martinengum nobilem Brixianum, & militarem Architectum longe clarissimum, qui nequidem salutato Gubernatore discessit, ac Rhodum perveniens postulata Cruce in censum Equitum cooptatus est.

§. X.

Secul. XVI. A.C. 1522.

§. X.

Equites a Magistro ad omnes Europæ Principes auxilia rogatum missi.

Insuper supremus Magister Equites suos ad omnes Europæ Principes decernebat, qui summum Pontificem, ac Christianos Principes ad opem prompte ferendam toto studio inclinarent. Verum, uti Solimanus probe prospexerat, frustranei erant eorum conatus; quippe Carolus V. in Italia bello adversus Franciscum I. implicabatur, Papa vero Sedis Apostolicæ copias, quibus ad Cæsaris opem indigebat, ad exteram expeditionem vertere noluit. Equidem Galliarum Rex Equitibus copiam fecit, ut omnes naves, quæ in Provinciæ portubus hærebant, armis instrui curarent, verum Gubernatores & Navarrhi, Regis jussa exequi recusabant, veriti, ne Cæsar eos hostiliter invaderet, qua excusatione percepta Equites mox ad Regem contenderunt, nova eaque magis seria ab eo mandata impetraturi. Attamen tempore incassum hisce tergiversationibus consumpto, Solimani classis in altum procurrere parabat.

Raynald. an. 1522. n. 27.

Sæcul. XVI. A. C. 1522

§. XI.

Solimani Turcarum Imperatoris epistola ad magnum Rhodiorum Magistrum.

De Vertot hist. de Malthe to. 2. p. 496. & suiv.

Sultanus, ut ipsus Magnum Magistrum Equitesque suo de molimine certos redderet, epistolam ad eos perscripsit duris admodum verbis conceptam: „ Latrociniis, inquiebat, quibus fideles „ nostros subditos continuo vexatis, nec- „ non injuriis imperiali Majestati no- „ stræ illatis compulsi vobis præcipi- „ mus, ut nulla mora Insulam, & Rho- „ di arcem nobis cedatis; si sponte id „ facere velitis, per Deum cœli terræ- „ que conditorem, per viginti sex mil- „ lia Prophetarum, necnon per quatuor „ Musaphos de cœlo delapsos, ac deni- „ que per ipsum magnum Prophetam „ Mahomet juramus, quod vos Insula „ excedere, ejus vero incolæ persistere „ poterint, nemine vestrum ullatenus „ læso: si autem jussis nostris illico mo- „ rem gerere renueritis, cunctos formi- „ dandus gladius noster absumet, om- „ nesque turres, propugnacula ac Rho- „ di mænia deprimentur ad parvitatem „ herbæ, quæ ad radices horum om- „ nium munimentorum crescit. „

§. XII.

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

§. XII.

Turcarum classis ante Rhodum Insulam.

Attamen Equites hujus epistolæ insolentia minime territi, nonnisi tormentorum strepitu respondere, ac libertatem, vitamque suam, si utramque salvare non possunt, saltem caro satis pretio vendere decreverunt. Ergo Sultanus factis velis classem in altum protrudit, quæ præmissis triginta triremibus, hoc anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo secundo die vigesima sexta Junii in Rhodi conspectum venit, eamque sequebantur paulo post quam plurimæ naves, aliæque triremes copiis armisque oneratæ, adeo, ut collectis omnibus Turcarum viribus Sultatani classis ad quadringenta varii generis navigia ascenderent. *Spond. ann. 1522. n. 16.*

Recensebat universus terrestris exercitus centum quadraginta armatorum millia; nequidem computatis sexaginta fossorum millibus, quos Solimanus ex Hungariæ finibus, ac Serviæ, Bosniæ, & Valachiæ montibus contraxerat. Post hæc diu deliberatum, an exigua Insulæ propugnacula prius aggredi præstaret, quam tota armorum moles in urbem intenderet. Præplacuit Mustaphæ

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

phæ Belliduci urbis primo expugnandæ consilium, quocirca Rhodus infestis armis cingitur, jamque obsidionales ad urbem accessus tam prope ducuntur, ut tormentorum ictus mænia attingerent: Unde Turcæ aciem latius distendere valentes tormentorum suggestum erigebant, quem tamen Equites brevi everterunt, tam copioso grandine diu noctuque ex urbis tormentis plumbeos majoris ponderis globos ejaculantes, ut cunctos Barbarorum aggeres impune disjicerent. Ex infracta hac Equitum virtute Turcæ siniſtrum prorsus obsidionis successum sibi augurabantur, & nonnisi reluctantes, ac in apertas indignationes effusi ad pugnam trahebantur.

§. XIII.

Turcæ Solimani adventu ad prosequendam Rhodi obsidionem animati.

Ext. Chalcond. edit. & apud Schard. Oper. hist. t. 2

Acceperat negotium Peri seu Pyrus Bassa, ut Solimanum de obsidionis successu exacte edoceret. Hic ergo pro demandato sibi munere, totum exercitum animo fractum significabat, ac Imperatorem iterum iterumque obtestabatur, ut militum animos præsentia sua accenderet. Accepto nuncio Solimanus

nus nulla mora cum quindecim armatorum millibus Lyciam contendit, ac Portum Fiſchum ingreſſus cum navibus ſuis tanta celeritate mare emenſus eſt, ut die vigeſima octava Menſis Auguſti in caſtra perveniret. Vix advenerat, cum protinus conſcenſo ſolio totum exercitum, inermem tamen, coram eſſe juberet, quo facto ſuam cunctis ignaviam exprobrans, eos infauſta mancipia ipſis fœminis imbecilliora, magisque timida appellitabat, jamque in eo erat, ut una omnes a quindecim ſuorum millibus, quos ſecum adducebat, trucidari juberet, illique Solimani juſſa executuri jam jam enſes nudabant, opportune tamen Pyrus Baſſa ſumma demiſſione Solimanum ſupplex rogabat, ut veniam impertiretur militibus, qui multis alioqui illuſtribus factis clari, etiamnum commiſſam ignaviæ culpam proprii ſanguinis effuſione expiare parati eſſent. His verbis placatus Solimanus, cunctis vitæ veniam fecit, exercitumque dimiſit, cui tam ſevera objurgatione animum reddidit. Sæcul. XVI. A. C. 1522.

Jam ſolidus effluxerat menſis, quo varias urbis partes ingenti tormentorum numero diu noctuque quatere ceſſatum nunquam: Ubi vero obſeſſi pulveris pyrii penuria laborare cæperant, urbsque ad exiguum dimicantium numerum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

merum redigebatur, proximam sui ruinam impendere præsentiebant, præsertim cum nulla ferme præteriret dies, quæ non quodam assaltu, ac plurimorum utrinque clade funestabatur, ubi tamen Equitum jactura ob exiguum suorum numerum semper magis noxia erat, & in una sola Turcarum irruptione supremus rei tormentariæ Præfectus, Argillemonti Eques triremium Navarchus & Eques Mausella Magni Magistri vexilifer, præter alios quamplurimos desiderabatur.

§. XIV.

Turcarum sententia de urbe quatuor ex partibus invadenda.

Jacob Fontani de bello Rhodio.

Solimanus, cum Janisaros ob tot aggressiones incassum tentatas, ac ingentem suorum cædem animo dejectos cerneret, belli Senatum habuit, in quo decretum, undique in urbem impetum esse faciendum, unoque tempore quatuor diversas murorum partes aggrediendas. Præfigebatur huic assaltui dies vigesima quarta Septembris, & Sultanus militibus suis novos animos inditurus, præconis voce proclamari jussit, Rhodum deprædandi copiam eis fieri, si urbem armis caperent. Comperto hoc Turcarum consilio supremus Magister

Magiſter omnes obibat ſtationes, ac Equites atque cives adhortabatur, ut aut vincere, aut mori parati eſſent. Sæcul. XVI. A. C. 1522.

Ergo, ut ſtatutum, ita Turcæ quatuor ex partibus ſimul urbem invadunt; priusquam vero irruptioni initium darent, ad dilatandas murorum ruinas aſſiduam tormentorum tempeſtatem effundunt, nec tamen inde fracta erat Equitum virtus, imo augebatur militum animus, dum magni Magiſtri ſedulitas in confirmandis ſuorum animis ad omnes ordines intenta diſcurrebat. Acceſſit fervens Sacerdotum ac Religioſorum ſtudium, necnon ſenum, infantum, imo & ipſarum quoque ardor mulierum, quæ pariter periculi ſociæ fieri cupiebant, qua perſpecta iſtorum conſtantia Turcæ animo ceciderunt. Fertur, quod quædam fœmina natione Græca, ubi Procum ſuum, centuriæ itidem Græcæ Tribunum, fuiſſe trucidatum comperiiſſet, proles ſuas tenerrimo amplexu conſtrictas, ſigno crucis ſignaverit, easque hunc in modum fuerit allocuta, „ Filii mei cariſſimi! expedit vobis, ut „ meis potius manibus, quam hoſtium „ noſtrorum gladiis occiſi moriamini „, quibus dictis mulier arrepto cultro eos jugulavit, poſtmodum vero Amaſii ſui veſtes adhucdum ejus cruore manantes induta, ac ferreo baculo munita forti animo

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

nimo in medias Turcarum acies irruerit, atque ultra sexus sui conditionem stupenda virtute dimicaverit, donec tandem & ipsa perimeretur. Tanto pugnantium ardore suorumque cæde deterriti Turcæ, ab assaltu desistere compellebantur, toto pedum studio ad obsidionales fossas regressi: Solimanus vero, ut fugæ ignominiam honestaret, suique exercitus honori consuleret, receptui canere jussit, maximo suorum dispendio, ex quibus præter plures eosque nobilissimos Belliduces plusquam quindecim millia ad ipsas murorum ruinas, vel ad ima urbis ceciderunt. Nec minor erat Rhodiorum clades, spectato exiguo eorum numero; quamplurimi enim trucidati, atque ex illis, qui mortem evaserant, prope omnes vulnerati erant, adeo, ut pauci admodum supereſſent, qui militari munere suo fungi possent.

§. XV.

Solimanus ob siniſtrum assaltus successum in rabiem actus.

Jac Bosius c. 20. & seq. Jacques de Borbon. l. cit.

Solimanus ob adversum hujus expeditionis successum spe in rabiem versa, tam impotenti ira commovebatur, ut parum abfuerit, quin furore ac indignatione abreptus ipsum Mustapham Sororium

rium ſuum hujus belli auctorem neci addixiſſet. Referunt Scriptorum nonnulli, latam in eum fuiſſe ſententiam, ut ſagittis transfigeretur, jamque palo ad ſubeundum extremum ſupplicium fuiſſe alligatum, Pirum tamen Baſſam ſententiæ executionem differri juſſiſſe, donec ad Sultani pedes provolutus, amico ſuo vitæ veniam deprecaretur. Verum Solimanus, quod ejus juſſa fuiſſent neglecta, vehementiori ira accenſus, quantocius Pirum ad idem ſupplicium condemnavit, atque ambo hac pœna mulctati obiiſſent, niſi Solimanus Baſſarum ſuorum lacrimis commotus, a furore ſuo remiſiſſet, & utrique veniam indulſiſſet, ea tamen lege, ut Muſtapha nunquam ejus conſpectum ſubiret. Sæcul. XVI. A. C. 1522.

§. XVI.

Solimanus obſidionem ſolvere paratus, ſed a proditoribus confirmatus.

Sultanus de capienda urbe deſperans, jamjam obſidionem ſolvere decreverat, armaque, & ſuppellectilem plerique convaſabant, cum transfuga, Albaniæ miles, clam ex urbe ſeſe ſubducens Solimanum moneret, quod omnes fere Equites aut cæſi, aut vulnerati, mi-

Sæcul. XVI A. C. 1522.

lites quoque ad pugnandum impotes forent, ipseque supremus Ordinis Magister omni ope & opera destitutus in extremo discrimine luctaretur. Accessere etiam literæ ab Amaralo Cancellario scriptæ, quibus obsessos ad incitas omnino redactos esse, Sultano significabat. Hujus rei fama toto exercitu divulgata, Turcarum animos prædæ spe ad redintegrandam oppugnationem alacres reddidit, ipse quoque Solimanus aut urbem in suam potestatem redigere, aut ibidem mori decrevit, moxque Achmetem Bassam in locum Mustaphæ, qui in Ægypti Præfectum creatus illuc navigavit, summum totius exercitus Imperatorem constituit.

§. XVII.

Obsidio per Achmetem Bassam Mustaphæ subrogatum continuata.

Jacq. de Borb. l. c. Fontan hist. belli Rhod.

Achmetes, cum operum bellicorum scientia clarissimus esset, longe alio, quam Mustapha obsidionem urgendi modo utebatur: ut vero suorum militum sanguini parceret, in fossorum opera, ac cuniculis consilium quærens, ante obsidionales fossas densum aggestæ terræ murum erigi jubebat, quem tormentorum globi ex urbe emissi impune ferirent,

rent, quo facto milites sui tentato assultu usque ad dejecti muri hiatum penetrarunt, sed novis, quæ tormentis muniebantur, propugnaculis mox inde repulsi sunt, ipso Martinengo architecto militari in uno oculorum vulnerato. Post hæc nulla præteribat dies, quæ novo certamine insignis non esset, ac insolitæ fortitudinis specimina utrinque edita non videret. Interea triginta quatuor dies Martinengus ex vulnere decumbebat, quo toto temporis intervallo supremus Magister in quodam munimento hæsit, nec inde pedem movens, dies noctesque insomnes traxit, cujus exemplo ceteri quoque Equites animati singulis diebus vitam suam extremo discrimini exponebant, cum interim Amaralus nil intentatum inausumque relinqueret, ut Rhodi ruinam acceleraret, totiusque Ordinis excidium promoveret. Sæcul. XVI. A.C. 1522.

§. XVIII.

Amarali proditio detecta, ac mulctata.

Tandem vero detecta est Amarali perfidia; jam enim a longo tempore animadvertebant plures, quod Cancellarii servus nomine Blasius Diez, circa meridiem cum arcu ad mænia contenderet, *Jacq. Bosb. l. cit. Bosius hist. l. 20.*

Sæcul. XVI A.C. 1522.

deret. Equidem nil mali primo ſuſpicabantur quamplurimi, eoquod ille Equitum præcipuo a primis ſervitiis eſſet: tandem vero, cum hic inſolitam ejusmodi induſtriam ſingulis diebus, eademque hora adhibere notaretur, quid demum ageret, exploratum, moxque in ſcelere deprehenſus carceri datur. Captus illico fatebatur, ſe plures Domini ſui literas arcus miniſterio in Turcarum caſtra jeciſſe, ut inde, quis urbis ſtatus eſſet, cognoſcerent. Confeſſione facta, Cancellarius comprehenditur, Turrique S. Nicolai includitur. Dein nominantur duo magnæ Crucis Equites, qui juncta cum Caſtellanis Judicibus opera judicii acta inſtruerent. Interrogatus crimen negabat, ac cum famulo ſuo tanquam ſceleris teſte compoſitus, eundem pacata prorſus mente auſcultabat, ac ſe reum eſſe perfricta fronte negans, duntaxat ajebat: hic eſt *Velliacus*, quod Hiſpano idiomate idem ſonat, ac ſordidus homo. Ergo, ut ad legis præſcripta judicaretur, excipiebatur cujusdam Equitis teſtimonium, ad quem Amaralus eadem die, qua Villerius Liladamus Magiſter erat renunciatus, hæc verba dixerat: Hic poſtremus erit Magiſter, qui Rhodi ſedem habebit. Producebatur itidem teſtis quidam Sacellanus Græcus, qui hæc deferebat; ego quadam die Alverniæ

niæ aggerem transii, ibidemque Cancellarium, ejusque famulum remotis arbitris colloquentes reperi, qui ultimus arcum sagitta, cujus mediæ parti complicata quædam epistola alligata erat, armatum gestavit, cum vero per muri feneſtram ad explodenda tormenta apertam Cancellarius me vidisset, ex me, quem hic quærerem, sciscitabatur, nullo tamen dato responso mox inde recessi. Sæcul. XVI. A. C. 1522.

§. XIX.

Amarali Cancellarii, ejusque Servi supplicium.

Auditis hisce testibus Judices adversus Cancellarium, ejusque famulum judicii acta conficere festinabant, ambosque morti addicebant: igitur die sexta Novembris servus laqueo suspendebatur. Hic erat natura Judæus, sed tamen susceptο Baptismo proximus patibulo se in Christi fide, quam amplexus erat, usque ad finem perseveraturum palam profitebatur: Cancellarius vero, cum facinus constanter pernegaret, tormentis subjectus, solum fatebatur, se dixisse Liladamum forte postremum Rhodi Magistrum fore, id vero ea ex caussa, quod adversus Turcarum potentiam, qui jam tum obsidionem minitabantur, Insulam ab eo, utpote animo ac prudentia destituto *Jacq. Bourbon. relat. du Siege de Rhodes p. 665.*

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

stituto defendi posse, desperasset. His addidit, quod nequaquam ejus sermo, quem indignatio ob amissam aucupandi Magisterii spem concepta temere extorserat, juxta corticem interpretandus, nec inde crimen eruendum foret, ob quod carnificum manibus tradi promereretur. Nihilominus tam validis testium indiciis convincebatur, ut tandem, licet scelus constanter inficiaretur, nobilitatis gradu dejectus, necnon Ordinis veste exutus, sæculari judici committeretur, a quo in vincula conjiciebatur. Postera die, quæ erat octava ejusdem Mensis Novembris, haud procul *a Cruce de Padella* ad ferale pegma ductus capite plexus est, nullo dato Christianæ fidei signo, imo nec veniam a Deo postulare, nec imaginem Beatissimæ Virginis a Sacerdote ei assistente ostensam venerari voluit. Corpus ejus in quatuor partes dissectum ad quatuor aggeres, qui hostium impetu magis dejecti erant, Turcarum conspectui exponebatur.

§. XX.

Turcarum progressus in expugnanda urbe.

Hujus supplicium adeo non urbis ruinam avertebat, ut etiam Solimanus majori quam unquam furore illius expugna-

pugnationem urgeret. Præſtolabantur Equites quasdam ex Francia ſuppetias; nonnulli enim Nobiles Maſſiliæ duo navigia milite, armisque inſtrui curabant, aſt eorum alterum prope Monæcium aquis hauſtum, alterum autem tempeſtatum vi jactatum in Sardiniæ ora ad ſcopulum allidebatur. Defecerant quoque promiſſa Anglorum auxilia, adeo, ut tota belli moles ſoli Ordinis Magiſtro, indigenisque ejus militibus impenderet, quorum tamen potiſſima pars occubuit, ac reliqui aut vulnerati, aut viribus exhauſti erant. Sæcul. XVI. A.C.1522.

Interea Achmetes, cui obſidionis cura incumbebat, ſuggeſtum ſeptemdecim tormentis munitum erexit, quibus Italorum aggerem quatiens, eundem penitus disjecit. Præterea illius Foſſores murum perfodientes ad ipſa etiam munimenta penetrarunt, quam ob rem Equites magis ad interiora urbis loca ſeſe recipere compellebantur. Pari quoque ſucceſſu Turcici exercitus Dux in Anglorum aggerem tormentorum emiſſionibus per aliquot dies continuatis detonabat, quamvis illum Equites toto obſidionis tempore ſibi vendicaſſent: Dein trigeſima Novembris die Turcæ Hiſpanorum aggerem aſſultu tentato adoriebantur, nihil remorati grandinantes obſeſſorum ſclopos ac tubos, voli-

Sæcul. XVI. A C. 1522.

tantesque grandioris plumbi globos; quippe Rhodienses, cum sola desperatio eorum audaciam acueret, in Turcas toto impetu effusi collato pede dimicabant, æquato utrinque decore ac dispendio, nisi quod opportune nubes in tam copiosum effunderentur nimbum, ut repentinus torrentum affluxus teram, quæ oppugnantium fossas tegebat, secum abriperet, quo facto Christiani barbaros ingenti cæde prosternebant, omnesque, qui tormentorum rabiem effugerant, præcipiti pedum studio obsidionales fossas, castraque peterent, eorum Belliducibus nequicquam minis fugam cohibere nitentibus.

§. XXI.

Deditionis pacta a Solimano Equitibus proposita.

Jac. Bosius hist. Hospit. tom. 2. l. 18. 19. 20.

Solimanus primam victoriæ fiduciam tam siniſtro successu eludi indignatus, per plures dies suo tentorio inclusum sese tenebat, nemine ad alloquium admisso; tandem vero resumpto spiritu Piri Baschæ consiliis faciliores præbebat aures. Hic ei auctor erat, ut Magnum Magistrum ad deditionem sub clementiæ obtentu invitaret. Ergo Pirus plures in urbem epistolas Turcarum Imperatoris nomine scriptas immisit, quibus

Jac. Font. in hist. obsid. Rhod. apud Bzovium hoc anno n. 12.

quibus incolas ad ſpontaneam deditionem adhortabatur: imo non multo poſt Genuenſem quemdam, nomine Hieronymum Monilam ablegavit, qui eadem Rhodiis ſuaderet, moneretque, ut extrema, quæ ipſis jamjam imminerent, mala a ſe averterent. Aſt cum ſupremus Ordinis Magiſter ejusmodi propoſitiones reſpueret, Genuenſis quantocius ad Turcarum caſtra remittebatur, rediit tamen biduo poſt, inquiens, quod literas a Solimano datas deferret, verum minoris ſclopi ictibus repellebatur, eodemque modo excipiebatur quidam Albanenſis, qui eadem nunciatum advenerat. Nec tamen ſuo ſucceſſu caruere ejusmodi literæ, ac frequentes legationes; incolæ enim palam conteſtabantur, ſe ſolos, cum de ſalute ſua, ſuarumque conjugum, ac prolium ageretur, excluſis Equitibus cum Solimano concordiam inituros, ſi Magnus Magiſter pro ſe pacis conditiones recuſaturus eſſet. Dein Epiſcopum ſupplices adibant, ut Magiſtro exponeret, quod idem, niſi brevi cum Sultano deditionem paciſceretur, Ottomanici furoris victima foret, ſuisque oculis non ſine ingenti animi ſui mærore Eccleſias profanari, ſacras Reliquias conculcari, nec non uxorum ac Virginum pudicitiam militum inſolentiæ exponi cerneret.

Sæcul. XVI. A. C. 1522.

Sæc. XVI
A C 1522.

Magister iteratis suorum precibus ultra resistendo impar, consilio habito incolarum postulata proposuit, omnesque, qui præcipuas urbis stationes propugnabant, in Senatu adesse jussit, ut ab ipsis genuinum obsidionis statum edoceretur. Hi palam testabantur, quod hostis obsidionales fossas jam jam ad ducentos passus quoad longitudinem protenderit, quoad latitudinem vero ad septuaginta intra urbem eas dilataverit, cum interim ipsis desint operarii, ac exercitatiores milites fuerint occisi, ut proin urbs ultra oppugnantium impetus sustinere haud posset, nisi promptum submitteretur auxilium. His perceptis ex Senatu potissimi in eam abiere sententiam, propositas ab hoste conditiones esse admittendas. Ægre Magnus Magister huic consilio cessit, Turcarum fidem sibi suspectam esse caussatus: Cum vero hæc utrinque altercatio ferveret, deferuntur ad eum literæ, quibus Solimanus Magistrum ad deditionem provocavit, eique honestas conditiones proposuit, adjectis tamen minis, se omnia promiscuo interitu vastaturum, si urbem vi occupare compelleretur. Perlecta hac epistola sanctior Senatus necnon excrcitus Dux pacta cum Turcis inire satius ducebant; quapropter Antonius Pasix, & Robertus Piruzzi

Piruzzi tanquam Legati ad Solimanum decernuntur, qui ad Achmetis tentoria admissi, juncta cum eo opera deditionis conditiones, quæ rebus undique desperatis sat proficuæ erant, confecerunt. Sæcul. XVI. A.C. 1522.

Præcipui deditionis articuli erant. I. Ecclesiæ nec profanentur, nec diripiantur. II. Christianis tam Latini quam Græci ritus Religionis libertas concedatur. III. Non imponatur tributi nomine Christianis onus, ut eorum filii Janissaris adscribantur. IV. Cunctis incolis per quinquennium a tributis, omnisque generis oneribus immunitas tribuatur. V. Cunctis, qui abire volunt, liberum sit per integrum biennium omnem secum suppellectilem sine impedimento deferre. VI. Solimanus Imperator naves ad Equites, & Ordinis Ministros in Cretam Insulam transvehendos, sub valido præsidio necessarias commodet. VII. Abeuntibus duodecim dierum mora a tempore pactionis firmatæ concedatur, ut suam suppellectilem, Sanctorum Reliquias, vasa sacra, ornamenta, bona, & archiva, necnon tormenta, quibus alias triremes instruere solent, secum sumere valeant. VIII. Elapsis duodecim diebus, urbs educto milite Christiano cum omnibus villis ac arcibus circum positis Solimano tradatur, atque ad capiendam

Sæc. XVI. A.C. 1522.

dam urbis possessionem nonnisi quatuor Janissarorum millia introducantur. Præterea ne cui contumelia vel injuria inferretur, Turcarum exercitus ab urbe mille circiter passus recedat. IX. Denique in datæ fidei pignus Magnus Magister viginti quinque Equites Solimano obsides tradat, quos inter duo sint magnæ Crucis Equites, præter viginti quinque ex præcipuis urbis civibus.

§. XXII.

Janissarorum Dux cum copiis suis urbem ingressus.

Jacq. de Bourbon. p. 681.

His pactionibus die vigesima Decembris utrinque firmatis obsides promissi ad Turcarum castra pervenerunt, eodemque tempore summus prætorianæ militiæ Dux, quem Janissarorum Agam vocant, cum militum centuria urbem ingressus, illius possessionem cepit. Quinta post signatas conditiones die quidam Janissari Rhodum ingressi, suosque socios visuri, quasdam domus expilabant, ac aliqua ex iis, quæ in naves portabantur, diripiebant; necnon potissima Christianorum templa ingressi ea profanabant, quinimo in Equitum valetudinarium involantes convivalia ex argento vasa aufferebant; verum conquerente desuper Magno Magistro Achme-

Achmetes Bellidux Janissarorum Præfecto significari jussit, eum vitæ periculum subiturum, ni a militibus suis ablata restituerentur, moxque coercita est Turcarum insolentia. Saecul. XVI. A. C. 1522

§. XXIII.

Officiosa salutatio Magni Rhodiorum Magistri Solimano exhibita.

Præterea Achmetes Liladamo Magistro collocutus significabat, quod Sultanus peroptaret ejus alloquio frui, proin insalutato eo inde non recederet. Ergo postera die Magister Sultani tentoria accessit, sed diu expectare jussus, tandem circa vesperam vocatur, ac postquam tam ipse quam ejus Equites illum comitantes pretiosis omnino vestibus induebantur, ad alloquium admittitur, quem Sultanus honorifice ac perbenigne habuit, atque etiam, ne de principatus amissione inani mœrore, cum hæc fortunæ ludibria essent, conficeretur, hortatus est, simulque eum summorum honorum pollicitationibus sollicitavit, ut ipsi adhæreret, quandoquidem ita desertus a Christianis Principibus fuisset. Liladamus vero gratiis Sultano actis, vinci, inquiebat, fortunæ est, sed a tanto Principe victum esse, mihi honori potius quam ignominiæ duco;

Sæc. XVI. A.C. 1522.

co; ceterum a religione, quam a tua diversam profiteor, discedere, impietatis, & ignaviæ foret, quæ nullam excusationem mereretur. Unde nil amplius a te, Princeps potentissime, exoro, quam ut tuis Ministris injungere velis, ne discessus meus, meorumque navigatio ullatenus turbetur. Id lubenter precibus tanti Viri datum, cui etiam Solimanus manum suam deosculandam porrexit.

§. XXIV.

Magnus Magister in suo Palatio a Turcarum Imperatore salutatus.

Jac. de Bourbon. hist. du Siege de Rhodas p. 682.

Biduo post, nimirum in ipso Nativitatis Christi Salvatoris festo vigesima quinta Decembris die Solimanus urbem, quam recens suo imperio subjecerat, possidendam ingressus est, ipsumque Magistrum, qui suum adhuc palatium incoluerat, invisit, multisque honorum significationibus cumulatum etiam Patrem suum appellavit, hortatusque est, ne tristitia sese opprimi pateretur, sed invicto animo adversæ sortis invidiam toleraret. Referunt Scriptorum nonnulli, Solimanum absque præsidio ac comitatu, nonnisi unico a cubiculis Ministro, eoque inermi adventasse, simul-

que,

que, ubi Magistrum valere jussisset, dixisse, „ Quamvis huc solus venerim, validum tamen præsidium mihi deesse, „ haud existimes velim; mecum enim, „ quod toto meo exercitu mihi pretiosius est, defero fidem ac sinceritatem „ tam illustris Magni Magistri, totque „ generosissimorum Equitum fidelitatem „ postea ad Achmetem Belliducem, qui eum comitabatur, conversus dixit, „ non sine animi mei dolore „ bonum hunc Senem Christicolam e „ domo sua exire compellor. „ Verum Magister hac salutatione honoratus, unice intentus erat, ut suppellectilem suam triremibus imponeret, ac tandem ipse e portu solveret. Sæcul. XVI. A. C. 1522.

§. XXV.

Ismaelis Regis Persarum obitus.

Quo tempore Solimanus Rhodi obsidione distinebatur, celebris Ismael Sophi I, seu Rex Persarum hujus nominis primus, patre Scheilk Haidar, & Matre Usum-Cassani Filia ortus in civitate Sammagiæ haud procul Taurisio mortalitatem exuit, non nisi quadraginta & unum annos natus, quamvis alii Scriptores, illum quadragesimum quartum ætatis annum attigisse referant, ejusque obitum ad annum Domini

Bizar. rer. Persic. l. 10. versus fin. Leunclav. ann. Turc. l. 16. & in Pandect. Paul. Jov. elog. l. 5. Spond. ad hunc an. n. 24.

Sæcul. XVI A. C. 1522.

mini millesimum quingentesimum vigesimum sextum rejiciant. Hic non raro Christianos Principes incitabat, ut unitis cum eo viribus bellum Turcis inferrent, qua armorum societate facile Rhodi Insulæ expugnatio præpedita fuisset, eo potissimum nomine, quod Solimanus ejus potentiam veritus, splendidissimam ad eum legationem cum muneribus ampliſſimis misisset, ac universam eam Regionem, quæ Euphrati adjacet, quiete ac pacifice possidendam obtulisset, modo ipsi bellum adversus Christianos gerenti nullum negotium facesseret. Reliquit is ex duabus conjugibus quatuor filios, quorum natu major Tachmasus ætate tunc annorum duodecim, Patri in Imperio successit.

§. XXVI.

Epistola Papæ ad Fridericum Saxoniæ Electorem.

Sleid. in com. l. 3. p. 85. Labb. Conc. to. 14. p. 402.

Interea cum Lutheri secta magis magisque invalesceret, non pauci Sacerdotes ac Religiosi propudioso Carolstadii exemplo animati desertis instituti sui legibus, votisque violatis sacrilegas inibant nuptias, palamque Lutheri errores profitebantur. His igitur morum corruptelis Adrianus Papa vehementer commotus, tantamque licentiam cohibere

hibere intentus, ad Fridericum Electorem literas perscripsit his verbis conceptas. Secul. XVI. A C. 1522.

Gratum equidem mihi accidit, cum de Conventu Norimbergensi ad finem hujus anni celebrando audirem, gratissimum vero, cum te ipsum eo quoque venturum acciperem; spes enim mihi magna est, aliquid ibi decretum iri, quod ad Reipublicæ salutem ac dignitatem Religionis pertineat: hanc etiam ob caussam de consilio Senatus Cardinalium legationem in Germaniam decrevi, volui autem interea dum Legatus ille ad viam se pararet, Hieronymum Rorarium unum ex meis Cubicularibus præmittere, cui etiam mandavi, ut te, quem valde semper dilexi, adeat, meumque erga Christianam Rempublicam studium, ac voluntatem exponat, quemadmodum ex eodem, qui subsequetur, Legato copiosius es auditurus: hortor autem te ac peto, ut tu quoque, cum sis Imperii Princeps, cujus quidem in Imperii tutela versatur Ecclesia Romana, diligenter adlabores, ac in medium ea consulas, quæ ad dignitatem Ecclesiæ Apostolicæ, & ad publicam tranquillitatem pertinebunt, in eoque Majorum tuorum vestigia sequaris: & quoniam in ceteris ab ipsorum virtute non degenerasti, hinc spero, quod ne hic quidem tui dissimilis sis futurus. Hieronymo etiam in mandatis dedi, ut de his rebus tecum loqua-

Sæcul. XVI A.C. 1522

tur, cui & fidem haberi peto. Hæc epistola data est die quinta Octobris.

§. XXVII.

Norimbergensia Imperii comitia.

Raynald. ad hunc ann. n. 20.

Die vigesima sexta Novembris Ferdinandus, qui Caroli V. tum in Hispania agentis frater Imperii clavum moderabatur, edictum promulgavit adversus omnes, qui legibus Ecclesiæ morem gerere recusarent, vel ab ejus doctrina recederent, promissis etiam per præconem præmiis, quæ ejusmodi criminis reos manifestanti darentur. Petebat hoc edictum præcipue Lutherum, ac ex sententia Principum ferebatur, qui in Norimbergensibus Comitiis ad finem Novembris indictis Præside Ferdinando Austriaco convenerant, ubi præcipue duos articulos definiri moliebantur, quorum primus erat, ut de mediis Hungariæ Regnum ab impendente Turcarum insultu tuendi ageretur. Secundus autem eo tendebat, ut Lutheri hæresis reprimeretur; verum magis erat expedita mediorum consultatio, quam eorum executio.

Sæcul XVI. A.C. 1522

§. XXVIII.

Cheregatus a Papa Legatus ad comitia deputatus.

Hanc ob rem Pontifex comitia esse indicta edoctus Franciscum Cheregatum Interamnæ Episcopum, aliunde sibi in Hispaniis jamjam cognitum, suum internuncium designavit, eidemque præprimis mandata satis ampla, & a semetipso dictata præscripsit, quæ in pleno Principum consessu prælegeret. Dein eidem commisit epistolam ad Electores, Principes, atque Imperalium civitatum Deputatos scriptam.

Pallav. hist. l. 3. c 7. Extant literæ Adrian. apud Gold. t. 1. p 448. Infascic. ver. exper. tom 1. ann. 1522. tom 1. Const. Imper. a Goldasto.

§. XXIX.

Mandata a Papa Nuncio data, atque in comitiis proponenda.

Hæc erat mandatorum summa: Primo Nuncius Apostolicus exponeret, quod non sine singulari Dei providentia natione Germanus ad D. Petri Cathedram fuerit assumptus, ut apud eandem Nationem plus fidei, auctoritatisque obtineret, secundo, præcipue Imperii Principes, ut sese Lutheri erroribus omni studio opponerent, movere deberet *charitas erga proximos, qua unusquisque pro viribus studere debet errantes ab*

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

errore revocare. III. Nec minus eos urgeat, infamia nationis Germanicæ, & respectus honoris proprii, quia degenerabunt a progenitoribus suis Viris Christianissimis, qui in Constantiensi Concilio condemnationi Joannis Hussi & Hieronymi de Praga interfuerunt, & eorum aliqui ipsum Hussum propriis manibus ad ignem duxisse dicuntur. IV. Stimulet eos injuria, quæ per Lutherum illis, eorumque Majoribus infertur, cum secundum Lutherum, utpote in fide nostra decedentes, damnati in inferno essent. V. Attendant finem Lutheri, quo sub colore libertatis primo potestatem Ecclesiasticam annihilare præsetulit, cum tamen eadem libertas æque & plus militet contra potestatem sæcularem, etiam illam enervare vult; non enim illa amplius homines quibusdam præceptis, quantumvis justis & rationabilibus ad parendum sub pœna mortalis peccati obligare poterit; unde maxima scandala, turbationes, & bonorum direptiones ex hac secta sequentur. VI. Considerent Lutherum consimili prope via ad seducendum populum Christianum uti, qua Machometes usus tot animarum millia decepit, permittendo ea, ad quæ homines carnales inclinant, ac eximendo eos ab his, quæ in lege nostra graviora videntur, & ut Lutherus Monachorum, Sacerdotum & Deo dicatarum Virginum lascivia carnis gestientium sibi favores conciliet,

Onuphr in vita Adrian. VI.
Sleid l. 4. p. 91.

præ-

prædicat, vota perpetuæ continentiæ etiam illicita esse, nedum non obligatoria. Sæcul. XVI. A.C. 1522.

In iisdem monitis Papa subjunxit: *Si quis forte dixerit, quod Lutherus inauditus, & indefensus fuerit per Sedem Apostolicam condemnatus, ac propterea is audire omnino debeat, talia asserenti sic respondebis, ei defensio negari non debet in his, quæ sunt facti, hoc est, utrum hæc vel illa prædicaverit, vel scripserit? illa autem, quæ fidei sunt, propter divinam auctoritatem credenda, non probanda sunt. Non debet revocari in dubium, quod per Concilia generalia, ac universam Ecclesiam constat esse approbatum, tanquam de fide tenendum, jam autem ferme omnia, in quibus Lutherus ab aliis dissentit, sunt per diversa Concilia prius reprobata,* ut ipsemet cum Cardinale Cajetano colloquens affirmavit. *Item, dices, nos ingenue fateri, quod Deus hanc persecutionem Ecclesiæ suæ inferre permittat, propter peccata hominum, maxime Sacerdotum & Ecclesiæ Prælatorum. Scimus in hac sancta Sede, aliquot jam annis, multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, nec mirum si ægritudo a capite ad membra, a summis Pontificibus in alios inferiores Prælatos descenderit. Qua in re, quod nos attinet, pro munere Pastoralis sollicitudinis omnem operam adhibebimus, ut primum Curia Romana reformetur.*

Sæcul. XVI. A. C. 1522

Interim, *nemo mirari debebit, si non statim omnia errata, & abusus omnes per nos emendatos viderit. Inveteratus nimium morbus est, nec simplex, sed varius & multiplex, pedetentim in ejus cura procedendum, & prius gravioribus, magisque periculosis occurrendum est, ne omnia pariter reformari volentes, omnia perturbemus.* Insuper nostro nomine promittas: *quod nos de inviolabili fide omnium Concordatorum, quæ inter Sedem Apostolicam, & Nationem Germanicam erecta fuissent, nullatenus culpari possimus, nec debeamus, de processibus vero, quos a Rota avocari, & ad partes remitti postulant Principes, dices, nos cupere eis in hoc gratificari, quantum honeste possumus.* Denique, *diligenter*, mandavit Papa Nuntio, *sollicitabis responsa, & requires eos, ad quos scribimus, ut nos literis suis edoceant, quibus mediis eorum judicio videatur, ut huic pessimæ Sectæ commodius obviari possit.*

Præter hæc Sedis Apostolicæ Nuncius Imperii Principibus exponere jussus est, quod in tota Germania passim Religiosi relictis suis Monasteriis ad profanum statum revertantur, Sacerdotes summo Religionis contemptu matrimonia ineant, ac quamplurima, eaque enormia scelera committant, proin omnino necessarium sit, ut ejusmodi malis reme-

remedium opponatur, sacrilega hæc connubia declarentur invalida, necnon talia contrahentes severe puniantur, ac denique ejusmodi Monachi Apostatæ Superiorum suorum potestati rursum tradantur. Saecul. XVI. A.C. 1522.

§. XXX.

Epistola Pontificis ad Electores, & Imperii Status.

Commiserat idem Pontifex suo ad Comitia Nuncio diploma ad Electores cunctosque in Norimbergensi conventu congregatos directum. *Considerandum vobis est*, inquit Papa, *Germani Principes & populi, quantam vobis ignominiam accenseatis, nisi reprimatis hunc Fanaticum, qui omnia susque deque vertit. ac stolidis, detestandisque ausibus scriptum Dei verbum Martyrum sanguine, ac sanctorum Doctorum libris confirmatum, totque fortissimorum Principum armis defensum evertere conatur.* Postea eosdem adhortatur Principes, ut Majorum suorum vestigia secuti, sese a falsis perditissimi hominis doctrinis seduci haud paterentur, nec errores a tot Conciliis damnatos amplecterentur. *Postquam enim*, his subjunxit Papa, *ad Apostolatus officium assumpti fuimus, testis nobis est ille, qui nos ut immeritos, ita nil tale expectantes promovit, nil aliud nos diu noctuque cogitasse, quam ut in curando*

Sæcul. XVI A.C. 1522.

grege nobis concredito boni pastoris partes modis omnibus implerenus, atque adeo nullam existimasse e nostris ovibus tam morbosam & a ceteris errantem, quam non perquirere, & ad Dominicam caulam reducere summopere cuperemus. Et sane Christianorum Principum animos nimis inter se dissidentes ad pacem, & concordiam ineundam, deponendaque arma (aut si bellandum esset) ea in fidei hostes convertenda precari, hactenus nunquam destitimus. Deus scit, quanto rei nostræ familiaris, his præsertim temporibus, incommodo pecunias & alia subsidia ad Rhodienses milites ab immanissimo Turcarum tyranno obsessos misimus.

Mox vero, prosequitur Pontifex, *ab externis ad intestina animum advertentes, non sine gravi animi molestia percepimus, Martinum Lutherum post Sedis Apostolicæ paterna primum monita, dein etiam post sententiam non absque diversarum Universitatum consilio contra eum latam, post Caroli Imperatoris edictum in proximis comitiis Wormatiæ habitis, non modo non a pravissimis incæptis desistere, sed etiam novos quotidie libros errorum, hæresum, ac seditionum plenos divulgare, ac bonas animas, & mores inficere, & corrumpere conari. Et quod pejus est, horum suorum facinorum non plebeios modo, sed & nobiles plerosque habere fautores, adeo, ut in Sacerdotum bona*

bona iri, & obedientiam tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus debitam vilipendi cæptum sit, & tandem inter nonnullos vestrum ad civilia bella deventum. Etsi autem prædixerit Apostolus, oportere hæreses esse, nullum tamen videas tempus huic rei magis importunum, quam hoc; cum enim humani generis perpetuus hostis diabolus per Turcarum vires in Christianos continue debacchetur, non videmus, quo modo contra tantos impetus resistere possimus, quamdiu eundem diabolum istas hæreses domi nostræ disseminantem, interque fortissimos Germanos nostros discordias & seditiones suscitantem fovebimus. Sæcul. XVI. A.C. 1522.

Cum in minoribus constituti, addit Papa, *in Hispania essemus, multa ad nos, & varia de Luthero, ejusque perversis dogmatibus frequenter perferri meminimus. Quæ ea nobis duriora videbantur, quod ex ea Regione venirent, unde nobis secundum carnem origo est. Sed solabatur nos tum rei ipsius adeo manifesta vel iniquitas, vel stoliditas, ut a nemine diu toleranda crederetur. Tum illa subinde nobis erat opinio, qua dubio procul confidebamus istas venenatas plantas aliunde in Germaniam translatas non perventuras ad frugem in ea terra, quæ acerrimos hæresum, omnisque infidelitatis hostes semper protulisset. Nunc vero postquam hæc mala arbor sive divino judicio sic populi sui peccata puniente, sive socordia eorum, qui* Sleid. in com. l. 3. p. 86.

Sæcul. XVI. A. C. 1522.

ut debebant, & poterant, principio non obstiterunt, longe lateque ramos extendere cœpit, considerandum vobis est, Germani Principes & populi, ac providendum, ne vos per istam nimiam tolerantiam, & pristinæ virtutis, naturæque obliti & tanto facinori, dum illi non resistitis, consentire videamini. Omittimus, quod enormissimum est, tantam, tamque religiosam nationem per unum fraterculum (qui a Catholica fide & religione Christiana, quam ab ineunte ætate non solum profiteri, & sequi visus est, sed multis etiam annis prædicasse, ac docuisse dicitur, novissime infeliciter apostatavit, ac Deo mentitus est) seduci ab ea via, qua a Redemptore nostro, ejusque sanctissimis Apostolis demonstrata, tot Martyres, tot præclari doctrina & sanctitate viri & Majores denique vestri omnes hactenus incesserunt, quasi solus Lutherus saperet, & sciret, solus nunc primum (ut de se hæreticus Montanus gloriabatur) Spiritum sanctum acceperit, & Ecclesia ipsa, cum qua se futurum usque ad consumationem sæculi Redemptor noster pollicitus est, in tenebris ignorantiæ & perditionis ambagibus semper erraverit, donec novo Lutheri lumine illustraretur. Quæ omnia apud eos, qui sapiunt, perridicula judicantur.

An non, prosequitur Pontifex, *consideratis, Germani Principes, præludium esse quod-*

quoddam eorum malorum, quæ Lutherus ejusque Sectatores moliuntur? An non aperte videtis, istud prætensum in principio a Lutheranis veritatis Evangelicæ patrocinium detectum, nunc esse merum rerum vestrarum Latrocinium: An putatis alio tendere istos iniquitatis filios, quam ut libertatis nomine, omni obedientia sublata, quod cuique libuerit, faciendi licentiam inducant? An ullius pensi jussa & leges vestras creditis habituros, qui sacros Canones & Patrum decreta, necnon sacrosancta Concilia non solum vilipendunt, sed & lacerare ac comburere non verentur? Denique qui Sacerdotibus, Episcopis, & summo Pontifici debitam obedientiam detrectant, an speratis contenturos sacrilegas manus a Laicorum bonis, & non omnia potius sibi, quæ poterunt vindicaturos, qui res Deo dicatas, quotidie vobis præsentibus & videntibus auferunt, diripiuntque? An denique vestris cervicibus parsuros, qui non tangendos Christos Domini contemerare, cædere, & trucidare ausi sunt? Sæcul. XVI. A.C. 1522.

Tandem sermonem suum absolvens, *Proinde*, inquit, *fraternitates & devotiones vestras hortamur, & obsecramus, ut ad commune hoc incendium extinguendum nunc saltem toto animo incumbatis, & Martinum Lutherum, ceterosque istorum tumultuum & errorum auctores ad rectam sentiendi & vivendi*

Sæcul. XVI. A.C.1522.

vendi viam omnibus modis reducere enitamini. Quod si audire recusaverit juxta leges a vestratibus Imperatoribus latas, atque juxta recens vestrum hac super re Imperiale edictum, s veritatis virga in eos animadvertatis. Dabat Romæ die vigesima quinta Novembris Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo secundo.

§. XXXI.

Cheregatus Papæ Nuncius Norimbergæ.

Acta conv. Norimber. Extat apud Gold in Con. Imper. t. 2. & in fascic. rer. expet.

Igitur Cheregatus his monitis, literisque munitus tanquam Sedis Apostolicæ Legatus Roma Norimbergam ad Imperii comitia proficiscitur, illucque exeunte hoc anno perveniens ad initium Januarii Anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio in publico Principum consessu comparuit, sermonemque dixit, cui præter ea, quæ in mandatis habuit, nihil de suo adjecit, nisi quod geminam, quam ex Lutheri hæresi rite sentientes hauriebant, offensionem verbis magis adhuc efficacibus exposuisset; deplorabat enim, quod ex omnibus Germaniæ circulis Monachi, & Virgines Deo sacratæ ruptis aut vi aut astu Monasterii sui claustris ad sæcularem statum transeant, vitamque præ ipsis quoque dissolutissimis Laicis longe magis scele-

sceleratam ducant, necnon Sacerdotes tot sacrilegiorum exemplis animati palam connubia ineant, ad quæ cohibenda scandala tam enormia Episcopi nec sat virium haberent, nec Magistratus potestatis suæ auxilium præbere vellent. Absoluta hac oratione Cheregatus Principibus congregatis monita, ac Pontificis diploma tradidit. Sæcul. XVI. A. C. 1522.

§. XXXII.

Responsum Principum Legato Pontificio datum.

Principes in comitiis congregati scripto responsionem dabant, hunc in modum: *Serenissimus Princeps Ferdinandus comitiorum Præses, ceterique Principes de suæ Beatitudinis ad summum Apostolatus apicem electione incredibili quadam animorum hilaritate & lætitia sunt affecti, ac summo studio ex animo orant, ut sua Sanctitas in hoc sancto proposito, ut pius Pastor & Pater pergat, nilque intentatum relinquat, quo dissidentes Principes ad pacem reducat, ut instantibus Christianæ Reipublicæ periculis & Turcæ conatibus obsisti possit. Pro quo omnes Principes Germani una cum ceteris Potentatibus omni ope & opera fideliter sunt laboraturi; profitentur enim, se non minus quam Beatitudinem Pontificiam ex animo dolere, de impietatibus, anima-*

Sæcul. XVI. A.C. 1522.

animarum periculis & incommodis, quæ in Christiana Religione ex Lutheri Secta aliisque provenerint. Quicquid enim auxilii & consilii pro extirpandis erroribus, & animarum periculis amovendis sua moderatione præstare unquam poterint, sunt pro summa in Christi Religionem pietate paratissimi, ingenueque agnoscunt, se & Pontifici & Cæsari ad omnem obedientiam esse obnoxios. Sed quod Sedis Apostolicæ sententia simulque Cæsareæ Majestatis edictum non sit debitæ executioni demandatum, non sine maximis urgentissimisque rationibus, ne pejora inde caussarentur &c. hactenus prætermissum est. Majori namque populi parti persuasum est, & Lutheranis libris ac dogmatibus populorum opinio sic informata, ut jam pro comperto habeant, nationi Germanicæ a Curia Romana per certos abusus, multa & magna gravamina & incommoda esse illata, ob id, si pro executione Apostolicæ sententiæ, vel Cæsaris edicti, quicquam acerbius attentatum esset, mox popularis multitudo hanc suspicionem animo concepisset, acsi talia fierent pro evertenda Evangelica veritate, & sustinendis manutenendisque malis abusibus, impietatibusque. Unde indubie aliud nihil, quam gravissimi tumultus populares, ac bella intestina speranda essent. Opportunioribus itaque remediis in hac potissimum temporum difficultate his malis succurrendum existimant; nam quemadmodum Reverendissi-

mus

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

mus Nuncius fatetur & agnoscit; quod Deus hanc Ecclesiæ suæ persecutionem inferri permittat propter peccata hominum, pollicetur-que Pontifex omnem adhibiturum operam, ut primum Romana Curia reformetur, & concordata Germaniæ executioni darentur. Quæ res Pontificiæ sollicitudinis digna foret, ac brevi populi querelas tolleret; *nisi enim*, subjungebant Imperii Principes, *istiusmodi abusus & gravamina, simulque certi articuli, quos sæculares Principes juxta hæc specialiter designatos scriptis exhibebunt, fideliter reformentur, vera pax & concordia inter Ecclesiasticos, sæculares-que ordines, hujusmodi tumultus, & errorum extirpatio per Germaniam minime speranda est. Cum autem S. R. Imperii Ordines in solutionem Annatarum ad aliquot annos Sedi Apostolicæ solvendarum ea lege consenserint, ut illa in oppugnationem Turcæ, & defensionem Fidei Catholicæ convertantur, cum vero annatæ illæ a Prædecessoribus Pontificibus in hunc usum, in quem decreta sunt, conversæ non fuerint; ideo Principes vehementer orant, ut Pontifex velit illa annata, quæ post obitum Episcoporum ad Curiam Romanam solvenda fuerint, in futurum non exigere, sed illa fisco sacri Romani Imperii applicanda relinquere, ut eo commodius per Germanicam Nationem aliis Christianis Principibus contra Turcam auxilia & præsidia præstari possint.*

Cum

Secul. XVI. A.C. 1523.

Cum vero summus Pontifex desiderat edoceri, quibus mediis huic Lutherano errori melius obviari valeat. Ad hæc Principes & ordines dicunt, quicquid hac in re utilitatis & auxilii præstare poterint, sunt, & erunt semper paratissimi. Ex quo autem hoc sæculum in omni Statu tam Ecclesiastico, quam sæculari corruptissimos habeat mores, sintque non tantum ex parte Lutheranæ Sectæ, sed ex aliis caussis multi errores, abusus & corruptelæ, ob id nullum commodius, efficacius, & oportunius remedium Imperii ordines excogitare potuerunt, quam quod sua Beatitudo accedente Cæsaris consensu, liberum Concilium ad locum convenientem in Natione Germanica, quanto celerius fieri poterit, videlicet, vel in Argentoratum, vel Moguntiam, Coloniam, vel ad civitatem Metensem vel alium convenientem locum in Germania indicere, nec ultra unius anni spacium hæc Concilii convocatio (si possibile foret) differatur, & quod in tali Concilio cuivis Ecclesiastici, vel Laicalis Ordinis liceret libere loqui, & consulere pro gloria summi Dei, & salute animarum, proque Republica Christiana, non obstantibus quibuscunque juramentis, & obligationibus.

Cum vero non minima pars istius negotii ex hac medii temporis intercapedine pendeat. hinc S. R. Imperii Principes apud Electorem Saxoniæ summa diligentia curare volunt,

volunt, ne Lutherus, & sui Sectatores aliquid amplius scribant, edant, & typis excudi faciant. Curabuntque, ut per omnem Germaniam cum divini verbi præconibus diligenter agatur, ne in populum Christianum spargant ea, per quæ possit popularis multitudo ad tumultum, vel rebellionem moveri, aut in aliquem errorem induci, sed quod nihil præter verum, purum, & sanctum Evangelium, juxta doctrinam & expositionem approbatæ, & ab Ecclesia Christiana receptæ Scripturæ doceant, & prædicent. Ordinabunt præterea Archiepiscopi, & Episcopi, aliique Prælati per suas Diœceses Viros doctos & probos, qui prædicantibus fideliter & diligenter intendere debebunt, & si quid ab illis vel erratum, vel minus idonee dictum esse offenderint, eos mansuete corrigent, hunc in modum, ne quispiam suspicari possit, quod veritas Evangelica per hoc impediri quæratur. Præterea in omnibus Bibliothecis, & apud Typographos diligentissime providebunt, ne in futurum aliquid novi typis excudatur, nisi prius per Viros probos, & doctos ista revideantur, & nisi per eosdem approbatum fuerit, minime vendatur, excudatur, vel publicetur. Et per hæc media sperant, quod hoc tempore poterit istis tumultibus, erroribus, & offendiculis commodius mederi. Per hæc maxime satisfieret populari, & nunc fluctuanti multitudini; indubie enim multi probi, & boni Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

Viri Christiani futurum, & proxime indicendum Concilium magno desiderio essent expectaturi.

Postremo de Presbyteris, qui matrimonia contrahunt, & de Religiosis, qui relictis monasteriis ad sæculum redeunt, de quibus Reverendissimus Nuncius Apostolicus inter cetera meminit, considerant Principes, ex quo in legibus civilibus nulla pœna specialiter super his sit statuta, ob id congruum visum est, ut tales per eorum Ordinarios debita pœna in sacris Canonum Constitutionibus expressa, ut puta amissione beneficiorum, & privilegiorum, aliisque pœnis condignis puniantur, donec super his omnibus publica mandata, & edicta a Cæsare fiant. Ordinarii autem illi a sæcularibus in ista animadversione & punitione minime impediantur, sed pro tuitione jurisdictionis Ecclesiasticæ eis auxilium, & favorem impendant. Si vero illi votorum transgressores aliis delictis in ditione & territorio alicujus Principis vel potestatis sæcularis delinquerent, ex tunc debitis, & congruis pœnis puniantur, & coerceantur. Postremo Principes & Ordines vehementer orant, ut Pontifex ista omnia non aliter accipere, & intelligere velit, quam a bono, pio, sincero, & Christiano animo profecta; nihil enim est, quod tam ex animo velint, quam Statum sanctæ Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ, Pontificisque felicem incolumem, & salvum, ad cujus vota,

vota, desideria, & obedientiam, ut fideles filii se paratissimos offerunt, & commendant. Sæcul. XVI. A.C.1523.

§. XXXIII.

Nuncii Apostolici responsum.

Displicuit hoc responsum Pontificis nuncio, unde huńc in modum Principibus reposuit: *Et primo quantum ad id, quod Principes dicebant, & se excusando asserebant, quod non fuerit visum, sibi expedire, ut sententia Apostolicæ Sedis, & Imperiale Decretum debitæ executioni mandetur, ne inde contingant pejora, & acerbiora mala,* ad hoc respondit Nuncius: *Non satisfacit illa ratio, quod propter scandala evitanda hæc sententia ac edictum exequi non debeant. Nam non sunt toleranda mala, ut proveniant bona, & magis sunt curanda ea, quæ pertinent ad animæ, quam ad corporis salutem: Cum vero Lutherus ante sententiam Apostolicam, & Cæsareum Decretum errasset in uno, & post sententiam & edictum erraverit in longe pluribus, attento, quod indies magis cum suis sequacibus erraverit, & erret, pœnæ etiam ipsæ augeri, non diminui debent. Et quantum ad responsum ipsum, ex eo imprimis offenditur divina Majestas, cujus causſa tam segniter curatur, offenditur Apostolicæ Sedis dignitas, offenditur Imperialis culminis celsitudo, quorum ordinationes tam impune*

Pallav. hist. Trid l. 3. cap 8 n 11.

Sæcul. XVI A.C. 1523.

suspenduntur. Nec videntur excusandi, qui Lutherum sectantur, quod propter sibi inflicta scandala, & gravamina a Curia Romana (etiamsi verum illud esset) deberent ab unitate Catholicæ Fidei propterea resilire, & in profundum malorum se præcipitare: nam omnia potius mala deberent æquo animo & patienter sustinere, quam se, & animam suam, cum salutis periculo in præcipitium dare. Quare vos rogo, ut his rationibus verissimis adduci velitis, antequam vester conventus dissolvatur, omnino & firmiter statuere, quod Apostolica sententia, & Imperiale Edictum executioni mandentur sine aliqua diminutione, cum ex hac tota Germaniæ salus dependeat.

Quoad Annatas in Germania retinendas, reservatur responsio ipsi Pontifici, quæ dabitur vel Imperiali Regimini vel futuro Principum conventui, prout magis suæ Sanctitati expedire videbitur. De cetero Camera Apostolica semper parata est Deputatis ex Imperii arbitrio seligendis de summa pecuniarum, quæ ex Germania percipiuntur, accuratam rationem reddere, ac illos etiam, qui difficiliores ad credendum inveniuntur, convincere, illas semper in debitos usus fuisse conversas.

Quoad Concilium Oecumenicum, replicatur, quod illud speratur, non debere di-

spli-

ſplicere ſuæ Sanctitati, petitur tamen, ut illud Concilium aliis verbis magis idoneis poſtuletur, & quod tollantur ea, quæ poſſent aliquam umbram facere Sanctitati ſuæ, quaſi debeat convocare Concilium de Cæſareæ Majeſtatis conſenſu, item quod non ponatur magis in una civitate, quam in alia, & ſimilia &c. quia niſi tollerentur iſta, viderentur Sanctitati ſuæ ligari manus per Imperii Principes, prout in voce declaratum eſt. Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Quod Prædicatores ſpectat, obſervandum eſt Papæ Decretum, nimirum, quod nullus deinceps poſſit prædicare verbum Dei, niſi prius fuerit examinatus per Epiſcopum, & ad id munus ab eodem inſtitutus.

De Impreſſoribus Lutheranorum librorum reſpondetur, quod nullo pacto placeat data reſponſio, ſed in hoc ſententiam Papæ ac Cæſaris exequi oportet, nimirum quod ejusmodi libri comburantur, imprimentes vero, & vendentes, vel alio divulgantes juxta easdem ſententias puniantur. Et in hoc maxime peto debere adverti, nam in hoc ſtat tota vis, nec in hoc recedendum a Conſtitutione Concilii Lateranenſis, qua ſtatutum, ut nullus poſſit aliquos libros imprimere, niſi per Epiſcopum loci examinati ac pro Chriſtianis libris habiti ſint.

Denique de Clericis, qui uxores ducunt, replicatur, quod quamvis Germaniæ Eccleſiæ hucusque adverſus Sacerdotes &

Sæcul. XVI A.C. 1523

Monachos Apostatas nullas leges satis severas condidissent, nihilominus *illa verba, quæ in fine capituli habentur, declarari debent, nimirum quod illi votorum transgressores a Principe vel potestate sæculari puniri possent; tale enim responsum est contra libertatem & jus Ecclesiæ, nam si sæculares auderent in eos jurisdictionem exercere, esset tangere eos, qui sunt peculiariter Christo reservati: nec ob transgressionem voti, seu ob apostasiam præsumant credere Principes, tales ad suam jurisdictionem devolutos esse, si delinquant in eorum territoriis: cum propter talem transgressionem non desinant esse de jurisdictione Ecclesiæ. Quia cum remaneat illis character ordinis, semper sunt in ejusdem Ecclesiæ potestate. Unde in tali casu Principes denuncient illos suis Episcopis, vel aliis Superioribus, qui eos castigent, corrigant, & si opus fuerit, pro viribus suis dictos Episcopos, seu Superiores brachio suo juvent, & aliis præsto sint. Super quibus omnibus & singulis peto ab S.R. I. Electoribus, & Principibus, ut habita matura deliberatione melius, clarius, sanius, & consultius respondeant.*

§. XXXIV.

Nuncii responsio Principibus minus accepta.

Hoc Nuncii Apostolici responsum minus benigne a Principibus excipiebatur,

batur, nec deerant, qui palam edicerent, illum tam boni quam mali rationem non juxta Germaniæ neceſſitates, ſed ad Curiæ Romanæ commoda ponderaſſe, cum ad conſervandam unitatem Catholicam ſatius foret, bonum facere, cujus executio expedita eſſet, quam malum pati, quod toleratu difficillimum videtur: Ut proin Nuntius Apoſtolicus perperam fuerit Germanos adhortatus, ad patienter tolerandas vexationes Curiæ Romanæ, cum tamen hæc nec quicquam de ſuis juribus cedere, nec ab oppreſſionibus niſi ſub vanis pollicitationibus deſiſtere velit. Criminabantur alii, quod ſtudio nimis exquiſito Sedes Apoſtolica queratur, ſe ex eo, quod concilium celebrari fuerit petitum, fuiſſe offenſam: cum tamen id non ſine ingenti moderatione factum eſſet. Has ob cauſſas re maturius diſcuſſa, Principes unanimi ſuffragio decernebant, Cheregato Nuncio haud aliud, ac antea reſponſum fore dandum, interea vero expectandum, quid Papa ad ea, quæ a Nuncio petebantur, reſponſurus eſſet. Inſtabat quidem Cheregatus, rogans, ut Sanctitatis ſuæ votis ſatisfieret, ſed nihil obtinens, re infecta abire cogebatur, ac nequidem expectabat literas, in quibus Natio Germanica ſuas querelas ſummo Pontifici exponere, ac de-

Sæcul. XVI. A C. 1523.

Sæcul. XVI A.C. 1523

super responsum petere constituebat. In his Principes sæculares omnes querendi causas, quas sibi variis temporibus a Romana Curia, statuque Ecclesiastico datas fuisse credebant, corraserunt, quibus etiam addiderunt ejusdem Curiæ jura in Episcoporum & Abbatum jurisdictionem, atque ex his omnibus longam confecerunt epistolam, cui titulum præfigebant, *Centum gravamina*, eoquod totidem querelas contineret.

§. XXXV.

Centum gravamina a Germanis ad Papam missa.

Cum Nuncius Apostolicus discessum suum acceleraret, Principes in comitiis congregati hanc epistolam ad Pontificem transmittere cogebantur, palam rogantes, *quatenus summus Pontifex onera hæc non ferenda Germanis e medio tollere ac emendare non dedignetur*, necessariis, urgentibusque ex causis se dicebant adactos, ut ab ejusmodi malis liberari omni nisu peterent. Hæc onera articulatim a Scriptoribus Germanis recensentur, nos vero impræsentiarum nonnisi præcipua adducemus, ex quibus tamen haud difficulter prudens lector dignoscere poterit, quod hoc scriptum a Lutheranis, qui in Norimbergensi-

Goldast. & in fasc. rer. exp. et. Pallavic. l. 2. c. 7. Sleidan. l. c. l. 4 p. 93. Rayn. ad an 1523 n. 28. & 42. Cochl in act. Luth ann. 1523 p. 85

genſibus comitiis abs dubio prævale- Sæcul. XVI.
bant, fuerit compoſitum, quippe inter A. C. 1523.
ceteros haud pauci reperiuntur articuli, qui recta ad enervandam Eccleſiæ diſciplinam, & ſanctiſſimos quosque Chriſtianæ Religionis actus uſusque abolendos tendunt, cujus rei exemplum ex eo deſumere licet, cum I. *Natio Germanica inter onera collocet, quod conſtitutionibus humanis multa prohibeantur, imperentur item multa, quæ nullo divino præcepto vel interdicta ſunt, vel imperata. Quod genus ſunt: Matrimoniorum tam innumera excogitata obſtacula ex affinitatis, publicæ honeſtatis, cognatione ſpirituali, legalique, & conſanguinitatis originem trahentia. Ciborum item uſus interdictus, quæ leges eousque ligant homines* (inquiunt illi) *donec pecunia ſibi harum Conſtitutionum gratiam a ſtatuentibus impetrent.*

Secundo conqueritur Natio de Indulgentiis, tanquam *de importabili jugo, quo ſpoliata eſt ære Germania, & Chriſti pietas extincta,* cujus rei rationem allegat, *quia quilibet pro precio, quod in has indulgentias expenderat, peccandi impunitatem ſibi pollicebatur, & quia hæ pecuniæ non in rem fidei, aut profectionem in Turcas, ſed in propinquorum luxum, ac ſublevandam Pontificum familiam verſæ fuerunt.*

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

Cetera onera spectabant causſas Ecclesiasticas, & querebantur, *quod Papa causſas profanas in prima instantia ad Romanum tribunal trahat, & judices, quos Conservatores, delegatos ac Commissarios vocant, in jurisdictionis ordinariæ jacturam concedat.* Præterea Natio læsam se dicit in Beneficiorum conceſſionibus, ac artibus, quibus Romana curia ad conferenda Germaniæ Sacerdotia utitur non ſine præjudicio, quod Patronorum, & Ordinariorum civibus infertur. Præter hæc Germani petebant, ut etiam Annatæ abolerentur, nec illas ſolvere Clerus, & Eccleſiæ adſtringerentur, niſi ad parandam contra Turcas defenſionem. Inſuper iidem oſtendere nitebantur, quantum bono publico noceat immunitas Eccleſiaſticis in cauſſis criminalibus conceſſa: ex adverſo autem poſtulabant, ne quisquam ob cauſſas proſanas anathematis, interdicti vero pœna urbs, vel plures ob unius delictum afficeretur, nec ſegnius volebant, ut feſtorum dierum multitudo minueretur. Poſthæc de exactionibus propter Ordines & conſecrationes factis, nec non de magnis, quibus Epiſcopi, aliique Miniſtri Eccleſiaſticorum bona, Eccleſiasque gravant, oneribus querebantur, & Judicum eccleſiaſticorum uſurpationes in Laicorum cauſſis commiſſas, ac injuſtitias

juſtitias ab eis patratas reprimi deſiderabant. Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Ceteræ conquerendi cauſſæ reſpiciunt exactiones, quæ (ut ipſi dicebant) ob Sacramentorum adminiſtrationem, ſepulturam, Miſſæ ſacrificia, imo etiam propter licentiam concubinas alendi factæ fuerunt. Dein exponebant, quod Religioſi a Monialium monaſteriis pecunias, quas Romam mittunt, extorquerent, & Legatis, ac Pontificum Nunciis ex illicito concubitu genitos legitimis natalibus reſtituendi jus concederetur, ac Religioſi in Germania ſæcularibus ſuccederent, hi vero viciſſim ab illis adhæreditates nec vocarentur, nec admitterentur, cui malo remedium poni petunt. *Ea propter ſumma prudentia curandum eſſe dicunt, ut deinceps nemo ſe Religioſorum votis vel adſtringat, vel adjiciat, niſi prius ea de re civiles Magiſtratus certiores fecerit, quorum præſentia, & auctoritate Religionem ingredi volentibus, a parentibus & amicis, juxta cujusque fortunam,* ac facultates mediocriter provideri debet, ut habeant, unde commode in monaſteriis vivere poſſint, eo tamen pacto, ut omnibus parentum ſucceſſionibus renuncient.

Poſtremo declarant, *quod ſæculares Imperii Ordines multo plura haberent onera*

Sæcul. XVI A C. 1523.

ra, ne vero brevitatis modum excederent, his contenti essent, ea spe freti, ubi hactenus enumerata fuerint abolita quod & reliqua una corruitura sint. Supplicant vero summo Pontifici, ut enarrata gravamina tollere & emendare dignetur; quod si autem non omnia abrogata fuerint, tum sanctitatem Pontificiam latere nolunt, prædicta gravamina diutius eos neque perferre velle, neque tolerare posse, sed rei ipsius iniquitate & necessitate huc eos adigi, pro eorum captu de aliis commodioribus mediis cogitandi, quibus tandem ab hisce oneribus exonerari, liberari, ac tandem in pristinam libertatem asseri, atque vendicari possint.

§. XXXVI.

Edictum a Principibus Norimbergæ conditum.

Sleidan. in com. l. 3 p. 100

Postquam Principes, atque Imperii Ordines in comitiis Nationis Germanicæ onera in unum libellum contraxerant, mox die sexta Martii, præfixo Cæsaris utut absentis nomine edictum promulgarunt, cui responsum Nuncio Apostolico datum, & Pontificis Breve ad Comitia, necnon ejusdem monita eidem Legato tradita unacum centum istis oneribus adjecerunt. Postea divulgabatur brevi hoc edictum non modo per universam Germaniam, sed ceteras quo-

quoque Provincias, quinimo Romam usque pervenerat, non ſine ſummo Prælatorum ejusmodi reformationem aſpernantium dolore; illis enim ingenua nimis confeſſio diſplicebat, qua Pontifex Romanam Curiam, Clerumque primam mali originem fuiſſe profitebatur.

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

§. XXXVII.

Lutheri annotationes in Edictum.

Quamvis congregati Principes Nuncio fidem dediſſent, curaturos ſe, *ne Lutherus & ſui Sectatores* (usquedum Synodus celebraretur) *aliquid amplius ſcribant, vel typis excudi faciant.* Nihilominus idem hæreticus ſuam conviciandi libidinem continere haud potuit, ſed monita Adriani Papæ ad ſuum Nuncium per totam Germaniam typis vulgata perverſis admodum annotationibus corrupit, ac ea verba, quibus Papa corruptos Cleri mores teſtabatur, perperam in rem ſuam vertit. Nec his contentus Cæſaris quoque edictum, quod Catholici ac Lutherani pro ſuo quisque ſtudio accipiebant, atque interpretabantur, ſuis animadverſionibus conſpurcavit, necnon Principibus hæc perſcribere auſus eſt, *legi hoc edictum non minori cum reverentia, quam animi voluptate, illudque etiam Wittembergenſi Eccleſiæ pro-*

Sleid. l. c. p. 101.

Luther. contra faſcicul. edict. Cæſar. tom. 2.

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

propoſui, verum inſidiis & arte diaboli fieri videtur, ut auctoritas ei derogetur, nam ex prima etiam Nobilitate quidam ſunt, qui eidem morem gerere recuſant, & varias interpretationes affingunt. Hoc itaque ſcripto meo declarare volo, quommodo ego hoc edictum accipio, & confido meam opinem veſtræ voluntati omnino conſonam eſſe.

Dein proſequitur Lutherus, *cum edictum jubeat, quod Evangelium doceatur juxta interpretationes ab Eccleſia receptas, id a plerisque ſic intelligitur, docendum eſſe juxta morem hucusque uſitatum, ex præſcripto Thomæ, Scoti, & aliorum, quos Romani Pontifices approbarunt, ego vero de vetuſtioribus illis id accipio, Hilario, Cypriano, Auguſtino, & horum ſimilibus, ac ne his quidem tantam tribuendam cenſeo auctoritatem, ut non longe præferantur Biblica ſcripta, non dubito, quin & hæc veſtra ſit ſententia, idque argumento eſt, quod nonnulli, qui veram Eccleſiæ emendationem ferre non poſſunt, recuſarint huic edicto ſubſcribere, & ne nunc quidem illud ſuis proponi patiantur: Alterum etiam, ſcilicet ut Epiſcopi deligant homines idoneos, qui concionibus adſint, & leniter admoneant, ſi quid erit, id quidem recte fuit decretum, ſed illi, quibus mandatum eſt, etiamſi vellent, non tamen poſſunt decreto ſatisfacere, eoquod viris doctis careant, & illis utantur, qui præ-*

ter

ter sophistica nil unquam didicerunt. Quod autem interdicunt, ne quid librorum deinceps exeat, nisi prius Viri docti ad eam rem delecti judicium fecerint, non recuso quidem, sed tamen sic illud accipio, ut ad sacræ Scripturæ libros non pertineat, quo minus enim hi prodeant in lucem, non potest prohiberi. Quod autem postremo statutum fuit de Sacerdotibus, qui vel uxores ducunt, vel ordinem suum deserunt, juxta leges Pontificias mulctandis, nimis hoc durum est, nam si pure docendum est Evangelium, ut ipsimet Principes fatentur, jam certe mitiganda est lex illa Pontificia: hinc deploro nostri temporis miseriam ac pertinaciam, quod in hac tam clara Evangelii luce non abrogetur lex illa durissima cælibatus, quæ plurimorum & gravissimorum scelerum occasionem atque caussam præbet, ipsi tamen, qui Pontificia pœna contenti sunt, propter eam moderationem admodum sunt laudandi, illi vero, qui Sacerdotes ob contractum matrimonium vel professionem desertam carcere & vinculis omnique suppliciorum genere exsarnificatos interficiunt, magnopere detestandi.

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

§. XXXVIII.

Lutheri libri ad Senatum, populumque Pragensem.

Præterea Lutherus ad preces quorumdam, qui circa Ministrorum institutionem

Sleidan. comm. l. 4. p. 102. & seq.

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

tionem ejus ſententiam rogabant, ad Pragenſem conventum perſcripſit, atque in libello ad Senatum, populumque directo tradidit, quod doctrinam dijudicandi jus, necnon Miniſtros ſtabiliendi poteſtas Eccleſiæ competeret; Eccleſia autem, ajebat idem, ubique eſt, ubi Evangelium in ſua puritate edocetur; nil enim Epiſcopi, ceterique Præſules aliud ſunt, quam ſtatuæ, & capita ſine cerebro, nullusque eorum, quocunque demum in loco verſetur, præcipue in Germania muneris ſui partes explet. Sub idem tempus alium edidit librum, in quo affirmat, quod hominum dogmata, niſi Evangelicæ puritati plene conſonent, ſequi non oporteat, ac quilibet Chriſtianus doctrinam & Miniſtrorum vocationem dijudicare queat. In proemio alterius ſcripti aſſerit, non ſe adſtipulari iis, qui audacter leges, hominumque traditiones vilipendunt, nec veri Chriſtiani vitam ducunt. Denique eodem tempore ad Valdenſes, qui adhuc in Bohemia & Moravia agebant, libellum Teuthonice ſcripſit, in quo dixit, *circumfertur libellus, quem veſtri Symmiſtæ ad inſtituendos in ſumma Chriſtianismi pueros ediderunt*, & ad me transmiſerunt, *cum vero in eo inter reliquos articulos & ille continetur, quod Chriſti corpus ſub Euchariſtiæ Sacramento non naturaliter*

ter contineatur, neque adorandum sit, hoc dogma vestrum nos Germanos non mediocriter commovit, unde vos rogo, ut huic articulo, de quo vos paulo obscurius differere videmini, justo super hoc libello edito, lucem addatis. Hoc tamen vobis testimonium perhibere volo, quod propius accedatis ad puritatem Evangelii, quam omnes alii, quos cognoverim.

Sæc. XVI. A.C. 1523.

§. XXXIX.

De nova Lutheri Liturgia.

Denique Lutherus novam formam *Missa & Communione* Wittembergensi Ecclesiæ præscripsit. *Hactenus*, inquit, *libellis & sermonibus egi inter populos, ut corda primum ab impiis opinionibus cæremoniarum avocarem, Christianum, & commodum arbitratus me facere, si caussa fierem, ut contereretur abominatio, quam Sathan per hominem peccati in loco sancto statuerat. Quare de formula aliqua pia missam (ut vocant) & communicandi agemus, nulli prorsus præjudicantes, ne aliam amplecti & sequi liceat.* In hac formula Lutherus, *primo* inquit, *Patrum ordinationes, qui unum vel alterum psalmum ante benedictionem panis & vini orasse leguntur, laudabiles fuere, quod* Kyrie eleyson *addiderint, placet: etiam Epistolarum & Evangeliorum lectio necessaria fuit, tum additus*

de Sleid. l. c. p. 103. Cochl. 1523. p. 71 Rayn. n. 58.

Sæcul. XVI A. C. 1523

est introitus ex quodam psalmo decerptus, hymnus ille Angelicus, Gloria in excelsis &c. *item Gradualia*, Alleluja, *Symbolum Nicænum*, Sanctus, Agnus Dei &c. *Quæ omnia*, inquit Lutherus *talia sunt, ut reprehendi non possint, excepto Canone illo lacero, & abominabili ex multorum lacunis collecto: addita fuerunt etiam offertoria, & collectæ, & prosæ &c. quæ omnia reprobo, præter prosas de Natali Domini, & Spiritu Sancto.* Dein rejicit etiam sacrificia pro defunctis, necnon Missas, ut vocant, votivas, cereorum tamen, thurisque usum non reprobat. Præterea præcipit, ut recitato Symbolo, seu explicato dogmate panis & vinum præparentur, interim tamen vino miscere aquam, vel id omittere liberum sit. Prima etiam præfationis verba admittit, vult tamen, ut post illa confestim Institutionis Eucharisticæ verba pronuntientur, eodemque tono, quo oratio Dominica dici solet, recitentur, ac postmodum chorus decantet *Sanctus*, sub quo ad *Benedictus* panis, & calix elevetur, dictaque Oratione Dominica, statim absque alia oratione cantetur *Pax Domini &c.*, His precibus peractis, quæ veluti absolutio est, Sacerdos sibi populoque Eucharistiam administret, interea vero *Agnus Dei &c* intonetur. *Episcopus*, inquit Lutherus, *poterit utramque speciem retine-*

re,

re, eamque ſibimetipſi porrigere, populo autem ſpeciem panis: priusquam ſpeciem vini benedicit, poterit etiam celebrans uti conſueta formula Corpus Domini &c. *& quia in ultimis collectis ferme ſemper mentio fit de Sacrificio, ideo hæ omittendæ ſunt, earumque loco ſubrogari poteſt alia oratio; omiſſo etiam,* Ite Miſſa eſt, *ſemper dicetur* Benedicamus Domino, *Miſſaque finietur per illam benedictionem, quæ vel in uſu eſt, vel per aliam ex ſacris literis depromptam.* Sæcul. XVI. A. C. 1523.

Hæc eſt nova Miſſæ forma, quam Lutherus eo fine excogitaverat, ut commentitiam reformationem ſuam ad ſingula omnino puncta extenderet: Ubi vero Lutherus de præparatione ad communionem neceſſaria differit, *petentes* inquit, *non admittantur, niſi rationem fidei ſuæ reddiderint, & interrogati reſponderint, quid ſit Cœna Domini, quid præſtet, quo uſu illa velint potiri?* Publicis, non tamen occultis criminibus obnoxios a Cœna excludi, *communicaturos autem ſeorſim uno loco ſtare jubet,* & *Confeſſionem privatam nec neceſſariam, nec exigendam, utilem tamen & non contemnendam eſſe ajebat:* necnon cuicunque, an per jejunium & preces ſeſe diſponere velit, liberum relinquebat, interim volebat, ut *utraque ſpecies peteretur & adminiſtraretur*, illi vero, qui nonniſi unicam recipere vo-

Sæc XVI. A.C 1523.

lunt, ab utraque excluderentur. Horas Canonicas etiam in die feriali recitari solitas approbat, Missas vero privatas aboleri, atque in diebus Dominicis populum bis in Ecclesia, mane ad Missam, & absoluto prandio ad Vesperas congregari præcipit, atque matutino tempore in Dominicis Evangelium, vespertino autem epistolam populo explicari, tandemque omnia Sanctorum festa aut abrogari, aut in diem Dominicam transferri jubebat.

§. XL.

Lutheri vindiciæ hac super re.

Slidan. l. 4. p. 103. Bossuet. t. 1. p. 308.

In hujus libelli præfatione ita differit: *Editis libris & pro concione sæpe sum cohortatus homines ad abrogationem Missæ Pontificiæ, propterea vocor seditiosus, sed injuria mihi fit; nec enim unquam docui populum, ut impios cultus auctoritate sua publice aboleret, sed ne Magistratui quidem hoc concessi, nisi forte Ecclesiarum Præfecti pertinaciter defendant errores.* His subjunxit, *quoniam vero horrenda est ista Cœna Domini profanatio sicut doctiores nunc agnoscunt, ideo scriptionem hanc & laborem suscepi, ut populus etiam intelligat, & ut usitata illa sacrificia Missarum, non secus atque Sathanam ipsum defugiant* Postea declamat præprimis contra Canonem, con-

contenditque, *quod sit refertus contumeliis in Deum.* Ita nempe novus hic Pseudo-Apostolus pro summo imperio decidit circa ritum, qui tamen in Ecclesia perpetuo observabatur: Præcipue vero a Missæ sacrificio eliminabat ea, quæ *oblationem* respiciunt; hanc enim, ut Christiano populo abominandam redderet, nequiter mentitus est, quod Ecclesia huic oblationi peccata remittendi vim meritumque ita adscribat, ut nec fides, nec ulla pia motio ad id necessaria sit, quod idem tertia etiam vice repetitur in Confessione Augustana, ut illius Auctores suis Sectatoribus persuadeant, quod Catholici duntaxat pro extinquenda pietate Missam adoptent. Sæcul. XVI. A.C. 1523.

§. XLI.

Alia Lutheri opera hoc anno edita.

Præterea currente hoc anno Lutherus alios adhuc libros edidit, atque inter ceteros præcipue tractatum contra vota Monastica, cui titulum præfixit: *Exempla doctrinæ, & Theologiæ Papisticæ.* In hoc libello irascitur Sanctis Doctoribus, quod hi unanimi suffragio continentiam encomiis celebrarent, atque ob idipsum ei S. Hieronymus omnino contemnendus videtur, tandem ipse

Sæcul. XVI A.C.1523

decidit, quod tam hic Doctor, quam omnes Sancti Patres, qui tot sanctas carnis afflictiones pro inviolatæ castitatis conservatione exercuerunt, longe melius feciſſent, si connubio sese junxissent; postea de voto castitatis differens inquit, *tam parum quis hoc votum adimplere poterit, quam sexum suum exuere*: Si vero cuncta, quæ in pluribus locis circa hoc argumentum Lutherus profert, verba adducere vellem, certe honestas ac pudicas aures offenderem, omnium autem petulantissime scripsit in præfatione, quam præfixit suo in caput septimum primæ epistolæ ad Corinthios commentario, ubi contra Joannem Fabrum Generalem Constantiensis Episcopi Vicarium scripserat.

Hanc Lutheri præfationem confutavit Conradus Kollin ex Ordine FF. Prædicatorum.

§. XLII.

Novem Moniales ex suis monasteriis abductæ.

Perversam Lutheri doctrinam brevi ad usum deduxit Leonardus Coppem Torgaviani oppidi Civis, qui hoc Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio in die Paraſceves Nymicenſe Monaſterium, quarto a Wittemberga lapide diſſitum

dissitum accessit, atque ex eo novem sacras Virgines, haud multum obluctantes, clam abduxit. Hæ abjecto quantocius velo Wittembergam convolabant, ubi Saxonici Electoris sumptibus alebantur. Præcipua has inter erat nominata illa Catharina de Bore, cujusdam Nobilis nulla dignitate clari filia, quam Lutherus biennio post in uxorem sibi selegit, ad tantam delapsus temeritatem, ut etiam harum Virginum raptorem Coppem defendere, ac sacrilegum ejus facinus edita apologia tueri non erubuerit. In hac per enormem prorsus impudentiam harum a fide Christi transfugarum raptum comparavit cum liberatione animarum, quas Christus Dominus passionis suæ meritis redemit.

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Seckendorff. hist. du Lutheran. Cochl. in act. & script. Luth anno 1523 p. 78. & 79.

§. XLIII.

Lutheri tractatus de Fisco communi.

Denique Lutherus, ut instituto Monastico extremam inferret cladem, ac populum in Monachos concitaret, tractatum edicto haud absimilem Theutonice divulgavit, eidemque titulum inscripsit: *De Fisco communi.* In eo cuncta Religiosorum Monasteria aboleri, & Clericorum bona aufferri præcepit, ut

Spond. ann. 1523. n. 11. Cohl. l. c. p. 89

Sæcul XVI A.C. 15-3

in quosdam a se assignatos usus impendantur: Modus autem, & ordo ab eo præscriptus, quo ejusmodi bona distribuantur, erat sequens. Præprimis ex omnibus reditibus Monasteriorum, quæ bona ac prædia possident, nec non ex Episcopatuum, Abbatiarum, verbo, ex omnium Ecclesiasticorum bonorum proventibus ærarium publicum erigi constituit, cunctaque hæc bona in octo partes seu portiones hac ratione distribui voluit, ut una cederet Pastoribus, Verbi Ministris, iisque, qui fisco præessent. Altera utriusque sexus Magistris impendatur, qui filios filiasque literis imbuerent, ac Mendicantium monasteria occuparent. Tertia detur decrepitis, atque infirmis, ad labores ineptis, & ob adversam valetudinem ope indigis. Quartam obtineant Orphani, qui utroque parente orbati, auxiliis inopes sunt. Quinta in pauperes, atque ære alieno gravatos, & solvendi impares distribuatur. Sexta, alienigenis, qui, unde vivant, non habent, obveniat. Septima pro fabrica destinetur, Octava denique, ad horrea ubique erigenda reservetur.

§. XLIV.

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

§. XLIV.

Historia de secta Anabaptistarum.

Sub idem tempus in Germania orta est alia hæresis, quæ ipsa Lutheri secta magis adhuc fanatica funestos admodum tumultus suscitabat. Vocabatur ea Anabaptistarum Hæresis, quod nomen illis tribuebat præcipuus Sectatorum error; nam hi omnes in infantia Baptizatos rursum sacro fonte aspergebant, ac baptismum parvulis collatum damnabant. Controversum est inter Scriptores tempus, quo hæresis ista ortum accepit, nec certum habetur nomen illius, qui primus hujus factionis Auctor extitit. Referunt nonnulli, Bohemos Hussitas jam anno Domini millesimo quingentesimo tertio prima illius fundamenta jecisse, ex adverso contendunt alii, & quidem non abs re, prima hujus Monstri incunabula referenda esse ad tempora Lutheri, ex cujus suggestione, consilio, & opera famosi duo ejusdem Discipuli Thomas Münsterus, Cygneæ, quodam Misnienſis Marchionatus oppido natus, & Nicolaus Storchius de Stolberga in Saxonia novæ seditionis incendium excitarunt, quamvis postea a suo Magistro defecerint, obtendentes, illius doctrinam minus esse

Flor. Ræm. Orig. hæres. l. 3. c. 1. & seq. Spond. ad an. 1523. n. 12 Arnold. Meshar. hist. Anabapt. Sleidan. l. 4. & 5. Chrytr. Sax. l. 11.

Sæc. XVI. A.C 1523.

perfectam. Hi ergo ambo, cum novam sectam conflare molirentur, sanctitatis, ac vitæ asperioris specie, quam egregie mentiebantur, quamplurimos decipiebant, docebantque, nonnisi sequendas esse revelationes, quas in orationis exercitio a Patre Cœlesti recepturi essent. Spernebant etiam leges tum Ecclesiasticas, tum profanas, ipsaque Sacramenta, cultumque Religionis externum flocci habebant. Necminus detestabantur infantum Baptisma, omnesque, quotquot factioni suæ nomen dederant, sacro rursum lavacro tingebant; unde Anabaptistæ dicebantur. Ingens præterea odium in Magistratus, Principes, ac Nobiles suis inspirabant, eisque persuadebant, quod omnia bona singulis existant communia, cunctique homines a natura liberi, nulliusque dominio obnoxii fuerint geniti. Denique felix spondebant imperium, in quo ipsi, extirpatis omnibus impiis, soli regnaturi essent.

§. XLV.

Storchius & Müncerus, Anabaptistarum Coriphæi Wittemberga expulsi.

Præterea, ut Discipulos suos ad recipiendum Spiritum Sanctum aptos red-

redderent, corporis afflictationes & je- Sæcul XVI. A. C. 1523
junia præscribebant, suosque, neglecto omni corporis cultu, nonnisi rudibus pannis indui præcipiebant; præcipue vero summam in loquendo moderationem commendabant; ut vero austerioris vitæ speciem præseferrent, barbam promissius nutriri, ac munditiæ curam negligi jubebant. Hanc doctrinam præprimis Wittembergæ docebant, suisque sermonibus in vulgus spargebant: Verum mox Lutherus eam impugnabat, illiusque Auctores vehementer infectabatur; hic enim Hæresiarcha, cum ab unguiculis in vera fidei doctrina educatus esset, proin agnitæ veritatis vi compulsus, non raro etiam invitus ad saniora dogmata rediret, de Münstero dicere solebat, „ Cum hoc novo Doctore *Bossuet. Variat. tom* 1. *p.* 35. *&* 36. *Spond. ann.* 1523.
„ nullatenus agendum est de summa
„ suæ doctrinæ, nec etiam eidem per-
„ mitti debet, quod suarum opinionum
„ veritatem per sacras literas compro-
„ bet, sed præprimis ab eo sciscitandum,
„ a quo docendi munus ei fuerit im-
„ positum? „ *Si dixerit, a Deo se vocatum, ut doceat, probet hoc miraculis; his enim Deus declarat, si quid extra ordinem fieri velit.* Ast Lutherus forte immemor erat, quod de iisdem omnino articulis ipsus etiam interrogari posset, proin semetipsum proprio suo ore ac doctrina

Secul. XVI. A.C. 1543.

ctrina condemnet. Ceterum Storchius, & Müncerus, cum se undique lacessiri cernerent, Wittemberga excedere compellebantur. Incertum, quo fato obierit Storchius: Müncerus vero Altstadium in Thuringia sese recepit, ubi ingentem Sectatorum numerum sibi conciliavit. Verum Saxoniæ Elector, cujus imperio urbs dicta subjacet, rem edoctus, ac funestos hujus novitatis exitus pertimescens, nascenti malo sese opponere statuit, ne ejusmodi secta in ditionibus suis indies magis invalesceret, nec tamen alia severiori, quam expulsionis pœna Müncerum castigavit; unde is ubique secum fanaticæ doctrinæ suæ abominationem deferebat.

§. XLVI.

Rustici ad bellum & seditionem a Müncero concitati.

Præterea Müncerus ex suis discipulis quamplurimos per universam Germaniam mittebat, qui rusticos ad seditionem, bellumque adversus eorum Dominos movendum incitarent. Imo ipsus in Helvetiam perrexit, inde in Sueviam delatus, totam Germaniam superiorem perverso suo dogmate emensus est, postea Norimberga Muhlhusam Thuringiæ urbem venit, ubi quorumdam, quos

quos ibi habebat, discipulorum opera, publice docendi munus obtinuit; cum vero ibidem Magistratus ei parum faveret, tanta apud populum auctoritate valuit, ut novus Magistratus crearetur, ac ipsemet illius membrum fieret. Hoc impetrato Monachos expulit, monasteria & Abbatias occupavit, ac ferme solus Regiminis curam sibi vindicavit. Populus hunc Fanaticum velut veritatis oraculum excipiebat, cunctaque ab eo dicta exacte in usum deducebat, atque in cæco hoc obsequendi studio potissimum ab illo obfirmabatur ex eo, quod doceret, bona singulis esse communia, cunctosque homines liberos, nulliusque dominio obnoxios existere, imo Dei voluntatem esse, quod non ultra populus Dominorum oppressiones, & Magistratuum injustitias toleraret, cum tempus adventasset, quo Deo placuisset Müncero præcipere, ut exterminatis iis probos homines subrogaret.

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Hist. de Anabap. imprimeé en 1700. a Amst.

§. XLVII.

Zwinglii progressus in urbe Tigurina.

Haud segnius hæresin suam in Helvetia dilatabat Zwinglius, ac Lutheri exemplo animatus in sermonibus suis impugnabat Indulgentias, Sanctorum invo-

Sander. Hæres. 209.

Sæcul. XVI A.C. 1523.

invocationem & Missæ sacrificium, nec minus damnabat Leges Ecclesiasticas, Vota, Cælibatum Clericorum & abstinentiam a carnibus, necdum tamen externum Religionis cultum immutabat. Ceterum majori ac Lutherus moderatione usus, nullatenus convitiis atque injuriis tumultuabatur, sed potius audientium animos verborum vi convincere, eorumque corda lenitate sibi devincire studebat: Postquam igitur sat auctoritatis ac gratiæ apud plebem sibi conciliaverat, totus in eo erat, ut media arriperet, quibus doctrina sua probaretur, ac demum publice reciperetur.

§. XLVIII.

Conventus pro examinanda Zwinglii doctrina Tigurini indictus.

Fleri. Ræm. l. 2 de orig. hæres. cap. 8. & l. 3. c. 3. Sleid. comm. l. 3. sub fin.

Hunc in finem Tigurino Senatui auctor exstitit, ut ineunte hoc anno conventum haberet, in eoque unacum Hugonis Constantiensis Episcopi Deputatis, aliisque Ecclesiasticis de Religionis negotio conferret. Annuere Tigurini, atque ad vigesimam nonam Januarii diem anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo tertio conventum indixerunt, omnesque Pagi sui Ecclesiasticos eidem interesse rogarunt,

runt, simulque Constantiensem Episcopum monuerunt, ut vel ipsus adesset, vel suo nomine quemdam eo legaret, „ ut errores, inquit Senatus, qui Zwinglio imputantur, unice ex sacris literis impugnentur, ac dijudicari possit, „ quænam opiniones firmius Verbo „ Dei insistant, demum vero sub severis pœnis prohiberi valeat, ne quis „ doctrinæ tum approbandæ sese opponat.„ Advenerant Constantiensis Episcopi nomine Joannes Faber ejusdem Vicarius Generalis aliique duo, præter quos magno numero Ecclesiastici confluxerant. Saecul. XVI. A. C. 1523.

Pro solemni Conventus auspicio Senatorum Præses sermonem habuit, in quo exposuit, eo fine Senatum huc esse congregatum, ut sedulo, ambæ doctrinæ discuterentur, & utra earum an Catholica vel Zwingliana acceptanda foret; his subjunxit, quod cuicunque plena concederetur libertas, vi cujus alterutram vel impugnare, vel defendere valeat. Hujus Senatoris verba excepit Fridericus de Anwy, unus ex Constantiensis Episcopi Deputatis, sicque peroravit: missus sum a meo Præsule, ut dissidiorum, quibus Tigurina Ecclesia agitatur, causas explorarem, de cetero palam profiteor, me eo duntaxat fine huc venisse, ut pacem conciliem, ac contro-

Sæcul. XVI. A. C. 1523

controversias amice componam, quinimo rationes utrinque allegandas lubenti animo auscultabo, nilque definiam, donec Episcopus unacum Sacro suo Senatu sententiam pronunciaverit. His dictis Zwinglius e loco suo surgens, hunc in modum effatus est: novissimis hisce temporibus verbi divini lumen non modo obscuratum, sed hominum traditionibus ferme extinctum fuit, suscitavit tamen Dominus quosdam Viros, qui, ut pristinum splendorem Ecclesiæ rederent, Evangelium in tota puritate sua annunciarunt, ex quorum numero haud infimus ego sum; cum vero velut hæreticus traducer, etsi quinto abhinc anno nil omnino nisi Sacris literis suffultus docuerim, ideo Senatum supplex accessi, ut conventum ageret, in quo de doctrina mea rationem reddere possim.

§. XLIX.

Zwinglii doctrina sexaginta septem propositionibus comprehensa.

Sleid. comm. lib. 3. sub fin. p. 91.

Zwinglius doctrinæ suæ summam sexaginta sex propositionibus comprehendit, omnesque ab erroribus immunes, necnon Evangelio consonas jactitabat: Possunt autem illæ haud difficulter ad sequentes articulos revocari. *I. Ecclesia est communio Sanctorum, cujus*

cujus caput nullum est præter Christum. II. Omnes traditiones sunt rejiciendæ. III. Missa non est sacrificium, sed sacrificii in Cruce semel oblati mera commemoratio. IV. Nobis extra hanc vitam intercessore præter Christum nullo opus est. V. Quolibet tempore quolibet cibo vesci licet. VI. Matrimonium ex æquo omnibus convenit, Sacerdotibus & Religiosis non minus quam ceteris. VII. Nonnisi Ecclesia excommunicationem pronuntiare potest (excluso solo Episcopo) & hoc nonnisi ob peccata publica. VIII. Monachorum habitus mera est hypocrisis. IX. Potestas, quam sibi Papa & Episcopi arrogant, non nisi superbia est, nec in sacris literis & doctrina Christi firmamentum habet. X. Cum solus Deus peccata remittere possit, confessio, quæ Sacerdoti fit, non pro remissione peccatorum, sed pro consolatione haberi debet. XI. Opera satisfactoria humanæ sunt traditiones. XII. Quoniam solus Deus animarum statum post mortem cognoscit, ideo Purgatorium non datur, aut saltem Scriptura sacra post hanc vitam nullum novit, si quis tamen pro mortuis apud Deum precatur, non damno. XIII. Scriptura de Charactere, quem postremis his temporibus in Sacramentis excogitarunt, nil novit. XIV. Sacræ literæ alios Presbyteros aut Episcopos non admittunt, quam eos, qui Verbum Dei annuntiant. Denique cun-

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

ctos hoſce articulos abſolvit, dicens, quod paratus ſit ad exponendam ſuam ſententiam, quam de decimis. Eccleſiaſticorum reditibus, de ſtatu parvulorum ſine Baptiſmo decedentium, necnon de confirmatione teneret.

In eodem conventu Joannes Faber palam edixerat, non ſe huc adveniſſe, ut de ritibus a longo tempore in Eccleſia receptis diſputaret, cum hanc in rem expectanda eſſet definitio Concilii, quod ex Norimbergenſis conventus ſententia brevi celebrandum foret. Ad hæc repoſuit Zwinglius, Veritati ac legi divinæ conſuetudo opponi nequit, ac præſens Senatus rem decidere poteſt, nec Synodum præſtolari tenetur, a qua nil proficuum ſperari poterit, eoquod moderni Epiſcopi a veteribus plurimum differant: igitur de rebus hodie controverſis Tigurinus Senatus utpote ex Viris doctis, ac valde idoneis conflatus judicare poteſt, nec minus inter ipſos fideles non pauci tanta ingenii perſpicacia præditi reperiuntur, ut facile diſcernere valeant, quænam pars verum divini Verbi ſenſum aſſequatur. Poſtea Cives adhortabatur, ne diutius in rebus ſalutem concernentibus dubii fluctuarent, ac tandem tertia omnino vice adſtantes ad diſputandum provocabat. Differentem excepit Jacobus Zim-

Zimmermanius, prælegitque Conſtantienſis Epiſcopi edictum, quo usque ad Synodi deciſionem veteres Eccleſiæ uſus abrogari prohibitum erat, ſubjunxit tamen, haud ultra huic præcepto morem eſſe gerendum, ſed potius Verbum Dei ſecluſis hominum traditionibus in ſua integritate prædicandum, proin Filisbachium ab Epiſcopo per nefas fuisſe captum, eoquod doctrinam a Zwinglio minime diverſam in ſuis ſermonibus tradidiſſet: Joannes tamen Faber Epiſcopi ſui innocentiam vindicare conabatur. Sæc. XVI. A.C. 1523.

Reliquum colloquii tempus nonniſi diſceptationibus ultro citroque habitis abſumebatur; nam declamabat Zwinglius contra invocationem Sanctorum. Faber vero ſat prolixum habuit ſermonem de auctoritate Eccleſiæ, ac Conciliorum, a quibus veteres hæretici, ac nuperrime Wicleſus, & Joannes Huſſus, quorum errores reſuſcitarentur, damnati fuiſſent. Poſtea idem addidit, doctrinam de Sanctorum interceſſione jam a primis Eccleſiæ ſæculis ſtabilitam, atque omnium Nationum Religione fuiſſe firmatam, ut proin non ſufficiat, contra hanc obſervationem ſacras paginas allegare, ſed potius attendendum, utrum illæ rite intelligantur, de vero autem earum ſenſu cuilibet judi-

Sæcul. XVI A. C. 1523.

care integrum non esse, nec rem aliter ac coram cujusdam celebris Academiæ Theologis decidendam. Ad hæc sic respondit Zwinglius: Concilia errare possunt, hinc traditiones & consuetudines utut antiquissimæ, nisi sacris literis innixæ sint, aboleri debent, cum vero Scriptura disertis verbis dicat, quod Christus solus sit Mediator, ideo Sanctorum invocatio rejicienda est. Ab hac quæstione transibat ad Sacerdotum Cælibatum, indeque nova exorta est altercatio inter Constantiensis Episcopi Deputatos, & Zwinglium, Leonium de Juda, aliosque Ministros; quælibet enim pars suam opinionem pro aris & focis tueri conabatur.

§. L.

Zwinglii doctrina per Tigurini Senatus edictum recepta.

Sleid. comm. lib. 3. p. 91.

Cum vero in hoc conventu Zwinglii factio numero ac potentia longe prævaleret, Senatus, quamvis ad tanti momenti quæstiones fidem spectantes minime legitimus Judex esset, nihilominus adstantes ad sua redire jussit, totiusque negotii discussionem sibi vendicavit, moxque ex plurimorum suffragio edictum promulgavit, in quo præcepit, ut in toto Tigurino Pago Zwinglii doctri-

na

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

na reciperetur, ipse vero, ut hactenus fecisset, Evangelium, Deique verbum annunciare, ac tradere pergeret. Præterea omnibus ditionis suæ Pastoribus, ac Præconibus mandavit, ne quid posthac aliud gregi suo proponerent, aut Zwinglium, ejusque Sectatores hæresis accusarent. Obluctabatur vehementer huic edicto Joannes Faber, dicebatque, quod plures Zvvinglii propositiones ritibus ad honorem & Dei gloriam stabilitis contrariæ invenirentur, ejusque dogmata D. Pauli doctrinæ omnino opponerentur: ex adverso Zvvinglius, ut dicta sua comprobaret, provocare audebat Fabrum: hic vero reposuit, non equidem cuncta disertis verbis in sacro Codice esse decisa, in cujus rei exemplum nuptias patruum inter & Neptim allegabat, cui respondit Zvvinglius, magis remotos propinquitatis gradus in sacris literis prohiberi, proin & illum in eis comprehendi. His disputatio finem accepit.

§. LI.

Alter Tigurini Senatus conventus.

Nullam prorsus mentionem edictum fecerat de externo Religionis cultu; cum vero ille nec cum Zvvinglii doctrina *Sleidan. l. 4. p. 105. Cochlæus*

Sæcul. XVI. A C 523

doctrina concordari, nec absque auctoritate aboleri posset, ideo Senatus, urgente Zwinglio alium indixit conventum hoc anno ad finem Octobris celebrandum, in quo agitaretur, quid hac in re decernere expediret: ut autem Conventus confluentium numero celebrior esset, Tigurini Senatores præter Constantiensem, Curiensem & Basileensem Episcopos, duodecim Helvetiorum Pagos, necnon Basileensem Universitatem adesse rogarunt.

§. LII.

Colloquium primum de Ecclesia, & S. Imaginibus.

Igitur præstituta die, quæ erat feria secunda, ante Festum SS. Apostolorum Simonis & Judæ Tiguri conventus celebratur, atque ad disputationis, quæ tertium omnino diem tenuit, exitum probe dijudicandum a Senatu nominantur Vadianus, Hoffmanus, & Capplerus. In primo colloquio agebatur de Ecclesia, quam Zwinglius in duplici sensu accipi affirmabat; nam primo omnem verorum Fidelium, quorum Christus Dominus est Caput, cœtum, & secundo particularem in quodam loco fidelium societatem per eum intelligi ajebat, & addebat, quod in nullo sensu Car-

Cardinalium, & Episcoporum cœtus esse possit Ecclesia. Post hæc proferebat non sine magno contemptu Pontificis Decretum, ac Cæsaris edictum, dicebatque, ex S. Literis probandum esse, quod Zwinglii doctrina foret erronea, dein transiit ad articulum de S. Imaginibus, earumque cultum impugnavit ex veteris, novique Testamenti textibus. Ast Judicum unus mox opposuit, his testimoniis nonnisi falsorum Numinum simulacra prohiberi; ceterum a Moyse æneum serpentem fuisse erectum, necnon fœderis arcam Cherubinis ornatam: mox alius pronunciavit, sacras Icones rudi populo esse relinquendas, edocendum tamen illum, qua ratione eas honorari, cultumque ad Deum referri oporteret; præceptum vero: *Non facies tibi sculptile*, ajebat respicere Judæos, gentem ad idololatriam sat proclivem, ut proin illud nostra ætate haud ultra vim legis obtineret; ast Zwinglius pervicaciter propugnabat, S. Imagines omnino abolendas, cum præceptum sit universale, ac serpentis & Cherubinorum simulacra, quæ erant super arcam posita, a mandato tantum fuissent exempta, tales autem exceptiones esse in Regulam trahendas negabat. Nec his contentus, imagines, etsi nullo cultu honorentur, asservari tamen minime per- Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Sæcul. XVI. A C 1523. mittebat, constanter affirmans, eas penitus a divina lege proscribi; præterea Sanctorum cultum impugnabat, ac demum hujus colloquii sententia eo ibat, ut S. Imagines everterentur.

§. LIII.

Colloquium II. de Missa.

Agitabatur in altero colloquio quæstio de Missa, quam Zwinglius nullo pacto sacrificium, sed nonnisi nudam sacrificii, quod Christus Dominus in ara Crucis obtulit, commemorationem esse voluit. Ast adversus tam impium dogma insurrexit Vadianus, atque ex Malachia Propheta ostendit, Missam verum esse Sacrificium; hancque in rem adduxit id, quod Christus sit verus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, atque ab universa & antiqua Ecclesia unanimi consensu agnosceretur realis præsentia Corporis & Sanguinis Domini in altari, eoque Crucis sacrificium repræsentaretur. Vadiani ecquidem argumenta refellere conabantur Zwinglius & Leonius de Juda, ast nihil promptum illis erat, quod ei responderent, succurrebat tamen unus ex adstantibus, qui perinde acsi jam satis superque fuisset probatum, quod Missa non sit sacrificium pro vivis & mortuis offeren-

ferendum, dixit, hoc ritu tantum exhiberi signum, & sigillum Christianæ Fidei, & unice Christi Domini verba esse adhibenda, nihilque aliud addendum; necnon omnes Missas in lingua vulgari celebrandas, atque in illis verbum Dei esse annuntiandum, & assistentes sub duplici specie communicandos. Huic sententiæ Zwinglius annuere videbatur, quamvis cantum, & ceremonias abrogari vehementer cuperet; attamen nondum ad hoc nactus erat temporis opportunitatem. Dein scisitabantur ab eo, an in pane fermentato, vel azymo sacrificium fieri oporteret, quibus respondit, quod res hæc cujuslibet arbitrio relinqueretur, dummodo nimis religiose formæ verbis non insisteretur: denique decidit Zwinglius, vinum aqua non esse permiscendum, nec requiri, ut jejuni Synaxin reciperent. Sæcul. XVI. A.C. 1523.

§. LIV.

Aliud Tigurini Senatus edictum.

Tandem finito colloquio tres præfati Judices hanc in sententiam abierunt: „ Cum Missæ atque imaginum abusus „ sat manifeste fuerint demonstrati, nos „ vero hac super re decisivam senten„ tiam pronunciare nolimus, ideo to-

Sæcul. XVI A.C. 1523.

„ tum negotium ad Senatum remitti-
„ mus, ut de modo, quo absque po-
„ puli offenſione imagines & Miſſa ab-
„ oleri valeant, deliberet, ac deſuper
„ ultimum judicium proferat.„ Ergo Senatus promulgavit edictum, quo cunctis Sacerdotibus & Religioſis prohibitum, ne ſolemnes impoſterum ſupplicationes inſtituant, nec ſacram in illis Euchariſtiam circumferant, neque illam in eorum Eccleſiis publicæ adorationi exponant. Præterea Sanctorum Reliquias, & organa aufferebant, & campanas pulſari necnon ramos palmarum, ſal, aquam, vel cereos ſolemni benedictione ſacro ritui dedicare, aut extremam unctionem infirmis adminiſtrare prohibuerunt.

§. LV.

Zwinglii opera ad hæreſis ſuæ defenſionem conſcripta.

Fervente harum novitatum tumultu Zwinglius plura edidit opuſcula, quibus doctrinam ſuam tueri conabatur, atque inter cetera præcipue ſcripſit prolixam explicationem ſexaginta ſeptem ſuarum propoſitionum, quas Tigurino Conventui porrexit. Poſtea in lucem edidit ſermonem ad omnes Helvetiorum Tribus directam, qua eas hortabatur, ne ex Sacerdotum connubiis offendantur,

tur, nec doctrinæ suæ progressibus sese opponant: cum vero Constantiensis Episcopus Senatum Tigurinum datis literis monuisset, ut novæ ejusmodi sectæ resisteret, nec sua auctoritate Sacerdotum contumaciam fulciret, minus vero antiquos Ecclesiæ usus aboleri permitteret, hanc Episcopi adhortationem Zwinglius edito libello elusit, quem die vigesima tertia Augusti Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo secundo publici juris fecit. Sub idem quoque tempus suo, ac quorumdam aliorum nomine eidem Episcopo supplicem porrexit libellum, in quo eum rogare audebat, ne Evangelii prædicationem impediret, aut saltem Sacerdotum conjugia toleraret. Insuper alios composuit libros de certitudine & claritate verbi divini, de impedimento Matrimonii ex affinitate spirituali exorto, necnon contra Missæ canonem, quo libro populum ad permittendam Sacrificii abolitionem inducere conabatur. Scripsit denique contra Hieronymum Emserum, præter Epistolam de gratia Christi. Cuncta hæc opuscula vario tempore usque ad annum millesimum quingentesimum vigesimum quintum edita fuere.

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

§. LVI.

Sæcul. XVI. A.C 1523.

§. LVI.

Fridericus Christierno II. ex Dania pulso Rex subrogatus.

Joan. Mag. hist. Suec. l. 24. Chytræus Sax. l. 9.

Cum in Dania Hafniæ cives truculentam, ac ferocem Christierni II. Regis sui indolem haud parum pertimescerent, sumptis in eum armis hoc anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio Fridericum Holsatiæ Ducem ejus Patruum evocarunt, illumque Regem suum proclamarunt. Christiernus, quamvis alioquin sæviſſimus, tanta tamen torpebat ignavia, tamque insano ob Friderici adventum terrore percellebatur, ut neglecto defensionis conatu, nonnisi turpi fuga mali periculum, quod haud eluctandum credebat, declinare intentus esset: quapropter cuncta, quæ magis pretiosa in sua Regia habebat, raptim navigiis imponi jussit, ac Gronemburgum contendit, ubi Regni ærarium aperuit, extractasque inde pecunias cuidam navi intulit: imo nec his contentus, cum Lutheri sectæ nomen dediſſet, nulla Religionis habita ratione ex Hafniæ templis pretiosiora quæque ornamenta abstulit, demum vero die ultima Aprilis ejusdem anni navem conscendit; ast ad Norvegiæ oram naufragium passus, amissis omnibus navigiis,

giis, nonnisi unicam cymbam reliquam habebat, qua usus unacum Regina Caroli V. Sorore, uno Filio, binisque Filiabus rursum mari se commisit, tandemque ventorum vi ad Veram Zeelandiæ portum, Cæsaris Sororii sui Imperio subjectum delatus est. Sæcul. XVI. A.C. 1523.

§. LVII.
Lutheri Secta a Friderico in Daniam introducta.

Fridericus, cum jam in Lutheri hæresin lapsus esset, primo subditis suis Religionis mutandæ, ac demum Lutheranis Ministris erroneam hujus Hæresiarchæ doctrinam prædicandi potestatem fecit, eo fine, ut hæresis subsidio novum Imperium tranquille possideret, atque in ejus possessione sese firmaret: Ubi vero existimabat, quod aut nullum sibi ab inconstantia populi periculum immineret, aut saltem ad vim repellendam sibi sat virium, ac potestatis esset, subditos suos ad amplectendam novam reformationem omnino cogebat, ut in decursu Historiæ nostræ perspiciemus. *Chytræus Sax. l. 10.*

§. LVIII.
Lutheri hæresis a Gustavo Ericsone Suecorum Rege in suas ditiones introducta.

Friderici exemplum Gustavus quoque Eri-

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Ericson paucis abhinc mensibus in Regem salutatus imitabatur, ac Lutheri hæresin in suas etiam ditiones introducebat. Is olim a Christierno II. captivus in Daniam abducebatur, sed fuga elapsus, operam suam bubulcis, seu pecuariis negotiatoribus locabat, ac Lubecam usque perveniens plurium amicitiam sibi conciliabat, qui eum in Daniæ solium evehere moliebantur. Horum factioni suffragabatur ipse Magistratus, ac civium nobilissimi illorum consilium ratum habebant, nec contenti erant, ut sua Gustavo studia addicerent, hinc eidem etiam navigium bene instructum, quo Gothoburgum tuto veheretur suppeditabant, ac splendidum prorsus habitum dono dabant, detritam autem, qua Lubecam veniens indutus erat, vestem retinebant, ut illam in tabulario Prætorii asservarent. Gustavus in Sueciam appulsus, in Dalecarliæ Provincia seditionem concitavit, collectisque copiis Christiernum auffugere compulit, brevique tantos armorum progressus fecit, ut Stockolmia aliisque urbibus Danorum præsidio munitis feliciter recuperatis, Upsalensem Archiepiscopum ingenti clade afficeret, seque hoc anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo tertio Sueciæ Regem proclamari faceret. Re tam prospere gesta, hoc

Chytr. l. cit. l. 9. & 20.

Regnum,

Regnum, ubi prius non nisi eligentium suffragiis obtinebatur, Rex jam hæreditario jure Regum posteris asseruit. Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Idem Gustavus Lutheranam hæresin in suas ditiones nullo ferme negotio invexit; quippe Olaus Petri ex Wittembergensi Universitate, ubi studiis operam navabat, atque hæresim imbiberat, reversus primo Stregnisiam, natale solum suum, erroribus Lutheri infecit, qui paulo post latius serpebant, plurimum favente præsenti temporis, rerumque vicissitudine; cum enim Gustavus ad firmandum solium nuper occupatum ferme totum exhausisset ærarium, nonnulli eidem pollicebantur, quod Ecclesiarum, ac Monasteriorum bona, si Lutheri doctrinam amplecteretur, salva Religione, diripere posset. Tam amplæ prædæ dulcedo, quæ semper Principes magis proprii quæstus, quam fidei studiosos vehementer allicere solet, immodice delinivit Gustavi animum, qui ad incitas redactus, aliunde quamcunque demum Religionem flocci habebat. Propinabat Regi ejusmodi promissa Olaus, ministerio usus cujusdam Viri, qui Gustavo a secretis, atque intimis consiliis erat, ipsusque a quodam Archidiacono Laurentio Andrea, viro gloriæ & laudis improbe cupido seductus fuerat. *Joan. Mag. de vita Pont. Upsal p. 110. Chytræus Sax. l. 1. Florim. Ræm. l. 4. c. 15. Rayn. an. 1523. n. 79.*

Hujus

Sæcul. XVI A. C. 1523.

Hujus igitur consilio Gustavus Rex facile persuasus, præprimis Lutheri doctrinam publice prædicari permisit, suis tamen subditis conscientiæ libertatem reliquit.

§. LIX.

Legatus a Papa in Sueciam missus.

Spond. hoc anno n. 17.

Re comperta Adrianus VI. ad Regem ablegabat Joannem Magnum natione Suecum, Virum meritorum gloria longe celeberrimum, qui Legati Apostolici munere auctus Gustavum eo induceret, ne novæ hæresis præsidium in se susciperet. Excepit Rex summo honore Legatum, concepta spe, Joannem Magnum Regis voluntati facile obtemperaturum, nulloque negotio ad suas partes pertractum iri. Hanc ob rem totus in eo erat, ut Legatus Upsalensem Archiepiscopatum in locum Gustavi Trolli inde deturbati acceptaret; persuadebat enim sibi Rex, hunc Præsulem tanta benevolentia sopitum mox consensurum, ut celebraretur Synodus, in qua Lutheri doctrina susciperetur. Ast præclarus ille vir flecti nescius Romam, unde venerat, reversus est, ubi ob amittendæ Religionis periculum, quod patriæ suæ impendere cernebat, tanto est correptus dolore, ut brevi animam efflaret.

Rex

Rex ſpe ſua deluſus, primo Upſaliæ, poſtea Aroſiæ Procerum comitia egit, eo fine, ut ſubditis ſuis exponeret, quod ſibi firmum fixumque ſit, ſuos, ut ajebat, ab Eccleſiæ Romanæ tyrannide, ac ſuperſtitionibus liberare, ſi vero ſuæ voluntati cedere renuerent, regnum ſe relicturum ajebat. Prævalebant ibi ſuffragia Lutheranorum, cum Catholicis numero longe ſuperiores eſſent: Ergo decernitur: I. Cuncta Eccleſiæ bona Regis ærario addicantur. II. Epiſcopis ac Paſtoribus nonniſi congrua ſuſtentatio pro ſtatus ſui conditione relinquatur; III. Quivis libere repetat ea, quæ a Majoribus ſuis olim Eccleſiis ac Monaſteriis dono data fuere; IV. Omnes Eccleſiæ ac Monaſteria (exceptis duntaxat Cathedralibus, & Parochialibus) evertantur; V. Eccleſiaſticis nubendi facultas concedatur; VI. Officialium jurisdictio abrogetur, omnesque cauſſæ ad Laicorum tribunalia revocentur; VII. Eccleſiaſtici in hoſtes, vel debitores ſuos anathema non dicant, nec Epiſcopi Sacerdotum, qui ex eorum Diæceſibus decedunt, hæreditates ſibi vendicent; VIII. Plura Clericorum privilegia revocentur. Poſt hæc querebantur Epiſcoporum nonnulli, quod Olaus juxta Theutonicum Lutheri exemplar novi Teſtamenti verſionem in Suecico idiomate

Sæcul. XVI. A.C.1523.

Sæcul. XVI. A C. 1523.

edidisset, ast illis reposuit Rex, quod cum eodem Olao in arenam descenderent, ac de ejus doctrina disputarent; Verum id recusabant Episcopi, hosti tamen suo quemdam Theologum, nomine *Gallum*, opponebant. Diu multumque disceptatum de quæstionibus utrinque controversis, ac denique Rex Upsalensem Archiepiscopum rogabat, ut novi Testamenti versionem Olaoanæ oppositam edi curaret: Obstitit tamen vehementer huic consilio Lincopinensis Episcopus. Talis fuit præsentis colloquii exitus.

§. LX.

Hæretici in Francia & Belgio castigati.

Sleidan. in comm. l. 4. p. 100. & 105. Surius in comm. ann. 1523. Raynald hoc ann. n. 116.

Interea Lutherana hæresis non modo septentrionales plagas infecit, sed ad ipsas usque Gallias ac Belgium sese extendit: nam hoc anno die prima Julii duo Fratres Augustiniani, quos Sleidanus Joannem, & Henricum appellat, Bruxellis comprehensi, ad carceres ducebantur, qui primo coram hæreticæ pravitatis Inquisitore de eorum fide interrogati respondebant, quod ea crederent, quæ in veteri novaque lege, necnon in Symbolo Apostolorum continentur; in his enim totam fidei summam comprehendi ajebant: cum vero ab eis

que-

quereretur, an non item ea, quæ in Conciliorum decretis, ac Sanctorum Patrum teſtimoniis comprobata eſſent, crederent, reponebant a ſe & illis, dummodo ſacris literis conſona forent, fidem adhiberi: ubi autem Judex ab illis ſciſcitabatur, num crederent, læthalis culpæ reatum incurri ab eis, qui ſanctorum Patrum, ac ſummorum Pontificum decreta violant? ſolum eos, qui Dei præcepta transgrederentur, gravis culpæ reos eſſe inquiebant. Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Cum igitur hæc opinio fidei articulos, ac noxarum cauſſas reſtringeret, proin hosce Fratres Lutheri ſecta inquinatos ſat manifeſte proderet, ad palinodiam urgebantur. Aſt recuſabant illi, unde hanc ſuam pertinaciam vitæ ſuæ diſpendio mulctabant; quippe pro more exauctorati, flammis demum exuſti ſunt.

§. LXI.

Joannes Clericus fuſtigationis pœna Meldis caſtigatus.

Eodem anno Joannes Clericus, ſui opificii carminator, ac primus ex Miniſtris, quos hi hæretici in Galliis habebant, Meldis, unde ortus erat, comprehenſus eſt. Is quondam ad populum dicens, eo temeritatis eſt progreſſus, ut Papam Antichriſtum convitiaretur: *Spond. l. c. num.* 15.

Sæcul. XVI A.C. 1523.

ut ergo debitas hujus insolentiæ pœnas daret, virgis cæsus, & (ut nonnulli referunt) lilio quoque candenti carnificis manu ad frontem inustus, ac Regno expulsus est: cum vero nec hoc supplicio affectus saperet, sed Metas sese recipiens, errores suos, ac fanatica prorsus dogmata divulgaret, ibidem propter eversas sacras imagines ad rogum damnatus periit. Is nempe est egregius ille Lutheranæ sectæ Heros, *Beza in Icon.* quem Theodorus Beza primum Metensis ac Meldensis Ecclesiæ instauratorem deprædicat.

§. LXII.

Alia hæresis apud Longobardos exorta.

Spond. l. c. num. 16. Labb. Conc. coll. tom. 14. p. 410. Bullar. Adrian. VI. t. 1. Const. 2. Raynald. l. c. n. 88.

Exorta est præterea in Longobardia hoc item anno alia fanaticorum secta, quæ aliquamdiu hujus Provinciæ tranquillitatem turbabat. I. Negabant illi sacri Baptismatis effectus; II. Sacram Crucem pedibus conculcabant; III. Sacramentis Ecclesiæ, ac præcipue Eucharistia abutebantur; IV. Diabolum in suum Dominum atque Magistrum assumebant, eique obedientiam ac reverentiam exhibebant. V. Accusabantur, quod jumenta, ac fructus terræ sortilegiis læderent. Ut ergo tantis malis remedium poneret Adrianus Papa,

pa, hæreticæ pravitatis Inquisitori Comensi datis ad eum vigesima Julii literis demandavit, ut in tam abominabilis doctrinæ Auctores ac Sectatores exacte inquireret. Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Hanc sectam jam ab aliquo tempore in Longobardia invaluisse, ex eadem summi Pontificis constitutione deprehendimus; inquit enim, quod Julius II. Papa idem negotium dedisset Georgio de Casali Ordinis Fratrum Prædicatorum Inquisitori in civitate Cremonensi; qui tamen optato muneris sui successu fuisset frustratus, *eoquod nonnulli tam Clerici, quam sæculares eundem populo odiosum reddidissent.*

§. LXIII.

Lutherus, ejusque libri in Polonia damnati.

Pari Religionis studio animatus Sigismundus Poloniæ Rex die quinta Septembris contra Lutheri hæresin edictum promulgavit, quo ejus libros sub pœna capitis legi, aut retineri prohibuit. Nec minus ejusdem Regis jussu celebrata est omnium e Regno suo Episcoporum Synodus, in qua tam idem edictum, quam Constitutiones Pontificiæ contra eandem sectam editæ, die sexta Octobris confirmatæ sunt. *Bzovius an. 1523. Raynald l. c. n. 80. & seq.*

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

§. LXIV.

Benno ab Adriano in Sanctorum album relatus.

Surius p. 242. Baron in not ad Martyr. p. 254 Bolland fol. 188 Baillet die 26. Jun.

Hoc item anno Adrianus Papa S. Bennonem, & Antoninum Florentiæ Archiepiscopum solemni ritu in Sanctorum numerum adscripsit. Horum primus prope Goslariam Anno Domini millesimo decimo primam lucem aspexit: Hildesheimii vero, quod inferioris Saxoniæ oppidum est, in Brunsvicensi Ducatu situm, a Bigerio Monasterii ad S. Michaelem Priore non modo literis, sed maxime virtutum studio imbuebatur, sub auspiciis Bernardi Hildesheimensis Episcopi, quem Benno sanguine contingebat; cum autem decimum octavum ætatis annum ageret, Monachorum familiæ adscriptus sacri Codicis sanctorumque Patrum studio sedulam adeo operam navavit, ut Doctoris nomine honorari mereretur, dein triginta annos natus sacro Presbyteratus ordine initiabatur, id jubente Adalberto Abbate, quo fatis functo Monachi Bennonem subrogare meditabantur, ac plurimorum suffragia jamjam in eum conspirabant, cum vero eorum alii Sigeberto suffragarentur, Benno Competitori suo lubens cessit, contentus, ut in solitudine, ac crebris Reli-

Religioſarum virtutum exercitiis Deo deſervire poſſet. Nihilominus in Goslarienſis Eccleſiæ Canonicum nominabatur, ubi vitæ Monaſticæ, quam profitebatur, exercitiis conſtantem dicabat operam. Poſtea inter Canonicos Theologus ac Magiſter electus, ſeptemdecim omnino annos hoc munere fungebatur, demum vero ab Henrico IV. Imperatore Miſniæ, a qua urbe Miſnienſis Provincia in ſuperiori Saxonia nomen trahit, ad Archiepiſcopatum nominabatur, & quamvis collato honori diu obluctaretur, tandem ab Archiepiſcopo Magdeburgenſi inauguratus eſt, ubi poſt hæc omnes ſuos labores atque vigilias Eccleſiæ ſuæ bono penitus ſacrabat, cunctasque boni Paſtoris partes explebat. Turbabatur quidem pia ejusdem tranquilitas bellorum tumultibus, quos in Eccleſia, atque Imperio Henricus IV. ſuſcitabat, Benno tamen in gratiam Gregorii VII. redire anhellabat, eo duntaxat fine, ut Eccleſiam ſuam ſacræ Sedis obſequio conſtanter addictam ſervaret; hinc ipſus etiam Romam contendit, præſensque adfuit Synodo, in qua Cæſar Sacrorum uſu interdicebatur, qua de re multis dirisque vexationibus premebatur. Tandem plus Sanctitatis ſuæ meritis, quam annorum numero gravis die decima ſexta Junii

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Sæcul. XVI. A. C. 1523

Anno salutis millesimo centesimo sexto nonaginta sex annos natus, sancto fine quievit, postquam quadraginta omnino annis Episcopatum suum rexisset.

Hujus Viri Sanctitatem Deus crebris ad ejus tumulum patratis miraculis testatam fecit, quibus rite probatis de ejus Canonisatione agebatur. Corpus ejus, quod in quodam Ecclesiæ angulo absque apparatu sepultum jacebat, sub annum Domini millesimum ducentesimum septuagesimum ab Vitigone Episcopo exhumatum solemni ritu translatum est, ejusque Reliquiæ in splendida tumba in medio Ecclesiæ erecta repositæ. Equidem jam tum de illius Apotheosi tractari cæperat, totum tamen negotium usque ad Alexandri VI. Pontificatum differebatur, qui quosdam nominabat Cardinales, ut in Bennonis vitam, & miracula inquirerent; rursus vero hæc acta intercipiebantur tum Pontificis tum Deputatorum obitu; tandem autem ultima manus operi admovebatur sub Adriano VI. qui Bennonem Cœlitum numero adscripsit, ejusdemque solemnia celebravit hoc anno die trigesimo primo Maji, in quem SS. Triadis Dominica inciderat.

§. LXV.

§. LXV.

Sæcul. XVI. A C. 1523.

Lutheri libellus adversus hanc Canonisationem.

Hujus festivitatis fama tam vehementi ira invidiaque Lutheri animum accendit, ut frenetico similis in rabiem erumperet, ac delirii vi correptus impium prorsus libellum teutonice conscriptum ederet, cui hunc præfixit titulum: *Adversus novum idolum, & antiquum diabolum, qui Missiæ exaltandus est.* Ad cunctas has Lutheri calumnias itidem Germano idiomate respondit Hieronymus Emserus, qui vitam B. Bennonis longe antea elegantissime scripsit, priusquam hujus Hæresiarchæ nomen fuisset Orbi cognitum. Ab eo tempore cultus S. Bennonis in omnibus Germaniæ Ecclesiis publice celebratur, ejusque dies festus decima sexta Junii assignatur.

Cochlæus in actis, & scriptis Lutheri an an. 1524.

§. LXVI.

S. Antonini Canonisatio.

Sub idem tempus Adrianus acta de Antonino Florentinorum Archiepisco-po Sanctorum Canoni adscribendo instituta prosequebatur, totumque negotium, quod a Leone X. cæptum erat, feliciter absolvebat, publici tamen cultus

Bolland. ad 2. Maji p. 357. & in append. p. 767.

Secul. XVI. A. C. 1523

tus diploma nonnisi a Clemente VII. qui Adriano successit, die sexta Setembris promulgatum est.

§. LXVII.

Indulta Carolo V. ab Adriano concessa.

Adrianus, cum Carolum V. Cæsarem paterno prorsus affectu prosequeretur, nihil non agebat, ut ejusdem auctoritatem novis favorum incrementis extolleret; quocirca diplomate dato Cæsari, cunctisque Hispaniæ Regibus ejus Successoribus eligendi, atque ad quoscunque Regni Episcopatus nominandi potestatem fecerat, cum idem Galliarum Regibus Leo X. antea concesserat. Idem etiam alio diplomate die vigesima quarta (*) Septembris concesso indulsit, ut

(*) *Circa diem diplomati adscriptam hunc in modum differit Antonius Pagius in Breviario gestorum Pontif. Romanorum ad hunc annum num. VIII.* Scire ex variis Scriptoribus accurratis editi diplomatis annum, & diem peroptabam, sed hujus vel nusquam facta mentio, vel qui commemorant, annum & diem silent: hunc unum reperi Continuatorem scilicet Historiæ Ecclesiast. Abbatis Fleury, qui turpiter hallucinatur, dum diem assignat vigesimam quartam

ut Calatravæ, aliorumque militarium Ordinum, qui in Hiſpaniis ſtabiliti ſunt, præfecturæ deinceps Caſtellæ Regibus perpetuo jure attributæ manerent, cum tamen eæ ab aliis Pontificibus nonniſi ad tempus Regibus Caſtellanis traditæ fuiſſent. Eadem Conſtitutione Pontifex ſupremi Magiſtri dignitatem, quæ prius ſuffragantium conſenſu conferebatur, hæreditariam reddidit. Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Sub idem tempus Carolus Imperator in Hiſpania nuncium accepit, ſuo nomine a Geſſenſi Duce fœdus cum Pontifice fuiſſe initum, vi cujus per mutuam armorum ſocietatem Italiæ libertas redderetur, ac Galli inde expellerentur, ſimulque in Germania bellum in Lutheranos moveri poſſet. Sanciebatur hoc fœdus, cunctis, qui aderant, Cardinalibus ad id ſtrenue operam ſuam navantibus; illis enim Papa negotium dabat, ut plures Principes, ac præcipue Venetorum Rempublicam ad hoc bellum incitarent, quod tamen vix plene percipi poterit, niſi rem ab exordio magis repetamus.

§. LXVIII.

tam Septembris anni 1523. jam tum, ipſo fatente §. XCIV. e vivis ſublatus fuerat Adrianus. Ex his conjectura auguror Adriani Diploma datum fuiſſe die quarta Maji anni 1523.

Secul. XVI. A.C.1523.

§. LXVIII.

Papæ consilium de pace vel induciis inter Principes Christianos conciliandis.

Cum Rhodiorum Insulæ expugnatio quodammodo Adriano ab aliquibus imputaretur, ex(*)Sedis Apostolicæ honore fore arbitrabatur, ut culpam repararet: ideo hanc ob rem, atque aliunde Pontificatum suum illustriorem reddendi cupidine stimulatus nihil non agebat, ut Christiani Principes pacem aut saltem inducias inter se inirent, & Turcas junctis viribus opprimerent. Hunc in finem ad Cæsarem, Franciæ, & Angliæ Reges Legatos suos decrevit, qui eos ad mutuam concordiam inducerent. Verum id (inquit modernus quidam Scriptor) erat opus summi Pontificis vires excedens, qui quidem Vir apprime probus, rebus tamen gerendis, animisque conciliandis minus idoneus, ac quamvis optima foveret consilia, partium tamen studio plus æquo addictus erat, proin Galliarum Rex parum fiduciæ in ejus integritate reponere poterat. Nihilominus Adrianus, cum a Julii II. & Leonis X. Prædecessorum suorum indole multum alienus esset, adeo genio suo Principes cedere non affectabat, ut etiam

Daniel. hist. de France tom 5. p 492. & tom 8. dern. edit. 1719. p. 496.

(*) Vide fol. 248.

etiam eorum consiliis, ignarus licet, deserviret; quapropter ubi communis omnium Pater esse debuisset, brevi partium studio abreptus aperte Gallis adversabatur. Sæcul. XVI. A.C. 1523.

§. LXIX.

Soderinus Cardinalis Papæ jussu comprehensus.

Haud obscure suum in Gallos odium prodebat Adrianus, dum Cardinalem Soderinum natione Florentinum durius habebat, eoquod hic, ut Gallis ad invadendum Siciliæ Regnum viam pararet, clandestina cum Siculis consilia foviisset, datisque literis Santonensem Episcopum instigasset, ut Franciæ Regem de opportunis Siciliam occupandi mediis edoceret; ast nuncius proditorias literas deferens, cum interceptus Hispaniæ Ministris traderetur, tormentorum vi cunctos conspirationis conscios prodidit; unde Soderinus Cardinalis de perduellione convictus Pontificis jussu in arcem S. Angeli conjectus est. *Petr. de Angler. ep. 781. Guicc. l. 15.*

§. LXX.

Fœderatorum exercitus pecuniis destitutus, sed a Mediolanensibus adjutus.

Detecta hac conjuratione ferme eadem

Sæcul. XVI. A.C.1523.

dem Hiſpanis acceſſit felicitas, quam fuit ipſa Siciliæ conſervatio; inde enim Pontificem ſuo fœderi adjungendi propitiam nacti erant occaſionem, cujus acceſſu eorum Societas numero atque auctoritate plurimum augebatur, præcipue, ubi paulo ante ipſi quoque Veneti ſeſe palam Gallorum hoſtes profitebantur. Nihilominus Rex Chriſtianiſſimus Mediolanenſem Ducatum recuperaturus, Bonnivetum Admiralem cum recenti militia eo decrevit, qua re comperta Hiſpani haud parum turbabantur, eo vel maxime, quod ære militari carerent, brevi tamen pecunias Franciſci Sfortiæ nomine mutuo datas accipiebant; quippe cives Mediolanenſes vaſis convivalibus argenteis, gemmisque oppignoratis centum aureorum millia Duci ſuo ſuppeditabant, quæ ſumma mox fœderatorum copiis dabatur, ea lege, ut pecunias adhucdum reſiduas haud ultra exigerent, ac totius proximi belli ſtipendia mererentur. Hanc conditionem lubenter acceptabant fœderati, necdum tamen eorum Exercitus Gallorum copiis, quas ad quinquaginta armatorum millia aſcendere dicebant, reſiſtendo par erat, atque ipſe Columna Fœderatorum Dux de ſuorum ſalute actum fore proſpiciebat, ſi tum urgente

Guicc. l. c.

rerum

rerum neceſſitate prælii diſcrimen cum Gallis, Venetisque experiri cogeretur. Sæcul. XVI. A.C. 1523.

§. LXXI.

Fœderatorum molimina ad Venetos a Gallorum ſtudiis avocandos.

In his rerum anguſtiis nil opportunius accidebat, quam ut Veneti impedirentur, ne fœdus, cujus finiendi tempus, ad quod initum erat, prope adventabat, rurſum cum Gallis innovarent. Nec huic conſilio ſpes magna deerat; nunciatum enim erat Columnæ, Morentiacum a Senatu absque reſponſo fuiſſe dimiſſum, poſtquam Veneti fuerant edocti, quod Leſcunus Mareſcallus Cremonæ urbis deditionem feciſſet, & Galli Mediolanenſem arcem hoſti tradidiſſent.

Nec tamen inde Franciſcus Rex animo fractus, repentinam Hieronymi Adornii mortem in rem ſuam vertere meditabatur. Mortuus erat ille, dum pro Imperatore apud Venetos legatione fungeretur, paucis poſt Morentiaci diſceſſum diebus apoplexia tactus: Igitur comperto ejus obitu Rex nulla mora Bajocenſem Epiſcopum eo ablegabat, ut conditiones illis, quas antea rejecerant, magis amplas Venetis offerret.

§. LXXII.

Sæcul. XVI. A C. 1523.

§. LXXII.

Anceps Veneti Senatus consultatio.

Petr. de Ang. Ep. 777. Guicc. l. 15.

Sub idem tempus Cæsar quoque in Adornii locum ad Rempublicam Marinum Carraciolum Legatum decernebat, qui tamen, quominus Senatus de Bajocensis Episcopi propositionibus deliberaret, haud præpedire poterat, quamvis ceteroquin eorum, ex quibus hoc Consilium constituebatur, sententia in diversa prorsus abiret. Hos inter tamen Andreas Grittus, qui non ita pridem Reipublicæ Dux electus pristinum semper in Gallos affectum conservabat, acriter defendit, quod in Reipublicæ rem & dignitatem cederet, si fœdus cum Rege Christianissimo continuaretur, quamprimum enim ajebat, Sfortia suum in Mediolanensi Ducatu Imperium firmabit, mox ibidem suam quoque potentiam extendet Imperator; quippe totus in eo est, ut Ducatum sibi subjiciat, quod eo certius timendum, quo pertinacius hucusque possessionis beneficiariæ diploma Sfortiæ concedere recusavit, occupato autem Ducatu nullo ferme negotio continentem quoque Reipublicæ ditionem armis suis subiget. Ex adverso Georgius Cornarus, qui itidem apud Senatum plurimum auctoritate valebat, conten-

contendit, Sfortiam omni ope & opera esse protegendum, utrumque vero tam Cæsarem, quem Franciæ Regem arcendos, ne Mediolanum suo Imperio vendicent, idque nullius ferme negotii opus esse, pluribus demonstravit argumentis. Hæc opinionum varietas adeo ambiguos reddidit Senatores, ut re infecta conventum solverent, atque integrum mensem, cui sua studia addicerent, suspensi hærerent. Sæcul. XVI. A. C. 1523.

Tantam cunctationem pertæsi Suessæ Dux, ac Dudlayus Cæsaris, Regisque Angliæ Legati, ad colloquium admitti a Senatu petebant, quo impetrato palam profitebantur, se triduo post discessuros, nisi infra hoc temporis spacium, quid de propositionibus ab utroque Principe oblatis decrevissent, disertis verbis enunciarent. Equidem tam arrogans postulatio turbabat Senatores, nec tamen eos ad respondendum impellebat, sed tandem decisionem Gallis omnino fatalem extorsit epistola a Joanne Badoero, qui Reipublicæ nomine in Francia legationem obibat, scripta, ac per cursorem Senatui tradita; illa enim his verbis erat concepta: Franciscus I. immodicis expensis totum Regni ærarium exhausit, ac nequidem ea, quæ ad proximam expeditionem necessaria sunt, suppeditare valet, & de rebus Ita-

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

liæ, prout tamen necessitas exigit, ferme nunquam cum suis Ministris confert, nec minus aliunde certa habetur notitia, quod Borbonius Connestabilis, eoquod Reginæ Matris ac Prati Cancellarii molitionibus omnino hæreditaria possessione sua exutus esset, Regno excedere pararet, ex quo Francia abs dubio ingenti tumultu agitabitur.

§. LXXIII.

Fœdus contra Gallos a Venetis firmatum.

Petr de Ang. epist. 782. Belcarius l. 17. De Thou hist. l. 1. an. 1523.

Perlecta hac epistola Veneti una omnes adversus Gallos conclamabant, & quamvis Franciæ Legati nil intentatum, inausumque relinquerent, ut eos a Fœderatorum societate averterent, oleum tamen & operam perdiderunt. Ergo Senatus, cum nec Gallorum exercitum venire cerneret, ac Cæsaris iræ exponi pertimesceret, tandem adversus Gallos fœdus pepigit, idque die vigesima octava Junii firmavit. Equidem ad felicitatis cumulum Fœderatis nil ultra deesse videbatur, quam ut ipse etiam Papa Fœderi nomen daret. Verum Adrianus constanter inducias sanciri postulabat, nec obluctabatur Franciscus Rex, eas autem intra tempus oppido breve finiendas petebat, id ipsum vero Papæ consiliis

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

siliis haud consonum erat. Pariter etiam Cæsar his quidem induciis annuere videbatur, hanc tamen belli cessationem, ut exequendo consilio paratas haberet moras, valde diuturnam optabat, proin concordiæ negotio haud eluctandum opponebat obstaculum; quippe Galliarum Rex, cum nuper de Mediolanensi Ducatu ejectus esset, de longis armorum induciis sermonem fieri haud sustinebat, probe gnarus, hac cunctatione hosti partas ditiones certius tuendi spacium indulgeri. Attamen hanc Regis repugnantiam Cæsar, ac Rex Angliæ opportune in rem suam vertebant, ut summum Pontificem ad firmandum fœdus inducerent.

§. LXXIV.

Papa Fœderi accedens.

Sub idem tempus Romam advenerat Carolus Lanoyus Neapolis Prorex Adriano non solum patria, sed & familiaritate conjunctissimus. Is tanta dexteritate Pontifici persuadebat, quod Franciæ Rex sit solus, & unicus, qui bellum adversus Solimanum præpediret, atque Italiæ tranquillitatem turbaret, ut proin Pontifex teneretur, sese illius hostem palam profiteri, iisque accedere, qui saltem armorum vi Gal- *Guicc. l. 13.*

Sæcul. XVI. A.C.1523.

los ad officium redigere possent. His tandem expugnatus Pontifex die tertia Augusti adversus Gallos armorum societatem iniit cum Cæsare, Anglorum Rege, Ferdinando Austriæ Archiduce Cæsaris fratre, ac Mediolanensium Duce, quibus itidem accessere Genuenses, Florentini, Lucenses, atque Senenses.

§. LXXV.

Fœderatos profligandi occasio a Gallo neglecta.

Franciscus Rex potentissimo hostium fœdere minime territus, bellum pro expeditione Mediolanensi parare haud destitit; quapropter ad Italiæ fines exercitum admovit, jamque ipsus eo contendere parabat, cum Camboriti per nuncium literas acciperet, quibus Comes de Bossu Guisiæ Gubernator hæc Regi significabat: matura omnino occasio tibi potentissime Rex obvenit, qua nullo ferme tuorum militum dispendio Cæsaris exercitum in Belgio profligare poteris; quidam enim miles præsidiarius nomine Livetus Arschotti Duci, Hanoviæ Gubernatori promisit, se eidem, pacta quadam pecuniarum summa Guisiam traditurum, quem in finem Dux iter aggredi, Avennæ jamjam decrevit: præfatus vero miles Gallis immota

mota fide addictus ſtudioſe ſecreta hæc conſilia fovebat, ut Dux eo certius paratis ſibi laqueis ſeſe involveret. Enimvero Arſchottus copias ſuas Fiennio Belgii Rectori junxerat, qui Terouana urbe cincta, cum exercitu ſuo Picardiæ fines petebat, præſtitutam proditionis diem præſtolaturus. Re comperta Vindocinenſis Comes Picardiæ Gubernator delectu Peronnæ habito ſeptem peditum millia ac quingentos cataphractos collegit, quos ipſe in aciem educens, Cæſareos a fronte aggredi parabat, cum eodem tempore Fleurangius Mareſcallus, qui ex Arduenna ditione quinque Leodienſium millia & trecentos Cataphractos contraxerat, Avennam inter & Guiſiam cum ſuis procederet, hoſtemque a tergo urgeret; ipſe etiam Rex victoriæ partem habere cupidus, veredariis equis vectus Peronnam venit. Aſt inopinus ejusdem adventus Cæſareis, detecta eſſe eorum conſilia ſuſpicionem ingeſſit, quapropter ad caſtra reverſi, Terouanæ obſidionem proſequi cæperunt, quam tamen non ſine ingenti tumultu ſolvere, a Vindocinenſi Comite cogebantur.

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

Mem. du Bellai l. 2.

Ceterum quamvis Rex Regni ſui fines tuendo, vix par eſſet, minus vero tam potenti fœderi nuper adverſus ſe firmato reſiſtendi ſpem habere videretur,

Sæcul. XVI. A. C. 1522.

proin nequaquam Fœderatos prohibere posset, quominus ad Mediolanensem ditionem, in qua nil nisi Cremonensem arcem habebat, reverterentur, nihilominus, ut hostem arceret, nihil non egit, tam vehementi Ducatum recuperandi desiderio stimulatus, ut cum exercitus sui robore ipsus eo contendere decerneret. Jamjam Lugdunum pervenit, inde in Italiam transiturus, nec etiam conceptum exequi consilium destitisset, nisi Borbonii Connestabilis conspiratio tum recens detecta illum e regno suo exire prohibuisset.

§. LXXVI.

Borbonii Connestabilis indignatio, ejusque causa.

Petr. de Angler. ep. 71. Mem. du Bellai l. 2.

Erat Connestabilis secundo genitus Regii sanguinis Princeps, Gilberti Borbonii Montpenserii Comitis, nec non Claræ Gonzagæ Filius. Pater ejus in Neapolis regno, cujus a Carolo VIII. Prorex nominabatur, vitam famamque amiserat, atque inter tres filios, quos reliquerat, natu major ob sinistrum Patris fatum immodico dolore correptus, super Patris tumulum mortuus corruit, natu minimus vero in Marinianensi prælio periit: Solus ergo supererat Connestabilis nomine Carolus, qui paulo

lo ante Ludovici XII. obitum a Franciſco I. ſub primis Regni ſui auſpiciis Conneſtabilis munere honorabatur, dato hanc in rem diplomate regio die decima Januarii Anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo quinto. Princeps is erat ad ſubeundam hanc dignitatem omnibus animi dotibus liberaliter præditus. Antea die decima Maji Anno ſalutis milleſimo quingenteſimo quinto ſibi copulaverat Suſannam unicam Petri hujus nominis ſecundi, Borbonii Ducis, atque Annæ de Francia Filiam ac hæredem. Hæc tres genuit filios teneris adhuc annis morte ſublatos, ipſa etiam nulla prole relicta die vigeſima octava Aprilis Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo mortalitatem exuit. Poſt hæc expetebat, ut referunt nonnulli, vidui Conneſtabilis nuptias Ludovica de Sabaudia Franciſci I. Mater, cum vero ille Reginæ vota haud percipere ſimularet, non mitigandum ejus odium in ſe concitavit, atque ab illo tempore eum Regina oculis ſemper iniquis, infeſtisque in aula intuebatur, ac ipſe quoque Rex haud amplius eidem exercitus ſui imperium credidit.

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

§. LXXVII.

Connestabilis a Ludovica de Sabaudia Regis Matre vexatus.

Jamjam ab Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo primo, Rex ipse exercitum suum ducebat, ac primi agminis curam Alensonio Duci demandabat, quamvis hæc prærogativa Connestabilis dignitati annexa esset. Præterea Rex Borbonium e Mediolanensi Ducatu, cujus Præfecturam agebat, revocavit. Imo Regina hisce hostis sui adversitatibus nondum contenta, cum tot mala ad ulciscendam spreti amoris sui injuriam haud sufficere arbitraretur, litem eidem intentabat in omnia ejus bona, quæ sibi pleno jure deberi contendebat. (*) Postquam enim Connestabilis, mortua Susanna Ducissa uxore sua oblatas sibi a Regina nuptias neglexerat, hæc in hæreditariam Borbonicæ Domus portionem vocari postulabat, eoquod Caroli primi neptis &

(*) Quantum juris in uxoris suæ bona Connestabilis habuerit, perspici potest apud P. Danielem in sua Franciæ Historia tom. V. p. 489. & 499. edit. in 7. Volum. necnon in tom. VII. pag. 504. & seq. edit. de Anno 1719. in 10. Volum.

& Margarithæ, quæ Philippo Sabaudiæ Duci nupſerat, filia eſſet, quo obtentu ad divexandum Conneſtabilem utebatur: ex adverſo Conneſtabilis dicebat, quod tota familiæ Borbonicæ hæreditas ſibi competeret beneficiario jure, cum id ſoli huic Domui proprium eſſet, excluſa etiam Suſanna Petri Borbonii filia. Præterea allegabat, in pactis connubii cum Suſanna a ſe contracti, ut ſic tota lis dirimeretur, fuiſſe concluſum, quod pleno jure, ſi illa prior decederet, Borbonicæ Domus ſucceſſio ad Carolum Borbonium rediret; Nihilominus Regina, cum Princeps admodum imperioſa eſſet, litem redintegrabat, & Conneſtabilem vehementius quam ſuſtinendo eſſet, exagitabat: cum vero ille ob dignitatis ſuæ prærogativam nullum aliud præter Parlamenti Pariſienſis tribunal agnoſceret, Regina ejus cauſſam Prato Cancellario, aliisque judicibus ſibi addictis commiſit, ex qua agendi ratione Conneſtabilis haud obſcure intellexerat, unaomnes ad ipſius perniciem conſpiraturos, præcipue, cum ipſemet Rex Franciſcus cæco prorſus conſilio Matris ſuæ indignationi ac vindictæ cupidini plene ſuffragaretur.

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

§. LXXVIII.

Conneſtabilis pacta cum Cæſare adverſus Franciæ Regem inita.

Carolus Borbonius, cum viciſſim ſeſe ulciſcendi deſiderio flagraret, fidei debitæ immemor, Cæſaris auxilium implorare conſtituit, a quo non ſine ingenti lætitia excipiebatur, quasdam tamen conditiones ſibi promitti voluit, obtinuitque; quippe ad eum Carolus V. quemdam Virum nomine Beorinum ablegabat, qui alieno habitu indutus Montbriſonii in Forenſi Provincia Conneſtabilem convenit, ac collatis cum eo conſiliis ſequentes paciſcebatur conditiones, vi quarum Conneſtabilis uxorem duceret Eleonoram ab Auſtria Cæſaris Sororem, Regis Luſitani viduam, dotis autem nomine acciperet ducenta aureorum millia, præter jus ſuccedendi in omnes Auſtriacæ Domus Provincias, ſi forte Cæſar & Ferdinandus ejusdem frater nulla prole relicta deceſſuri eſſent. Interveniebat quidem inchoato huic fœderi Rex Angliæ, unde altera hæc addebatur conditio, ut ambo Principes junctis viribus Franciſcum I. e Franciæ ſolio deturbare, eique Carolum Borbonium ſubrogare conarentur, ea tamen lege,

Mem du Bellai l. 2. De Thou hiſt. l. 1. an. 1523.

lege, ut is, si Galliarum Regnum obti- Sæcul. XVI.
neret, cum plena jurisdictione ac do- A.C. 1523.
minio Anglis Normaniam, & Aquitanniam, Cæsari vero Burgundiam, & Artheſiam cederet, ſimulque omnia jura, quæ Franciæ Reges in Italia habere contendunt, in eundem Imperatorem transferret. Cum hæc pacta nonniſi verbo promiſſa eſſent, Conneſtabilis unacum Beorino San-Bonnetum in Hiſpaniam mittebat, ut cum Cæſare, priusquam in Italiam abiret, fœdus firmaret.

§. LXXIX.

Franciſcus I. Lugdunum profectus.

Totum hoc negotium tam religioſa taciturnitate premebatur, ut Franciſcus I. re nondum comperta jamjam in Italiam iter aggrederetur. Attamen vix Sancti Petri Monaſterii oppidum ad Niverni, ac Borbonii confinia ſitum attigerat, cum ecce! Matignones, & Argugius, ambo Conneſtabilis Officiales ad Regem accurrunt, eumque monent de ſecretis, quæ eorum Dominus cum Cæſare foveret, conſiliis, adduntque eum Comitis Rucenſis miniſterio clam conſpirationem moliri. Præter hæc haud plura dicere poterant, utpote de aliis a Leur-

Mem. du Bellai l. 2.

Saint Pierre le Mouſtier

Roeux

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Leurcyo Conneſtabilis Cubiculario non edocti. Re percepta Rex biduo adhuc Monaſterii morari voluit, priusquam Molinum peteret, ubi Conneſtabilis morbo detentus hærebat. Equidem Franciſcus, cum nonniſi viginti Proceribus ſtipatus eſſet, hanc urbem ingredi verebatur, quocirca, donec copiæ, quas præſtolabatur, adventarent, animo volutabat, quid in præſenti rerum ſtatu decerneret. Non pauci quidem eidem auctores fuere, ut Conneſtabilem comprehendi juberet, rejecit tamen hoc conſilium, ac ſuppetiis militum, quos exſpectabat, tandem advenientibus dixit, quod mallet clementia, quam acerbitate ſeditionem extinquere; hinc mox Molinum contendit, ut ipſus Conneſtabili colloqueretur.

§. LXXX.

Borbonius Conneſtabilis Molini a Rege inviſus.

Rex cum Conneſtabili perbenigne conferebat, his verbis eum alloquens: tanto te non ſolum ob ſanguinis propinquitatem ſed maxime ob virtutum tuorumque meritorum prærogativam proſequor affectu, ut illo permotus tibi, quæ percepi, ſincere manifeſtem. Nuper a Viris rei conſciis admonitus ſum, quod

quod tu Rucenſis Comitis opera uſus cum Cæſare fœdus inieris, ſimulque relicto meo obſequio, ſpretoque tuo nomine cum Regni hoſtibus conſpiraveris, quæ res adeo abominanda mihi videtur, ut illam, cum nonniſi ab animo in deſperationem acto proficiſci queat, potius inane ſomnium, quam virile factum arbitrarer, præcipue ubi hujus defectionis cauſſa adeo levis eſſe videtur, ut tam horrendum ac deteſtatu dignum conſilium a te progenitum, haud mihi perſuadere valeam. Tota enim res, proſequebatur Rex, dubio innititur eventui litis illius, quæ inter te & Matrem meam ac Procuratorem generalem agitatur; hoc autem timore penitus concuti imbecillitas eſt animi tui robore haud digna; ſi enim tibi adjudicatur cauſſa, non habebis, quod conqueraris, nec quod timeas; ſi vero cauſſa cadis, tibi reddere poſſum, quæ judicio amiſiſti, meque id lubenti animo facturum, tibi per Nobilis Viri fidem juro (ita Rex dicta ſua ſacramento firmare aſſueverat) ſi tamen, ſubjunxit Rex, alia ſubeſt querendi cauſſa, ut eam mihi indices volo, & ſpondeo, me tibi ad vota ſatisfacturum: Bono igitur animo eſto, dolorem abſterge, nec eorum ſuggeſtionibus aures præbe, qui turbata Francia exitium tibi parant, certus interim

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

terim esto, me haad amplius in tua gesta inquisiturum; sola enim tua amicitiæ promissio certum erit fidei tuæ testimonium.

§. LXXXI.

Connestabilis Responsio ad Regem.

Hac Regis libertate ac clementia Connestabilis animus omnino expugnatus videbatur, unde tam officiosam salutationem submissa gratiarum actione rependens ajebat: tua erga me Auguste Rex, sinceritas, qua mentem tuam manifestare dignaris, mihi quoque ad ea, quæ paterno corde monuisti, respondendi libertatem inspirat; ita est, nec diffiteor, Rucensis Comes, ut ad Cæsaris partes deficerem, me sollicitavit; verum tam detestandi criminis horrore, ac infamiæ nota, quam conscientiæ, ac nomini meo inurerem, absterritus omnino recusabam; insuper ingenue itidem fateor, quod tota indignationis meæ caussa extiterit lis mihi intentata, de qua Regiæ Majestati suæ sermonem ingerere placuit; prorsus enim indigna res mihi videbatur, quod ea, quæ Reges Prædecessores tui Majoribus meis benigne concesserant, inique mihi auferrentur; cum autem tam gratiosa Majestatis

jestatis tuæ salutatio & liberalitatis tuæ, ac clementiæ sponsio tanti mali timorem mihi penitus adimat, eapropter juro ac protestor coram Deo, quod Sacræ Majestati tuæ tum in Italia, tum alibi, ubicunque me tibi vocare placuerit, integra fide tanquam subditorum tuorum devotissimus mea tibi obsequia sim impensurus. Rex Connestabilem suis monitis devictum existimans, in ejus amplexus ruens, se haud ultra culpæ memorem fore jurabat, eumque monebat, ut suæ tantum valetudinis curam haberet, ac Lugdunum pergeret, cum ejus præsentia ad ducendum exercitum suum oppido necessaria foret, proin ipsum ibidem præstolaretur. Spondebat Connestabilis, se eo lectica delatum iri; nec fidem fefellit, quippe paucis post Regis discessum diebus itineri se accinxit, comitante eum Wartiensi Toparcha, quem Rex eo ex fine ibidem reliquerat. Sæc. XVI. A C. 1523.

§. LXXXII.

Rex a Connestabili regno excedere parante delusus.

Attigerat Paliciam Connestabilis, ubi eundem Wartiensem ablegavit, ut Regi suscepti itineris notitiam deferret, simulque significaret, se adeo viribus fractum

Sæc. XVI. A.C. 1523.

fractum esse, ut tardius se adventurum, merito timeret: Reapse autem Connestabilis ingravescentis morbi obtentu usus Chantellam, locum munitissimum, ubi pretiosiora quæque collecta habebat, ad palatium suum sese contulit. Re comperta, Rex se a Connestabili delusum, eumque e Regno exiturum, sat aperte prospiciebat, quocirca Sabaudiæ Nothum & Chabannium Marescallum confestim cum quadringentis Lanceariis & quatuor peditum millibus ablegavit, ut Connestabilis arcem cingerent.

Chantelles

§. LXXXIII.

Plures Connestabilis amici capti.

Mem du Bellai l. 2. Marillac. hist de Bourbon.

Insuper Connestabilem comprehendi Rex jubebat, moxque non pauci Nobiles, in quos conjurationis suspicio cadebat, capiuntur, inter quos ipse quoque San-Vallerius centuriæ ex Nobilibus regio genere claris conflatæ Tribunus, Boissius Palicei Marescalli frater, Vauguyonius, & Aymardus de Prie erant. Connestabilis hujus violentiæ primo ignarus, quamprimum Chantellam advenerat, Jacobum Heraldum Augustodunensem Episcopum ablegabat, unacum epistola, in qua Regi significabat, quod ipse quidem satis amplam de valetudinis suæ statu notitiam per Wartien-

tienſem communicaſſet, idem vero nunc quoque per Auguſtodunenſem Epiſcopum repeteret, nec minus Regem fidei, atque obſequii ſui certiorem redderet rogans, ut iis, quæ nomine ſuo Epiſcopus aſſereret, fidem haberet, ſe enim ſui honoris, famæque titulo obſtrictum aſſerebat, ut nunquam iis, quæ ſupremo ſuo Principi deberet, defuturus ſit. Dabat die quinta Septembris. Anno XVI. A.C. 1523.

§. LXXXIV.

Conneſtabilis in Italiam profugus.

Quamprimum Epiſcopus Lugdunum venerat, cuſtodiæ dabatur, Conneſtabilis vero, quæ geſta fuiſſent, edoctus, cum omni comitatu ſuo diſceſſit, totamque noctem profectus die octava Septembris Harmentam ſuperioris Alverniæ urbem pervenit, ubi clam ſeſe a ſociis ſubducens nonniſi unico Nobili Scutario nomine Pomperano ſtipari voluit, atque ut eo melius ſui notitiam celaret, ſe præfati Pomperani a cubiculis miniſtrum ſimulabat; tandem vero absque ullo diſcrimine Dolam in ſuperiori Burgundiæ Comitatu ſitam pervenit, indeque ſuperata Tridentina convalle in Italiam tranſiit, moxque Mantuæ Marchionem ſuum Patruelem inviſit,

Secul. XVI A.C. 1523

sit, ac demum Genuam contendit, ut ibidem cum Carolo Lanoyo Neapolis Prorege, de futuro bello conferret; hic enim supremum exercitus imperium obtinuerat, postquam Prosper Columna exeunte anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio vivis ereptus fuit. In hoc tamen colloquio nondum res decisa fuit; expectabantur enim jussa Cæsaris, dum tandem, postquam jam quintam & amplius hebdomadam Conestabilis Genuæ moratus erat, Leurcyus, quem ad Imperatorem in Hispaniam ablegabat, unacum Rurensi Comite advenit, ac literas Cæsaris manu exarratas, atque signatas detulit, quibus promiserat Imperator, cunctos Chantellensis pacti articulos, quibus innixus Conneſtabilis e Gallia abiisset, integra fide adimpletum, ac illi liberum, aut in Hispaniam proficisci, aut in Italia permanere relictum iri, ceterum semper, ubicunque fuerit, officiis generis sui claritate dignis honorandum.

§. LXXXV.

Conneſtabilis Mediolani aliquamdiu subsistens, ad Cæsaris castra delatus.

Haud vero absimile est, quod nonnulli referunt Scriptores, Cæsarem, ubi

bi nunciatum erat, Conneſtabilem cum ſolo Pomperano adventaſſe, ejusque e Galliis diſceſſum nullos ſuſcitaſſe tumultus, Rurenſi Comiti ſecreta dediſſe mandata, ut Conneſtabili omnino perſuaderet, ne de Mediolanenſi ditione excederet; verebatur enim Cæſar, ne in Hiſpaniam delatus nuptias cum Eleonora ſibi promiſſas adimpleri urgeret, quas tamen Cæſar ratas habere noluit, niſi cuncta prius ſpolia, quæ ex Conneſtabilis defectione ſperaverat, accepiſſet. Ceterum Borbonius in Italia permanere maluit, ſcripſitque Cæſari, quod abs dubio in Italia magis quam alibi Imperatori utilis foret. Paulopoſt Vindaſcam petiit, ubi Cæſaris exercitus tertio a Mediolanenſi urbe lapide caſtra metatus eſt, in quo jam tum ſecundum imperii locum in Italia tenebat, ac brevi ſupremus illius Dux a Carolo V. nominatus eſt. Sæcul. XVI. A. C. 1523.

§. LXXXVI.

Bonnivetus, a Rege in Francia permanente, in Italiam miſſus.

Tandem ex Conneſtabilis fuga Galliarum Rex haud obſcure cognovit, ingentem in Regno ſuo conflari ſeditionem, illamque in apertas erupturam flammas, quamprimum e regno ſuo *Mem. du Bellai l. 2.*

Sæcul. XVI A.C. 1523.

absens esset, quapropter mutato in Italiam eundi proposito, Bonnivetum Admiralem cum exercitu suo illuc mittere constituit. Ergo Bonnivetus sub finem Mensis Augusti, seu forte ineunte Mense Septembri Alpes transcendit, Rege interea ad regnum suum redeunte, ut subortos ibidem tumultus dissiparet: Ne vero a factiosis inopino impetu obrueretur, e re fore censebat, illas revocare centurias antea conscriptas ab ejusmodi Viris, quos utpote Conestabili vel sanguine, vel amicitia junctos facile conspirationis socios fore timebat; ut autem ejusmodi mandatum aliis nullatenus siniſtram ingereret suspicionem, has copias pro Regni præsidio a se speciatim selectas obtendebat. Insuper a se dimittere nolebat Cataphractos, quos Alenconii Dux, Chabannius Marescallus, Comes S. Pauli, & Sabaudiæ Nothus conduxerant, ut Vindocinensis Comitis, Montpenserii & Lotharingiæ Ducis copias in officio contineret, atque in eas, si forte seditionem molirentur, irruere posset: verum superfluæ erant hæ cautelæ; nullus enim ex hisce Principibus in Regis fide titubabat, sive quod Conestabilis facinus detestarentur, sive eum sequi nimis periculosum esset.

§. LXXXVII.

Sæc. XVI.
A.C. 1523.

§. LXXXVII.

Bonniveti progressus in Mediolanensi Ducatu.

Interea Bonnivetus sub primis expeditionis suæ auspiciis magnos in Mediolanensi ditione armorum progressus fecit; eoquod Prosper Columna urbes munire neglexisset; haud enim sibi persuadere poterat, quod Franciscus Rex aliunde tuendis regni sui finibus tantopere implicitus, bellum in Italia excitare auderet. Igitur Galli nullo ferme negotio Novarram, Viglebanum, totamque regionem citra Ticini flumen sine ullius prælii discrimine occuparunt. Equidem Columna exercitum suum ad hujus fluvii oram admoverat, nec tamen Bonnivetum Admiralem transitu prohibere poterat, cum cœli siccitas hosti flumen undique vadosum reddidisset, quapropter Columna, quamprimum Gallos ad alteram fluminis ripam eluctatos compererat, mox cum suis inde recessit, cujus exercitum Admiralis, si necessaria usus fuisset diligentia, nec tridui aut omnino quatuor dierum moram Papiæ traxisset, facile delere potuisset, maxime, cum Mediolanensis urbs resistendo impar esset, atque ipse Columna ex hac Metropoli excedere constituis-

Sæcul. XVI A. C. 1523.

set, eoquod Gallorum exercitui, plusquam quadraginta armatorum millibus valido nonnisi quindecim suorum millia opponere potuisset. Nihilominus Prosper longa bellorum experientia edoctus, non raro ab hoste ea, quæ magis expedirent, negligi, ideo eas urbis partes, quæ minus firmæ erant, toto studio muniri curabat, tam felici successu, ut Bonnivetus longa obsidione frustra tempus tereret, atque appropinquante hyeme, ipsaque pestilentia exercitum ejus depascente, pedem referre compelleretur, nullo prorsus expeditionis suæ fructu, nisi quod suppetias tulerit Cremonensi arci, cujus præsidium ad octo duntaxat milites redactum fuit, postquam Bayardus eques urbem vano prorsus conatu expugnare tentaverat.

§. LXXXVIII.

Bajonna ab Hispanis incassum obsessa.

Petr. Angl. ep. 705.

Sub idem tempus Cæsar in Hispaniis exercitus sui delectum habuit, moxque Germani Pedites superiorem Burgundiæ Comitatum intrarunt, Angli vero Caletum expugnarunt, ut inde junctis viribus cum Flandris Picardiam invaderent. Interea Lautrecus, qui post incursam Regis offensionem ibidem impe-

imperabat, nuncium accepit, quod Hi- Sæcul. XVI.
ſpanorum ferme triginta millia prope A.C. 1523.
Luiſium convenirent, quapropter totus in eo erat, ut Fontarabiam commeatu inſtrueret, firmo conſtituens animo, quod ſe Bajonnæ cum quibusdam illius Regionis Nobilibus includere vellet.

§. LXXXIX.

Fontarabia ab Hiſpanis expugnata.

Jam anno priori Chabannius Mareſcallus Frangetum magni nominis Belliducem Fontarabiæ reliquerat, ut urbis hujus Præfecturam ageret, interea vero Hiſpani die decima ſexta Septembris Bajonnam arcte cingebant, urbisque mœnia tanta tormentorum vi quatiebant, ut die decima octava ejusdem menſis ingens muri hiatus pateret. Fulciebat admodum opportune Hiſpanorum exercitum claſſis, quæ, cum urbs e regione maris minus firma eſſet, totam quaquaverſus Provinciam ingenti terrore affecit; tanta tamen ſolertia Lautrecus ſingulis proviserat, ut aſſultu validiſſimo fruſtra tentato Hiſpani obſidionem ſolvere compellerentur, unde cum ingenti ſuorum, qui in foſſis jacebant, diſpendio Fontarabiam cingere aggrediebantur, quam urbem Frangetus per ſummam ignaviam poſt

Mem. du Bellai l. 2. Mezerai abregé chron. to 4. p. 287.

Sæcul. XVI. A. C. 1523

unum alterumve obsidionis diem hosti tradidit, haud graviori mulctatus pœna, quam quod in urbe Lugdunensi erecto ferali pegmate publice Nobilitatis honoribus spoliaretur, perinde (inquit Mezerajus) ac si ignavia potius infamiæ, quam mortis supplicio digna foret.

§. XC.

Fürstenbergius Bellidux in Burgundia a Guisiæ Comite cæsus.

Mem. du Bellai l. 2.

Minus prospera forte Hispani in Campania, ac Burgundia decertabant. Nam Mottæus de Noyers Borbonii Connestabilis Bellidux in Germania obviam procedebat Fürstenbergio Comiti, qui septem aut octo Germanorum peditum millia per superiorem Burgundiæ Ducatum duxit, ac primo in Campaniam excurrens Coiffyam, & Monteclarum exiguas urbes cepit, quarum præsidiarii nonnisi ignava manu hostium impetus repellebant: Guisiæ tamen Comes, qui in Trimollii locum Burgundiæ præerat, ubi harum urbium jacturam compererat, ac Fürstenbergium equitatu destitutum noverat, confestim cum Provinciæ Nobilibus, ac octingentis vel circiter nongentis cataphractis accurrit, collectamque Nobilitatem urbibus impo-

impoſuit, atque hoſtem nullo equitatu tectum laceſſere incæpit. Fürſtenbergius, cum in media hoſtium Regione tot copiis reſiſtendo impar eſſet, in Lotharingiam ſecedere conſtituit, relictis ambabus, quas nuper ceperat, exiguis urbibus, nec tamen absque ingenti ultimi agminis diſpendio pedem referre poterat; quippe, ubi hi trajicere parabant, eos Guiſiæ Comes prope Novi-caſtrum aggrediebatur. His tota Germanorum expeditio finem accepit. Sæcul. XVI. A C. 1523.

§. XCI.

Exercitus a Rege Angliæ in Picardiam miſſus.

Dum interea bellum in Italia, Bearnia, atque in Campania ferveret, Rex Angliæ Franciam cum exercitu invadere parabat, illiusque imperium Suffolciæ Duci Mariæ, quæ Ludovici vidua erat, Marito demandabat. Advenerat Dux Calletum cum quatuordecim, aut ferme quindecim Anglorum millibus; ex quibus, junctisque aliis, quas Comes de Bure exercitus Belgici Bellidux adduxerat, copiis agmen conſtituebatur viginti quinque, aut omnino triginta peditum, ac quinque vel ſex equitum millibus validum, cujus numero Trimollius Dux, qui in Piccardia im-

Secul. XVI A.C. 1523.

perabat, resistendo impar suos in aciem educere non audebat, jam contentus, ut urbibus discrimini magis expositis præsidia imponeret, ac de rerum statu Regem, qui tum Lugduni agebat, quantocius certiorem redderet.

§. XCII.

Parisiensis urbs ob hostiles copias ad undecimum ab ea lapidem progressas ingenti terrore perculsa.

Rex accepto nuncio anxiis omnino curis agitabatur; quippe hostilis exercitus jam plures Picardiæ urbes armis subjecerat, quinimo ad Oesiam flumen undecimo ab urbe Parisiensi lapide dissitum processerat, nec tamen inde Rex penitus animo fractus, copias, quot quot poterat, in Picardiam transmisit, illisque Vindocinensem Ducem præfecit.

§. XCIII.

Hostis pedem referre a Vindocinensi compulsus.

Angli atque Germani comperto Vindocinensis adventu haud ulterius progredi statuerunt, veriti, ne hujus Ducis ac Trimollii copiis circumfusi a tergo invaderentur, quocirca Mondide-

rio,

rio, ac Nigella exceſſerunt, & utraque urbe incendio deleta, in Artheſiæ Provinciam ſeſe receperunt; inde vero reduces Bunium occuparunt, urbique Anglorum præſidium impoſuerunt. Aſt paulopoſt hanc civitatem recuperabat Trimollius, illiusque imperium Eſtreeo Domino credidit, denique Flandris ad ſua remeantibus Angli exercitum ſuum denuo in naves Caletum verſus imponebant, de expeditionis ſuæ progreſſu parum contenti, eoquod fructus inde expectatione longe minores reportaſſent. Sæcul. XVI. A.C. 1523.

§. XCIV.

Supremus Rhodiorum Magiſter cum ſuis Equitibus profectus, ac in Cretam delatus.

Hoc anno Chriſti milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio die prima Januarii Villerius Liladamus Magnus Rhodiorum Magiſter cum reſiduo ſuorum Equitum manipulo e portu Rhodienſi ſolvit, ac Cretam verſus contendit, poſtquam ducenti viginti præterierre anni, ex quo Ordo S. Joannis Hieroſolymitani Rhodi Inſulam poſſederat, nunc vero inde abeuntem Liladamum Princeps Amurates infelicis Zizimi filius, qui Equitum ſumptibus in hac Inſula alebatur, lubenti animo ſecutus fuiſſet,

Jac. Bourb. relat. du Siege de Rhod. p. 684. Spond. ad an. 1523. n. 1.

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

fuisset, nisi Solimanus illum, ne fuga elaberetur, militibus custodiendum tradidisset. Equidem aliquamdiu cum duobus filiis suis, totidemque filiabus absconditus latebat, verum a Turcis repertus, ad abjurandam Christi fidem, quam amplexus fuerat, urgebatur, ille autem potius mortem oppetere, quam veram Religionem deserere statuit: quapropter Sultanus, cum operam perdidisse cerneret, Amuratem cum duobus filiis suis necari, ejusdem vero filias Constantinopolim abduci jussit.

Ceterum classis, qua Magnus Magister vehebatur, numerabat quinquaginta navigia, inter quæ partim erant diversæ magnitudinis triremes, partim vero Myoparones, variique generis phaseli. His (nequidem computatis Equitibus) plus quam quatuor millia hominum, qui tam Rhodum quam ceteras urbes eidem annexas incolebant, imposita erant. Post aliquot dierum navigationem violenta ventorum, marisque tempestas exiguam hanc classem ad Insulas Archipelagi dissipabat, ubi plures naves malo exarmatæ, aliæ nimio suppellectilis pondere demersæ, reliquæ hinc inde dispersæ post graves maris injurias tribus omnino diebus ac noctibus toleratas ad diversos Cretæ portus appulerunt, tandem vero ad illam navium

navium partem pervenerunt, quæ Magnum Magiſtrum adhuc comitabantur. Hic lacrimis temperare haud poterat, dum potiſſimos ex illis, qui patriam ſuam reliquerant adverſam ejus fortunam ſecuturi, partim morbis preſſos, non paucos omni commeatu deſtitutos, alios vero ſemi-nudos ac nequidem induſio tectos cernebat, eoquod ſarcinas ſuas in mare projicere, tempeſtatis injuria compulſi fuiſſent. Denique Magiſter cum ſuis in Creta perbenigne exceptus, ibidem tamdiu ſubſtitit, donec laceræ naves refici potuerint. Sæcul. XVI. A. C. 1523.

§. XCV.

Equites apud Magnum Magiſtrum per Papæ Conſtitutionem perſiſtere compulſi.

Inde Magnus Ordinis Magiſter plurimos Legatos ad Papam, atque ad omnes ferme Principes Chriſtianos ablegabat, eosque de Rhodi Inſulæ jactura certiores reddebat, ab eis tam indigne derelictum ſe fuiſſe queſtus: cum vero non abs re pertimeſceret, ne Equites adhuc vita ſuperſtites adverſam ſortem pertæſi, ad ſuam quisque patriam reverterentur, hinc Legato, quem Romam decreverat, negotium dedit, Pontifici exponeret Equitum digreſſu totum Ordinem aliunde fatali

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

fatali hac calamitate sat pressum, omnino extinctum iri, proin ab ipso rogari, ut Sanctitas sua imminenti malo remedium poneret. Papa Magistri petitionem omnino æquam existimans, ut Equites in Magistri obsequio persisterent, Constitutionem edidit, qua eis in virtute sanctæ obedientiæ injunxit, ut Magni Magistri imperio subjecti permanerent, refragantibus vero anathematis pœnam comminatus est. Obtentam hanc Constitutionem Legatus quantocyus Messanam transmisit; eo enim Liladamum jam appulsum censebat, eoquod jamjam ineunte Martio e Creta solvisset, verum sævissima tempestate jactatus nonnisi ad initium Mensis Maji cum exigua classe sua Messanæ portum ingredi potuit; vix autem eo advenerat, cum Pontificis literas, quas ei Messanensis Prior tradidit, non sine animi sui lætitia reciperet, easque coram suis Equitibus perlegi juberet, qui illas cum summa demissione exceperunt, palam professi, se jussis prompto animo obsecundaturos.

§. XCVI.

Magnus Magister civitate-veteri appulsus.

Spond. ann. 1523. n. 3.

Eo tempore pestis Messanam invaserat, quocirca Ordinis Magister quantocius

cius inde ſecedens, ad Bahiæ Sinum contendit, ibidemque haud procul a pervetuſtæ urbis Foiæ ruinis caſtra metatus eſt, ac poſt unius menſis moram e portu claſſem in altum detorſit, ac paucos infra dies Civitatem-veterem pervenit, indeque ſuorum Equitum quemdam Romam ablegavit, qui a Papa colloquii gratiam exoraret; prævenerat tamen illum Conchenſis Epiſcopus, qui Papæ Adriani nomine Magiſtro ſignificabat, quod eum tam mature adventurum haud credidiſſet, proin aliquamdiu quieti indulgeret, donec de alloquii copia miſſo Nuncio certior fieret.

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

§. XCVII.

Colloquium a Magiſtro petitum ob Papæ infirmitatem dilatum.

Adverſa hæc rerum viciſſitudo quadantenus Magiſtri animum afflixit, tempori tamen cedere coactus eſt. Interea temporis ſummus Pontifex Romæ die decima quinta Auguſti in Eccleſia ad S. Mariam Majorem, ubi aſſiſtentibus cunctis Cardinalibus rem divinam peregit, bellum adverſus Gallos ſolemni ritu nunciari juſſit; cum vero hæc ſolemnitas multum temporis abſumeret, Papa haud parum inde feſſus, dum ad Palatium redibat, febri correptus eſt.

Boſius hiſt. Rhod. l. 2. p. 20.

Hæc

Secul. XVI. A. C. 1523.

Hæc adversa Pontificis valetudo præpediebat, quo minus Rhodiorum Magister ad alloquium, quod ardenter desiderabat, admitti poterat, evolutis tamen quindecim diebus Adrianus eidem significari jussit, ut Romam peteret.

§. XCVIII.

Magister Romæ ad alloquium Papæ admissus.

Accepto nuncio Magister quantocius sese itineri accinxit, eumque cuncti Equites sui comitabantur; cum vero adhuc multum ab urbe abesset, eidem Anna Morentiaca ejus Neptis, quæ tum Romæ negotia sibi a Francisco Galliarum Rege demandata curabat, obviam cum splendido comitatu processit: Vix autem Romam venerat Magister, cum quivis eum insolitis etiam honoribus cumulare certaret; nam occurrebat ei Sueſſæ Dux Caroli V. Legatus, illumque ad ipsum quoque Pontificis Palatium comitabatur, nec minus ipse summus Pontifex, quamvis ob morbi vim viribus exhaustus esset, de sede sua assurgens intrantem excepit, imo aliquot passibus obviam procedens, tenerrimo illum amplexu honoravit, mediumque inter Cardinales considere jussit, ubi multis in ejus laudem dictis pollicitus est,

est, se nihil non acturum, ut illius Ordo Christianæ Religioni adeo utilis conservaretur; ac denique valere jussum appellavit *magnum Christi athletam, & fidei Catholicæ accerrimum propugnatorem.* Sæcul. XVI. A.C. 1523.

§. XCIX.

Unicus ante mortem Pontificis in Cardinalem nominatus.

Haud dudum Papa recuperandæ valetudinis spe detinebatur; novo enim febris accessu obrutus, brevi ad extremum vitæ periculum redigebatur; igitur cum horam, qua regiminis sui rationem Deo redderet, appropinquare sentiret, sacro Viatico sese muniri præcepit, cunctosque Cardinales ad suum cubile accersitos ad procurandum fidei Christianæ, atque Ecclesiæ incrementum adhortatus est: Cum autem toto Pontificatus sui tempore nullum purpura decorasset, priusquam moreretur, Cardinalem creare constituit, sorsque cecidit super Guilielmum Enkenvvordium natione Germanum, quem ob præclara ejus merita, ac raras animi dotes plurimi habuit. Is primo Antvverpiæ Canonicus erat, postea ab Adriano ad Pontificatum evecto Ultrajectensi Præpositura augebatur, cum vero Papa ejus præsentiam Romæ necessariam du-

Val. Andr. bibl Belg. Gazet. hist. des Bais-bas Aubery des Cardinaux Paul. Jov.

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

ceret, illum Romanæ beneficiorum Ecclesiasticorum curiæ præfecit, ac demum Dertusensem Episcopum nominavit.

§. C.

Adriani VI. Papæ obitus.

Ciacon. in vit. PP. tom. 3. p. 426. Duchesne hist. des Papes, vie d'Adr. VI. Guicc. lib. 15 Onuphr. in vit. Pont. Oldoinus apud Ciacon. Val. And. bibl. Belg. Paul. Jov. in vita Adrian. VI. Le Mire in bibl. eccl. & dog. Belg.

Hujus electioni haud diu vita superstes fuit Adrianus VI. rebus humanis ereptus inclinato jam die decimo quarto Septembris, (*) postquam vixisset annos sexaginta quatuor, menses sex, dies tredecim, sedisset autem annum unum, menses octo, dies sex. Haud ingrata accidit ejus mors Romanis, qui animo non tam bono erga illum erant affecti, sive quod alienigena esset, sive fastum atque magnificentiam a suis Prædecessoribus tantopere quæsitam abominaretur: Unde non raro querebantur, quod tenacior, nimirum, nec prodigus, nec in luxum effusus esset; immerito enim hanc calumniam subibat, eoquod in omnes beneficus extiterit. Præterea abs dubio Romanis minus acceptus erat eo ex nomine, quod ad emendandos Cleri mores toto studio con-

(*) Ciaconius ejus obitus diem ad vigesimam quartum Septembris refert. Vide annotationem ad §. LXVI.

Secul. XVI. A. C. 1523.

conversus, multas sustulisset corruptelas, quæ in Curiæ Romanæ officiis, Beneficiorum collationibus, ac reservationibus, superfluis sumptibus, nec non in Indulgentiarum concessionibus irrepserant: quapropter lætitia, quam Romani ex ejus morte conceperant, illum veneno fuisse sublatum suspicandi argumentum præbuit; attamen nil antiquius habet plebs, quam ut similia de illustrium Virorum obitu suspicetur. Nec deerant tamen, qui eo adhuc vivente sæpius palam testabantur, se ejus mortem exoptare, quapropter frequenter ejus vitæ insidias struebant. Ejusmodi exemplum recenset Paulus Jovius his verbis: *Marius Placentinus vir togatus, cum ex sublatis ab Adriano nonnullorum officiorum reditibus privatus esset honestæ vitæ commodis, immane facinus Pontificem confodiendi vecordi animo concepit, ita, ut cum egressurum cubiculo aliquamdiu frustra expectasset, sese demum eodem ferro transverberavit, sive commotæ bilis impetu, sive atrocioris supplicii timore, eoquod socius facinoris, cui rem communicabat, nec constituto in loco esset repertus.* Aliud quoque vitæ discrimen subibat, cum quadam die fornix Pontificii Sacelli, quod rem divinam peracturus accesserat, derepente in terram decideret, ac Helvetiorum nonnullos coram eo oppri-

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

opprimeret, ubi Præsules, qui Papam comitabantur, sua agendi ratione haud obscure demonstrabant, quod eis haud adeo ingratum accidisset, si potius Papa, quam Helvetii hoc fato occubuisset. Quinimo urbana plebs eo impietatis est progressa, ut in Dei providentiam, qua Pontifex vitam suam incolumem periculo subduxit, execrationes evomeret, cum vero ejusmodi sermones cujusdam Cardinalis Sacellanus effunderet, adeo non a suo Domino objurgationem, debitamque pœnam accepit, ut potius applausum promereri videretur. Verbo, non alia ex caussa Adrianus populi invidiam in se concitabat, quam quod publicis conviviis non uteretur, sed veluti Religiosus privatim vescerentur, atque in omnibus parce, satque frugaliter viveret, quæ agendi ratio, cum a suorum Prædecessorum fastu longe quidem aliena, Sanctis tamen primorum sæculorum Pontificibus apprime consona esset, hinc plerisque ansam dedit, ut iniquo prorsus judicio dicerent: *Adrianus fuit sane optimus Sacerdos ac Christianus, sed Pontifex revera mediocris.*

Pallavic. hist. Conc. Trid. l. 2. c. 9.

§. CI.

Sæcul. XVI.
A. C. 1523.

§. CI.

Adriani Papæ opera.

Scripsit Adrianus quædam opera, quorum excellentia inter Scriptores Ecclesiasticos numerari promeritus est; edidit enim, cum Lovanii Professor sacræ Theologiæ adita reseraret, in quatuor sententiarum libros quasdam expositiones, quas ut Pontifex iterato prælo subjici jussit, nil in illis immutari passus, ne quidem illam sententiam, qua asseruit, quod Papa non sit infallibilis, sed in quæstionibus etiam ad fidem spectantibus errare possit. Elucubravit insuper duodecim quæstiones, ab eo inscriptas: *Quæstiones quodlibeticas* quæ Lovanienſibus Anno Christi millesimo quingentesimo decimo quinto, & Parisiensibus literis sequenti, ac demum Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo primo excusæ prodierunt. Composuit itidem præter sermonem de superbia adhuc libellum, cui titulus: *Computus hominis agonizantis*, quos tractatus cum adhuc Lovanii Theologiam doceret, publici juris fecit, dein Pontificem factum haud alia scripsisse constat, quam epistolas ad Marcum Marullum, Germaniæ Principes, ac præcipue ad Fridericum Saxoniæ Electorem, quem

Auctor oper. chronol. & nomencl. Card.

Saecul. XVI. A.C. 1523.

quem impense monet, & urget, ne Martinum Lutherum foveret, sed e ditione sua expelleret. Ceterum Adrianus sepultus fuit in ædibus S. Petri inter Pium II. & Pium III. Pontifices in tumulo haud magnifico repositus, cui insculpta erat hæc inscriptio: *Hadrianus VI. hic situs est, qui nihil sibi infelicius in hac vita, quam quod imperaret, duxit.*

Ducheſne vies des Papes Adrien. VI p 385. Ciacon. to. 3. p. 438.

Porro Enckenvordius Cardinalis egregiam gratissimi animi liberalitatem eidem exhibuit, atque ob accepta beneficia magnifici operis sepulcrum elegantissimis sculpturis atque ectypis ornatum non multo post extruxit, quod in Germanorum Ecclesia ad S. Mariam de Anima collocatum fuit, cum prolixa admodum sepulcrali inscriptione, quæ vitæ ac dignitatum, quibus Papa inclaruit, summam exhibet.

§. CII.

Cardinales pro eligendo Papa Conclave ingressi.

Justis de more Adriano persolutis, Cardinales numero triginta sex conclave ingressi sunt, cujus custodiam Magno Rhodiorum Magistro commiserunt, qui hoc munus cunctis Equitibus suis rubra toga, ac Cruce candida insignitis stipatus auspicari voluit.

§. CIII.

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

§. CIII.

Medicæus & Columna Cardinales Pontificatus Competitores.

Inter Cardinales præcipui erant Medicæus, & Columna, quorum uterque ſibi adhærentes numerabat, indeque ingens æmulatio exoriebatur; quamprimum enim unius factio prævalere videbatur, mox alterius ſautores illam imminuere, ſuam vero augere omni ope & opera adlaborabant. Ceterum diverſa ſuffragantium ſtudia ferme in nullum alium præter Mædicæum & Columnam ferebantur, eoquod ambo præ cæteris meritorum amplitudine, aut ſaltem generis nobilitate atque opulentia emineret; cum autem hi duo Competitores alter alteri viam ad Papatum obſtrueret, veteres Cardinales Columnæ devoti hoc diſſidium pertæſi nova rurſum inibant conſilia, ut ad ſuas partes duos pertraherent Cardinales, quorum ſuffragia legitimæ illius electioni deerant; aſt horum conatus juniores Medicæo addicti eludebant, nam ut illorum vota diſtraherentur, Medicæus per ſautores ſuos Urſinum Cardinalem, qui Pompæi Columnæ capitalis erat inimicus, eligendum propoſuit. Iſtius electio, cum Pompejo minus grata eſſet, pro Farneſio

Guicc. l. 15. Onuphr. in vita Pontif.

Sæcul. XVI. A.C. 1523. Cardinale ſuam operam impendit: aſt ſuffragantium numerus juſto inferior erat. Denique Cardinalium potiſſimi harum diſſenſionum, quæ jamjam ultra ſex hebdomadas tenebant, tædio affecti, in pleno Patrum conſeſſu palam declarabant, quod Pontificem tandem eligere, neceſſitas ſuaderet, cum tanta alias mora toti Chriſtianæ Reipublicæ ſummopere noxia foret. Ipſi quoque Cardinales Medicæus, atque Columna ejusmodi contentionibus finem imponere certabant, ac cum ſuis quisque decernebant, poſtera die conſeſſum haud eſſe ſolvendum, niſi prius Papæ electio abſoluta foret; jam enim populus multum conqueri audiebatur, atque ſacrum Collegium rogari faciebat, ut comitia ſua brevi finiret. Altera ergo die ſummo mane plures Cardinales Medicæi cubiculum accedebant, moxque in vulgus rumor ſpargebatur, ibidem Papam fuiſſe renunciatum, ejus tamen nomen adhuc ignorari. Columna, ubi comperat, Medicæum pluribus Cardinalibus ſtipatum e cubili ſuo egreſſum palam dixiſſe, quod vellet Pontificis electionem promovere, haud parum verebatur, ne forte Urſinus Cardinalis eligeretur, quinimo id ſibi eo certius perſuadebat, quo lætiori animo, ac magis hilari vultu eundem penes Medicæum euntem con-

conſpexerat: Igitur penſato horum omnium concurſu Columna, haud temere cenſebat, ſi Medicæum Papatu excludere pertinacius moliretur, hunc abs dubio nil non acturum, ut Urſinus eligeretur: proin ſe coactum iri, ut ad Pontificatus apicem evectum venerari deberet Virum Columnenſibus infenſiſſimum. Hac ratione permotus ſuo quoque ſuffragio in Medicæum conſpiravit; prius tamen ſibi adhærentes induxit, ut excluſo Cardinale Urſino plures alios proponerent, *Res ita ſe habuit*, inquit Pallavicinus, *Pompejus Columna nequiverat impetrare a Senioribus fere cunctis Gallicarum partium, ut Jacobatium promoverent, cauſſantibus, eum eſſe Cæſaris ſtudioſum. Qua re indignatus exclamavit: Ergo partium ductor, non Chriſti Vicarius creandus eſt?* Mox etiam Cardinalem tit. SS. quatuor Coronatorum, magni meriti, ac profundæ eruditionis Virum nominabat, ceterique Cardinales aliis Medicææ factioni addictis, ut in hunc quoque ſua conferrent ſuffragia, perſuadere conabantur; aſt quamvis ipſe Medicæus conſentiret, nihilominus plurimi ejus amici obluctabantur.

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

Pallav. hiſt. Conc. Trid. l. 2. c. 9.

Proponebantur inſuper plures alii, atque inter ceteros Cardinalis Oſtienſis, ejusque electionem probabant non pau-

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

ci, eoquod non modo annorum senio gravis, sed & solida prudentia conspicuus ac publicis negotiis prospere gerendis apprime idoneus esset. Ast Cardinalis de Monte hasce cunctationes pertæsus exclamabat, quod hisce altercationibus nunquam finis imponeretur, nisi nominaretur is, qui Medicæo, Ursino & Columnæ Cardinalibus ex æquo acceptus esset. In eandem quoque sententiam ibat Cæsarinus, proponebatque Farnesium, qui omnibus dotibus ad digne explendam summi Pontificatus dignitatem necessariis præditus erat. Attamen Medicæus memor, quod Columna suæ factioni promisisset, se Medicæi electioni assensurum, verebatur, ne sententiam suam mutaret, id vero, ut impediret Medicæus, rursus Cardinalem Ursinum proposuit, quo audito Cardinalis de Monte medius inter Medicæum, & Ursinum dicebat: „ Papam ut eligeremus, convenimus, jam satis, ni „ fallor, hanc rem distulimus. „ Columna, ubi omnes in querimoniam erumpere cernebat, veritus, ne Ursinus eligeretur, ad Medicæam factionem, quæ jamjam de cubili exire volebat, se convertit, dixitque: „ Quorsum in „ tanto numero abitis? num Cardinalem Ursinum eligere vultis? „ Ad hæc eorum unus respondit: „ Quid Medicæus

„

„ dicæus animo volutet, exacte com- Sæcul. XVI.
„ pertum non habemus, eum tamen in A.C. 1523.
„ id propendere, vero ſimile eſt.„ His verbis augebatur Columnæ inquietudo, jamque in eo erat, ut pro fide data in Medicæi electionem conſentiret.

Rem paulo aliter refert Pallavicinus, hæc ſcribens: *Columna Medicæum nactus petiit, ut aliquem ex juvenibus ſuarum partium proponeret; ſtatim ille duos, vel tres propoſuit, nulla ſui habita mentione. Tum Columna*, Cur, *inquit*, temetipſum præteris? *Cui alter reſpondit:* Nolo pluribus invitis rem meam promovere: *Qua Medicæi moderatione adeo captus eſt Columnæ animus, ut confeſtim, quantum ſatis eſſet ſuffragiorum, ad ejus electionem converterit, ipſusque eidem acceſſerit.* Aſt utut res ſe habuerit, id certum eſt, quod Columnenſis factio in electionem Pontificis conſpirare haud potuerit, eoquod illius caput talem, qui ejus amicis diſpliceret, eligi conſtanter renueret: nunc vero illorum pertinaciam exoſus cum Medicæo in gratiam rediit. Refert Guicciardinus, quod Medicæus arrepto calamo Singrapham exhibuerit, in qua Columnæ præter Palatium ſuum, in urbe magnificentia nulli ſecundum, etiam Vicecancellariatus officium promittebat. *Pallav. l. c.*

§. CIV.

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

§. CIV.

Medicæus Cardinalis in Papam salutatus, ac Clemens VII. dictus.

Cum ergo Columna Medicæo cum septem vel octo suffragiis a suo arbitrio dependentibus accessisset, nulli amplius difficultati obnoxia erat illius electio; unde unanimi omnium suffragio hoc anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio die decima nona Novembris Pontifex salutatus est, postquam conclave menses duos, & amplius tenuit. Agebat tum electus quadragesimum quintum ætatis annum.

Duchesne p. 388. Spond. ann. 1523. n. 25. Guicc. l. 15. Raynald. an. 1523. n. 125. Ciacon. in Clem. VII. tom. 3. p. 443.

Peracta hac electione Sacelli porta aperiebatur, & sacrorum rituum Magister ingredi jussus Neo-electum Papam Pontificio habitu ornavit, postea autem ad aram in sede collocabatur, cujus pedes cuncti Cardinales sacro osculo venerabantur, ubi tenero prorsus affectu singulos amplectebatur. Voluit is proprium Julii nomen retinere, sed ad nonnullorum monitiones, hac religione tactus, quod omnes Pontifices, qui nomen non mutassent, brevi mortem oppetiissent, ipse quoque nimia credendi facilitate devictus Clementis VII. appellationem assumpsit, nulla habita ratione illius Anti-papæ, qui in schismate

te id nominis tuliſſet. Dein cum populo turmatim confluenti bene precaretur, ad Baſilicam S. Petri deferebatur, ſequentibus eum Cardinalibus & populo, ubi itidem honores, quibus in conclavi affectus erat, publice accepit. Sæcul. XVI. A C. 1523.

§. CV.

Hiſtoria Clementis VII. Papæ.

Patrem habuit hic Pontifex Julianum de Medicis, qui Florentiæ Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octavo in conjuratione Pazziorum interfectus obiit, poſt cujus mortem ex quadam fœmina (*), quæ propalam legitima uxor non habebatur, filius poſthumus a vulgo appellabatur Juliani Nothus. Hunc Laurentius, qui cædis periculum in eadem conſpiratione evaſerat, ſumma cura educari juſſit, eumque in proprio ſuo Palatio Magiſtris longe celeberrimis inſtituendum tradidit. Erat cunctis ſuæ familiæ percarus, eo vel maxime, quod lineamentis oris totoque corporis habitu Juliano Patri ſuo ſimillimus eſſet, qui dein primo Hieroſolymitanus S. Joannis Eques & Capuæ Prior creatus eſt, cum vero ejus Patruus

Duchesne hiſt. des Papes p. 381. Ciacon. l. 6.

(*) Pallavicinus Hiſt. Concil. Trid. lib. 2. cap. 10. illam Florentam appellat.

Sæcul. XVI A.C. 1523.

Patruus Julianus de Medicis assumpto Leonis X. nomine, ad Pontificatus apicem ascendisset, hic in ipso coronationis suæ die Julium sacris initiatum, Archiepiscopum Florentinum elegit, quem etiam mense Septembri anno millesimo quingentesimo decimo tertio Cardinalem, ac S. R. E. Pro-Cancellarium designavit. Nec secundæ fortunæ cursus natalium vitio sistebatur, imo ne forte ob id redarguentium calumniam pateretur, natales ipsius legitimi in judicio probati sunt, quamprimum Leo ad Petri Cathedram evectus fuerat, id attestantibus ipso, quem Julii Mater habebat, fratre, necnon quibusdam Religiosis, qui inter Patrem & Matrem minus solemne matrimonium intercessisse affirmabant, cujus valori innixa fœmina statim post Juliani mortem pro legitima uxore habebatur. Porro Leone X. fatis functo Julius Florentiam rediit, inde vero ineunte hoc anno reversus, ibidem magni nominis sui laudem sibi conciliabat, tantumque gratia atque auctoritate apud Adrianum VI. valebat, ut Volateranum Cardinalem (*), qui ejus Ministrorum præcipuus erat, officio suo move-

(*) Erat ille Soderinus, quem per summam ingratitudinem summo Pontifici insidias struxisse, supra lib. 129. §. 68. meminimus.

moveret, ac in arce S. Angeli cuſtodiendum curaret, & illo abhinc tempore cuncta ipſe ſummi Pontificis negotia moderabatur, quo munere tam præclare fungebatur, ut ejus fama, honorque indies magis magisque creſceret, eo potiſſimum nomine, quod omnium Chriſtianorum Principum arma adverſus Turcas unire, ſummo ſtudio adlaboraret. Sæcul. XVI. A.C. 1523.

§. CVI.

Rhodii Equites novi Pontificis præſidio ſuffulti.

Cum fere omnes in electione Julii Medicæi ad ſupremum Pontificatum communi lætitia exultarent, præ omnibus Villerius Liladamus Supremus Rhodiorum Magiſter immodicas gaudii ſignificationes præſeferebat; cum enim hucusque præter Julium nullus ex Ordinis ſui Equitibus ad ſupremam Pontificatus dignitatem evectus fuiſſet, tanti honoris excellentia lætus, haud dubiam ſpem conceperat, fore, ut Neoelectus Papa illius Ordinis, cujus ipſemet membrum fuerat, memor eſſet, eidemque tutum procuraret aſylum, in quo illatum ſibi damnum Equites reparare, ac Chriſtianam fidem adverſus infideles rurſum ſtrenue defendere poſſent. Nec ſua Magiſtrum ſpes fefellit; quippe *Boſio hiſt. equit. Rhod. l. 2.*

Sæcul. XVI A.C. 1523

pe novus Pontifex, quamprimum a ritibus ante & post ejusmodi electionem adhiberi solitis liberum nanciscebatur temporis spacium, mox magnum Magistrum ad plenum Purpuratorum consessum vocavit, ubi Ordinis Pro-Cancellarius ærumnas in obsidione perpessas, ipsamque Insulæ expugnationem, aliaque tam ab obsessis quam a Turcis gesta tam flebili sermone prosequebatur, ut unaomnes commiserationis sensu tacti, lacrimis temperare haud possent, atque ipsemet summus Pontifex pari cum ceteris dolore obrutus polliceretur, se pro viribus suis potens Ordini auxilium certo præstiturum.

§. CVII.

Coronatio Pontificis.

Neo-electus Pontifex, priusquam inauguraretur, literas dedit ad Galliarum Regem, quibus illum de sui electione certiorem reddidit, fidemque fecit, se pro munere Pastoralis sollicitudinis nil non acturum, ut pax & tranquilitas inter Reges ac Principes Christianos restitueretur, ac fides Christiana adversus Turcarum Tyrannidem defenderetur. Præterea spondebat, se omni invigilaturum occasioni, ut affectum, quo Nationem Gallicam prosequeretur, lucu-

luculentis comprobaret argumentis, seque semper illius jura, quamdiu Dei legibus consona forent, toto studio procuraturum. Sæcul. XVI. A C. 1523.

Die vigesima sexta Novembris Clemens a Marco Cornaro S. R. Ecclesiæ Archi-Diacono coronabatur. Sub primis Pontificatus sui auspiciis Ecclesiastica ditio ingenti tranquillitate fruebatur; quippe Ferrariæ Dux, qui sede vacante Reggium recuperaverat, simulque Mutinam rursum sibi subjicere nitebatur, comperta electione Cardinalis Julii Medicæi, quem plurimi habebat, Ferrariam rediit, armaque posuit. Præterea in toto Ecclesiastici Status ambitu nullus vel minimas ciere turbas audiebatur. Verum non eadem felicitatis constantia posterioribus arrisit temporibus, vixque ullus summorum Pontificum recenseri valet, qui gravioribus undique tumultibus agitatus fuit. *Ciacon. pag. 445. & Oldoini in addit Ciacon. p. 458.*

§. CVIII.

Inventio corporis S. Thomæ Apostoli.

Sub Prædecessoris sui Pontificatu hoc anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo tertio Lusitani (ut fertur) Meliaporæ, maritima urbe Orientem versus in Indiis sita, corpus S. Thomæ Apostoli repererunt: Cum enim iidem jam

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

antea quamdam inscriptionem invenissent, quæ hunc Apostolum ad pedem cujusdam Crucis, quam in eadem civitate erexerat, lancea perfossum fuisse testabatur, Joannes III. Lusitaniæ Rex Eduardo Mnesati in Indiis Pro-Regi negotium dedit, ut in sacrum hoc corpus inquireret. Eduardus Emanuelis Friæ industriam selegit, qui etiam sub antiquæ urbis Meliaporanæ ruderibus in quodam Sacello ab eodem Apostolo, ut ferebant incolæ, extructo, hujus Sancti corpus reperit.

Maffee hist. Ind. l. 8. Kircher Chin. illust. p. 91. Turselin. vita Xaver. l. 2 c. 14. Baron. an. 256. n. 5. Spond. ann. 1523. n. 23. Baillet. vie de S. Thom. t. 3. p. 250.

Referunt Historici, quod inventum illud fuerit, alte defossum in arca lapidea unacum cuspide de lancea, qua martyrium consummavit, præter quam etiam ibi reperiebatur vas fictile & frustum baculi, quo viatores utuntur. Insuper inventa quoque fuere corpora Sagami Regis a S. Thoma ad fidem conversi, & alterius Discipuli. Hujus inventionis felicitate animatus Lusitaniæ Rex Meliaporam, quam post hæc S. Thomæ urbem vocari voluit, reædificari jussit. Paulo post tam S. Apostoli, quam Sagami Regis corpora Goam, quæ Metropolis est versus Occidentalem plagam ad Peninsulam sita, fuere delata, ubi hæ sacræ Reliquiæ hodiedum in Ecclesia huic Sancto nuncupata ingenti populorum Religione asservari dicuntur.

§. CIX.

§. CIX.

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Ingens schisma Ecclesiæ Constantinopolitanæ.

Sub idem tempus in Ecclesia Constantinopolitana ob Patriarchatum ingens schisma exortum est: Cum enim Jeremias Patriarcha Theoleptis Joanninensis Episcopi Successor Jerosolymam ad Sepulcrum Domini peregrinaretur, nonnulli ex Clericis, qui eidem infensi erant, illius absentia freti Joannicium Sozopolitanum Episcopum in Jeremiæ locum intrudi curarunt, ac quingentos omnino aureos ultra solitum tributum dederunt, ut Sultanum Solimanum II. suis votis propitium redderent; unde Græcorum ambitio hoc tributum jam ad quatuor aureorum millia evexit. Verum cum Jeremias Jerosolymis redux alterius intrusionem comperiisset, atque aliunde sibi compertum haberet, quod Joannicius nobilitati, & populo, nec non plurimis e Clero execrationi esset, ideo illum unacum omnibus iis, quorum suffragiis Thronum invaserat, anathemate perstrinxit, dirisque devovit, hancque pœnam a tribus aliis Orientalibus Patriarchis, qui ad eum convenerant confirmari voluit: Igitur ejecto Joannicio Jeremias per potentes Ibraimi

Spond. ann. hoc n. 27. & ann. 1523 num. 15.

Secul. XVI A.C. 1523.

Bassæ amici sui favores Sedi restitutus est, ea tamen lege, ut quingentos illos aureos, quos Joannicius addiderat, penderet. Id cum Jeremias constanter recusaret, & potius Patriarchatu abire vellet, populus tributi augmentum ejus loco solvere promittebat, & Jeremiam cum ingenti gaudio in Throno collocabat: Joannicius vero paulo post excommunicationi immortuus ac in modum tympani inflatus repertus est.

Turcograecia l. 2.

§. CX.

Plurium Cardinalium obitus, ac praeprimis Sedunensis, seu Matthæi Schinneri.

Ciacon. in Jul. II. t. 3. p. 292. Victorel. ib. Paul. Jov. in elog. Franc. Aug. ab Eccles. in hist. Ped. Aubery vies des Cardinaux.

Numerantur hoc anno seu priori ad finem vergente sex Cardinales fatis functi. Inter eos primus est Matthæus Schinner, seu Sheinner, qui ex antiquissima atque illustri familia in Vasia a priscis Zmitweg dicta ortum duxit, dein is Nicolao Schiner ejusdem Patruo Sedunensem Ecclesiam tenenti subrogabatur, eratque Præsul inter præclarissimos ævi sui Viros facile princeps, magna rerum humanarum prudentia præditus, nullo labore fractus, ac Sedis Apostolicæ necnon Imperii obsequio addictissimus, Gallis vero valde infensus, ut supra perspeximus: Unde Franciscus

I.

I. Galliarum Rex perſæpe dicere ſolitus erat, *plus ſibi periculi Matthæi Sedunenſis facundiam, quam tot Legionum ejus gentis cuſpides attuliſſe.* Obiit Romæ Menſe Septembri juxta nonnullos Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo, quamvis Ciaconius ejus obitum ad ſecundam Octobris, alii vero Scriptores ad Decembrem rejiciant. Sæcul. XVI. A. C. 1523.

§. CXI.

Petruccii Cardinalis extrema.

Alter ex Cardinalibus, qui itidem mortui ſunt, erat Raphael Petruccius Nobilis Senenſis, percelebri Alphonſo Petruccio Suannenſi Epiſcopo proxime ſanguine junctus. Patrem is habuit Pandulphum Petruccium, a Julio II. Papa Anno Salutis milleſimo quingenteſimo undecimo Cardinalium Collegio adſcriptum, qui Borgheſii Petruccii frater defuncto Patre ſuo Senenſem Principatum poſſederat, matrimonio junctus Victoriæ Piccolominææ, quæ per quinquaginta ſex annos Vidua omnium, quæ ſexus ſui conditionem magis exornant, virtutum ſplendore eminuit, in matrimonio autem procreavit Agnetem de Petrucciis, quæ Alexandro Socino deſponſata infelicem genuit filium Fauſtum Socinum, de quo infra ſermo redibit. Ce-

Aubery l. c. Ciac. p. 349. Paul. Jov. in vit. Leon. X. Cabrera in elog. Card. Bembo in ep.

Sæcul. XVI A.C. 1523

terum Raphael Petruccius Arcis S. Angeli Præfectus ex Episcopo Grossetano absens Cardinalis tit. S. Susannæ renunciabatur, quem summus Pontifex plurimis cumulabat beneficiis, eidemque pinques reditus, & propriam Domum ad portam Vaticanam donavit. E vita migravit Senis in villa Bibbiani die decima septima Septembris, vel Decembris (ut testatur Ciaconius) Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo, ſepultusque eſt in Templo FF. Prædicatorum, ubi hodiedum ſepulcralis ejus inſcriptio viſitur.

§. CXII.

Mors Cardinalis Bernardini de Carvaiallo.

Ciac. p. 170. Andre Vitt. ibid. Ughel. in Ital. Sacr. Panvin. de Rom. Pont. Aubery l. c.

Tertius erat Bernardinus Carvaiallus Cardinalis ad S. Crucem, Chartaginenſis Epiſcopus, natione Hiſpanus, patria Placentinus, & alterius Cardinalis ejusdem nominis Nepos, qui Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo nono mortuus eſt. Bernardinus ſtudiis operam navabat tum in Hiſpania, tum in Italia, ubi ſub Cardinalis Patrui ſui cura ad Curiæ Romanæ leges educatus fuit, ibidemque tantos progreſſus fecit, ut ab Innocentio VIII. qui Viri merita ſibi perſpecta habuit, Nun-

Nuncius Apoſtolicus in Hiſpaniam legaretur, ubi Ferdinandus Rex Catholicus, atque Iſabella eidem tanquam Legato ſuo Regni negotia Romæ procuranda commiſerunt, quod munus ipſe integra fide præſtitit. Dein Innocentio fatis functo, pro ſolemni auſpicio conclavis, cujus cuſtodia ei demandata eſt, orationem habuit, atque ab Alexandro VI. qui in hisce comitiis Papa renunciatus eſt, Anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio inter Cardinales Presbyteros cooptatus fuit. Erat tum Chartaginenſis Epiſcopus, prius vero Aſtruicenſem, & Pax-auguſtanam, demum Seguentianam & Placentinam Eccleſias rexit. Ejus quoque dexteritate utebatur Alexander VI. ut armorum ſocietatem inter Regem Romanorum, Venetos, ac Mediolani Ducem foveret. Poſtea eandem ob rem in Germania legatione fungebatur ſub Julio II. a quo cum ſe offenſum exiſtimaret, Piſas feceſſit, ibidemque aut vindictæ cupidine, aut ambitione incitatus ad partes Ludovici XII. Galliarum Regis, Maximiliani Imperatoris, aliorumque Principum, qui cum Papa ſimultates habebant, defecit, ac conjuratione cum quibusdam Cardinalibus, pluribusque Prælatis facta Anno milleſimo quingenteſimo undecimo Piſis conciliabulum

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Guicc. in hiſt. Thomas Coſtus in hiſt.

Sæcul. XVI A. C. 1523

bulum contra Papam indixit: quare Julius Viri temeritatem vehementer indignatus, illum in Concilio Romæ convocato purpura indignum declarabat, quem tamen Leo X. Anno post Christum natum millesimo quingentesimo decimo tertio pristinis honoribus restituit. Demum regnante Adriano VI. honorificis fungebatur officiis, & Cardinalis Ostiensis, ac sacri Collegii Decanus renunciabatur; Anno autem millesimo quingentesimo vigesimo secundo die decima sexta Decembris mortalitatem exuit, annos natus sexaginta septem: sepultus est in Ecclesia S. Crucis in Jerusalem.

§. CXIII.

Adriani Gouffier alias Boisii fata.

Ciac. p. 344. Aubery l. c. Claud Robert Gallia Christ. Frizon in Gall purp. Joan. Chenu de episc Gal. Ughel in addit. ad Ciac.

Quartus, quem sacrum Purpuratorum Collegium hoc anno luxit, erat Adrianus Gouffier, alias Boisius. Is Patrem habuit Guilielmum Gouffier Boisy Dominum, qui primum Regi a Cubiculis, Sanctonensis Rector, necnon Caroli VIII. Regis, Annæ de Beuil, & Ludovicæ de Ambasia, quæ erat Calvimontii Principis filia, Gubernator extitit. Adrianus ex secundo Patris sui thoro genitus primo Thoracii Decanus, Burgolienſis, Cormeryensis, Deolsensis & S. Florentii Abbas, postea Constantien-

sis

sis in Normannia, & Albiensis Episcopus, ac demum Cardinalis nominatus est, ad tam amplas dignitates potissimum evectus per favores fratrum suorum, Magni Franciæ Magistri, & Admiralis. Ipse etiam Franciscus Rex in colloquio Bononiensi pro eo apud Leonem X. interceſſerat, ut purpura decoraretur, quam etiam Papa illi in secreto Patrum Senatu die decima quarta Decembris Anno milleſimo quingenteſimo decimo quinto conceſſit, & ne quid ampliſſimæ dignitati deeſſet, eidem quarto poſt anno in Gallia Legati Apoſtolici vices demandavit. Rebus humanis ereptus eſt in caſtro Villædei ad Ingerim Exodunensis ditionis die vigeſima quarta Julii Anno Salvatoris milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio. Corpus ejus delatum fuit ad Abbatiam Burgolienſem, ubi ſepulturam ſelegit.

Sæcul. XVI. A.C.1523.

§. CXIV.

Grimani Cardinalis obitus.

Quintus erat Dominicus Grimanus patria Venetus, Portuenſis Epiſcopus, & Patriarcha Aquileienſis, Antonii Grimani, qui defuncto Leonardo Lauredano Venetæ Reipublicæ Dux erat, filius, natus die vigeſima prima Julii, anno ſupra milleſimum quadringenteſimo

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

sexagesimo tertio. Præfuit is admodum juvenis præclaris omnino officiis, a Republica quoque selectus, ut cum tribus aliis Nobilibus Fridericum IV. per Venetorum ditionem comitaretur: Anno autem Salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio Mense Septembri ab Alexandro VI. Cardinalis creatus perennem sibi laudem comparavit ob amorem Antonio Grimano Patri suo exhibitum; nam hic eo tempore S. Marci Procurator, ac navalis exercitus Dux, maximi meriti Vir, cum a Turcis profligatus Naupactum deditione cederet, in carcerem detrusus, durius habebatur: verum ejus filius pro Patre in vincula conjici petiit, cum autem id ei a Judicibus negaretur, omni, quo potuit, obsequio Patrem veneratus, carceris scalas ascendentem adjuvit, suisque manibus compedum pondera sustinuit, precibus contendens, ut in ipsa Cardinalis purpura Parenti suo inservire permitteretur. Post hæc ille, cum e Patria exulatum abire cogeretur, Romam ad filium Cardinalem contendit, a quo receptus, omni sollicitudine alebatur, donec invidia in eum venetiis conflata deferveseeret. Postea patriæ redditus, Lauredano Venetorum Duce fatis functo, unanimi omnium consensu jam ferme nonagenarius ipse Reipublicæ Princeps creatus est.

Ciac. p. 180. Franc. Sansovin. in hist. Ven Ugh. in Ital. sacra. Scipio Ammirat in hist. Florent. Pauvin. de Rom. Pont. Aubery l. c. Paul. Jov. in elog. l. 5. Addit ad Ciacon. p. 181. Spond hoc anno n. 24.

est, quam dignitatem viginti circiter mensibus gessit, eique Andreas Grittus successit. Porro Grimanus Cardinalis præclara admodum obsequia Reipublicæ præstitit. Obiit eodem, quo Pater suus, Anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio die vigesima septima Augusti, annos natus sexaginta tres, sepultusque est Romæ in Ecclesia S. Marci, in qua sibi suæque familiæ sepulcrum paravit. Ceterum vir erat literis addictissimus, & Bibliothecam octo millium voluminum instructissimam habuit, ac ipsemet non nulla ingenii sui monumenta reliquit nondum tamen typis impressa, inter quæ numerantur quædam Homiliæ S. Joannis Chrysostomi ex Græco in latinum versæ.

sæcul. XVI. A C. 1523.

§. CXV.

Grassi Cardinalis extrema.

Ultimus denique ac sextus erat Achilles Grassus Bononiæ, ac Civitatis-veteris Episcopus ex quadam nobilissima Bononiensium familia ortus: operam navabat tam Canonicæ, quam civili jurisprudentiæ, tantamque doctrinæ laudem sibi comparabat, ut Romæ audiendis Rotæ caussis præficeretur, ac paulo post Civitatis-veteris Episcopatu augeretur. Decreverat quoque illum Julius

Ciac. p. 296. Sigon. de Ep Bon. l. 4. Ugh. in Ital. sacra. Panvin. de Rom. Pont. Aubery l. cit.

Sæcul. XVI A.C 1523.

Julius II. Sedis Apoſtolicæ nuncium ad Gallos, Helvetios, ac denique ad ipſum Maximilianum I. Cæſarem, eumque Anno milleſimo quingenteſimo undecimo Cardinalem, poſtea Bononienſem Epiſcopum nominavit, non ſine ingenti popularium ſuorum lætitia, qui eum cum ſumma pompa, ac maximis gaudii ſignis exceperunt. Inſtauravit is ibidem Epiſcopalem aulam, quam Galli a Bentivoliis acciti combuſſerunt. Dein a Leone X. Conclavis theſaurarius electus, pro officii ſui munere quotanis ſolemne anniverſarium pro Cardinalibus vita functis celebrari propoſuit, quod effectui datum atque hodiedum religioſe obſervatur. Mortuus demum Somæ die vigeſima ſecunda Novembris Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio, & ſepultus eſt in Baſilica S. Mariæ Trans Tyberim. Illius obitus diem Ciaconius, & Garimbertus ad vigeſimam nonam ejusdem menſis revocant. Ad Achillem Graſſum datæ leguntur nonnullæ Leonis X. literæ, quas Cardinalis Petrus Bembus ſuæ epiſtolarum collectioni inſeruit.

§. CXVI.

Antonii Nebriſſenſis mors.

Anno priori diem ſupremum obiit ſecunda

da Julii Antonius de Nebrissa, ita nominatus a natali solo, quod est oppidum Quadalquiviræ in Andalusia situm, & a latinis *Nebrissa* dictum, unde hic Scriptor *Nebrissensis* cognomen adeptus est. Primam lucem aspexit Anno Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, ejus Pater fuit Joannes Martinus de Cala, Mater vero Catharina deXanara. IsStudiorum curriculo Salmanticæ emenso, Bononiam venit, ubi in Collegio Hispanorum, quod Cardinalis Albornozius erexerat, literis humanioribus, jurisprudentiæ, linguis, ac Rhetoricæ operam dedit, postmodum vero ad Alphonsi FonsecæHispalensis Archiepiscopi preces in Hispaniam reversus, latini sermonis barbariem eliminare conabatur, atque in Universitate Salmanticensi viginti octo propemodum annis Grammaticam, necnon Rhetoricam publice tradidit, atque Regum Hispaniæ historiam conscripsit. Demum operam suam Ximenio Cardinali sacrabat, a quo ad Complutensem Universitatem admissus Polyglottam illius elaborare jussus est. Ex uxore sua, quam Salmanticæ duxerat, sex filios suscepit præter unicam filiam, quam omnis generis scientia ita erudivit, ut Patre suo Compluti docere præpedito, ipsa ejus vices ageret, & publice prælegeret.

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Dupin. Bibl. des Aut. tom. XIV. p. 120. Nic. Anton. Bibl. Hisp. tom. I. p. 106. & 107. Claud. Verd. omn. Aut. p. 30.

§. CXII.

Sæc. XVI. A.C. 1523.

§. CXVII.

Nebrissensis opera.

Baillet. jugem. des Scav. tom. 3. pag. 81.

Posteritati reliquit Nebrissensis Lexicon Latino-Græco-Hebraicum & Rhetoricam ex Aristotele, Cicerone, & Quintiliano excerptam, necnon varios commentarios in Virgilium, Persium, Juvenalem, & Plinium, item in hymnos Prudentii edidit. Insuper tractatus de ponderibus, mensuris, & priscorum numeris scripsit, & Cosmographiam, Lexicon de jure, & Medicina: *duas decades rerum a Ferdinando & Isabella Catholicis Regibus gestarum*, necnon duos libros de bello Navarrico composuit. Ceteris vero Theologicis ejus operibus palmam præripuit ipsius *explanatio critica in sacræ Scripturæ loca*, quam in centum quinquaginta animadversiones divisit, earum tamen nonnisi quinquaginta ad nos pervenerunt Parisinis, Antwerpiensibus, ac Basileensibus literis excusæ, ac libro de magnis Angliæ criticis insertæ habentur. Ibidem exponit singulares verborum sensus, propriaque nomina, quorum in sacro Codice occurrentium significatio vel incognita, vel perperam a latino interprete versa fuit. Crisin adhibet in hoc opere ingenti prorsus eruditione copiosam, ac curiosissimis

mis profanorum Scriptorum citationibus refertam. Adscribuntur etiam eidem quædam Homiliæ, expositio hymnorum & Orationum, quæ in Ecclesia decantari solent. Præterea quosdam ex epistolis D. Pauli, S. Petri & SS. Jacobi & Joannis, necnon ex Prophetis textus dilucidavit, ac collectionem Homiliarum in Evangelia scripsisse fertur. Sæcul. XVI. A.C. 1523.

§. CXVIII.

Palinodia Arnoldi de Bornossio Ord. FF. Eremitarum S. Augustini.

Hoc anno die septima Mensis Julii Pater Arnoldus de Bornossio ex Ordine FF. Eremitarum S. Augustini Theologiæ Doctor ex Parisiensis Facultatis Theologicæ jussu quasdam revocavit propositiones, quas in Scholis epistolam D. Pauli explicando protulit. Erant autem sequentes: *I. Videtur post contritionem & satisfactionem Deus a peccatoribus nullam requirere pœnam aut satisfactionem, eoquod Christus sufficienter pro peccatis nostris satisfeciſſet, & debitam persolvisset pœnam. II. Videtur, non fieri in dimissione culpæ mortalis commutationem pœnæ æternæ in temporalem, sed potius ubi culpa dimittitur, simul & merito passionis Christi omnis pœna tollitur. III. Non propter* *Argent. Collect. jud. t. 1. p. 403. Dupin. Bibl. des Aut. Ecc. t. 12. p 213.*

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

pter alia peccata poni debet purgatorium, quam propter peccata mortalia oblita, & venialia, de quibus nulla habetur contritio. IV. Nec libri Machabæorum, in quibus de purgatorio fit mentio, de Canone sunt apud Ecclesiam.

Cum igitur Facultatis Doctores perbene nossent, hasce propositiones die sexta Julii post meridiem ab hoc Religioso publice tradendas, ideo illum hora matutina die lunæ adesse jusserunt, præcipientes, ut has propositiones nullatenus proferret, sed D. Paulum juxta mentem Ecclesiæ explicaret.

Cum vero Religiosus huic mandato integra side non obsecundasset, Doctores circiter numero quadraginta, cum ex ejusmodi doctrina Auditorum non paucos fuisse offensos comperissent, altera die, quæ erat feria tertia, hora septima congregati unanimi omnium consensu decreverunt, quod hic Religiosus eadem die in lectionibus suis, quibus Decanus aliique Deputati, necnon Universitatis Ministri Apparitoribus (Bidellos vulgo vocant) virgas suas tenentibus adessent, clara voce, eoque tenore, quo præscriberetur, rursum doctrinam suam revocaret: si vero id renueret, ei pœna perjurii, ac perpetuæ expulsionis a Facultatis gremio indiceretur, si tamen

men vero adhuc pertinax perſiſteret, ad graviora juris remedia recurreretur. Attamen Frater Arnoldus ſe doctrinam ſuam revocaturum ſpopondit: Ergo hora præſtituta Decanus aliique duodecim Magiſtri Fratrum Auguſtinianorum Conventum accedunt, eisque, atque aliis Viris genere, ac ſcientia conſpicuis præſentibus Arnoldus retractationem ſuam perlegit hunc in modum: *I. Poſt contritionem & confeſſionem a peccatoribus regulariter Deus pœnam requirit ſatisfactoriam. II. In remiſſione culpæ mortalis pœna æterna in temporalem commutatur. III. Purgatorium aſſeritur non ſolum propter peccata oblita, & venialia non contrita, ſed & propter alia, de quibus nondum Deo plene ſatisfactum. IV. De libris Machabæorum ſatis exploratum eſt, pro Canonicis illos haberi.* Jubebatur inſuper profiteri, *Eccleſiam Univerſalem nunquam erraſſe in fide, nec unquam docuiſſe, quod Virgo glorioſa fuerit concepta in peccato originali.* Sæcul. XVI. A.C. 1523.

§. CXIX.

Ludovicus de Berquin hæreſis accuſatus.

Eadem Facultas hoc anno itidem damnavit libros Ludovici de Berquin. Is erat Nobilis Flander, ſeu potius Artheſinus, Vir ceteroquin probus, in ami- *Beze hiſt. Eccl. l. 1. Creſpin. hiſt. martyr. Eraſ. l. 24. ep. 4. p. 1277. & l. 30. ep. 48.*

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

cos suos liberalis, erga pauperes beneficus, & exacte boni Catholici partes explens: Cum vero Monachis, ac Theologis Scholasticis plus æquo offensus esset, & tam hos quam illos liberiori lingua proscinderet, primo graves adversus eum movebantur querelæ, postea tanquam hæreticus, ac Lutheri fautor accusabatur: Præcipue autem illi crimini dabatur, quod Verbi divini Præconum consuetudinem reprobasset, qua neglecta Spiritus sancti invocatione, Beatissimam Virginem invocarent, in hoc tamen haud graviter errasse videtur. Pariter eidem objectabatur, quod doceret, Virginem Mariam non esse appellandam fontem gratiæ, nec in vespertina Antiphona salutandam esse his verbis: *Vita nostra, & spes nostra, id enim*, ajebat ipse, *aptius convenit Christo, nec ejusmodi consuetudini sacræ Paginæ suffragantur.* Denique accusabatur, quod nonnullos Erasmi libros non modo Gallice reddiderit, sed etiam plura de suo adjecerit.

§. CXX.

Berquini libri a Parlamento suppressi, & caussæ hujus judicium ad Facultatem remissum.

Argent. l. c. p. 406. Hujus caussæ cognitionem in se suscepit Parlamentum, ac die decima tertia

tertia Maji Berquini libros aufferri, atque ad Pariſinam Theologiæ Facultatem, ut de iis judicium ſuum proferret, deferri juſſit. Reperiebantur in domo liber de abroganda Miſſa, aliaque Lutheri & Melanchtonis opera præter ſeptem vel octo tractatus, quos ipſemet conſcripſit: uti ſunt: *Speculum Theologaſtrorum de uſu, & Officio Miſſæ; Rationes Lutheri, quibus omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes ſuadere molitur; Certamen inter pietatem & ſuperſtitionem* Alii præterea inveniebantur libri, ab eo Gallice redditi, quales erant: *Rationes, propter quas Lutherus Decretales, ceterosque Juris Pontificii libros publice igni tradidit; Trias Romana; & Paradiſus Papæ* præter alios quosdam tractatus: Igitur Facultas Theologica in hisce libris a ſe examinatis hæreſes, ac Lutheri blaſphemias diſertis verbis contineri pronuntiavit, hocque ſuum Judicium ſexta die vigeſima ſexta Julii Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio deſuper dedit, & illud ad Parlamenti Curiam direxit. Demum, poſtquam quemlibet Berquini librum ſpeciali cenſura perſtrinxerat, concluſit: *Omnes illius libros eſſe igni concremandos: ipſum vero Berquinum, quoniam Lutheranæ impietatis accerrimus eſſet propugnator, ad publicam abjurationem via juridica compellendum; eidemque prohi-*

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

Chevill. de Corig. de l'imprim. p. 176.

Secul. XVI. A.C 1523.

bendum, nec posthac attentet componere, aut e latino in vernaculum sermonem quicquam transferre, quod in præjudicium fidei catholicæ vergat.

§. CXXI.

Hujus caussa per Parlamenti edictum ad Parisiensem Episcopum delata.

Argent. l. c. Chev. l. c. Ex 1. Regist. MS. censur. sacræ Facult. Par. fol. 100 & 179.

Hanc in rem Parlamentum promulgato edicto præcepit, ut facultatis sententia Berquino significetur: Ille autem ad Doctorum judicium tam calamo, quam lingua præsentibus etiam Judicibus respondit, hinc cognita illius pertinacia die prima Augusti captus est, & quarto post die aliud edictum adversus eum hunc in modum emanavit. *Examinatis a Curia quibusdam libris a Ludovico Berquino nunc in carcere incluso compositis, vel Gallice redditis, constat, quod præfatus Berquinus hæresin ac damnatam Martini Lutheri doctrinam velit sequi, ac tenere: quapropter ejusmodi libri Curiæ jussu, & petente Procuratore Generali ad illius forum delati, necnon præsentibus Berquino, ac quibusdam Consiliariis ad id deputatis Doctoribus Parisiensis Theologicæ Facultatis traditi fuere: Visis igitur judicis ac præfatæ Facultatis deliberatione, ipsisque Berquini responsis scripto ab eodem Procuratore Generali exhibitis, postquam cuncta*

cuncta ista Procuratori Generali per edictum Curiæ tradita, & ipse Berquinus iterato in pleno Curiæ Consessu auditus fuisset, præcepit eadem Curia, ut Ludovicus Berquinus unacum libris suis ad Parisiensem Episcopum remittatur, qui duos dictæ Curiæ Consiliarios, ac nonnullos Facultatis Theologicæ Doctores advocet, ut communi opera circa ipsum factum, & crimina, de quibus accusatur, sententia feratur. Post hæc die octava Augusti Rex Berquinum ex Episcopali carcere per Fridericum Tribunum extrahi, caussamque ad Regium Consilium evocari jussit, ubi a Cancellario judicatus ac condemnatus fuit, ut quasdam propositiones hæreticas abjuraret, quod & præstitit. Sæcul. XVI. A. C. 1523.

§. CXXII.

Parisiensis Parlamenti edictum adversus Lutheri libros.

Die duodecima Mensis Augusti eodem Anno Parlamentum adversus Lutheri libros aliud promulgavit edictum hujus tenoris: Cum Procurator Generalis libros a Martino Luthero compositos, utpote pluribus erroribus ac damnatis hæresibus refertos comburi postulasset, omnibus & singulis cujuscunque status ac conditionis prohibemus, ne præfatos libros & Lutheri doctrinam vel *Argentre pag. 407.*

Sæcul. XVI
A.C. 1523

retineant vel allegent, quocirca singulis præcipimus, ut intra triduum ad Curiæ nostræ forum prædictos libros afferant, atque deponant, sub pœna carceris, & bonorum proscriptionis Laicis, Ecclesiasticis vero sub pœna exilii extra Regnum, & proscriptionis bonorum temporalium. Statuimus igitur, *ut perspectis Theologicæ Parisiensis Facultatis judicio hac de re lato, necnon præfatis libris, ac conclusionibus a Procuratore Generali scripto datis, omnes libri a Luthero compositi tanquam damnati in atrio Templi ad Beatam Virginem publice igni concrementur, atque ut hoc fiat, Regis ac Curiæ nostræ auctoritate singulis cujuscunque status ac conditionis præcipimus, ut omnes, quotquot habent, Lutheri libros sequenti feria sexta ad præfatum locum & forum deferant, ac relinquant, quo termino evoluto pœnam incurrant bonorum confiscationis, & proscriptionis a Regno. Injungimus quoque cunctis Judicibus, & Ministris, ut omnes illos, quos aut dicti Lutheri doctrinam tenere, vel allegare, aut illius libros retinere deprehenderint, comprehendant, captosque velut de hæresi suspectos Episcoporum manibus consignent.* Hoc edictum in præcipuis Urbibus Parlamenti jurisdictioni obnoxiis, veluti Parisiis, Lugduni, aliisque civitatibus promulgatum fuit.

§. CXXIII.

§. CXXIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Aliud edictum contra Melanchtonis libros.

Eodem die Parlamentum per edictum prohibuit, ne quisquam doctrinam in Philippi Melanchtonis libris contentam retineat, alleget, vel defendat, indicta centum marcarum argenti pœna, necnon arbitraria castigatione. Mandavit insuper, ut ejusmodi libri ad Curiæ tribunal deferantur, ac Parisiensi Episcopo tradantur, qui convocatis quibusdam Facultatis Parisinæ Doctoribus hos libros discutiant, ac judicium suum desuper ferant. Igitur vi hujus edicti Theologica Facultas Melanchtonis libros examinavit, eosque damnavit, tanquam plurima continentes dogmata, quæ sanæ doctrinæ, vero illius sensui, Conciliis, atque Universalis Ecclesiæ fidei, necnon Catholicorum Doctorum sententiæ omnino contraria sunt: Præterea eosdem libros propositionibus schismaticis, hæreticis, & jamjam damnatis plenos esse, ac perversa Lutheri dogmata continere declaravit, ut proin vel ideo magis noxii forent, quod Auctoris nomen suppressum, & sermonis nitore conspicui essent.

Argent. l. c. Ex 1. Regist. Fac. Paris. fol. 200.

Sæcul. XVI. A. C 1523

§. CXXIV.

Censura Facultatis Theologicæ contra hos libros.

Argentre l. cit. p. 408.

In hac censura, quæ die sexta Octobris Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo tertio lata est, libri a Facultate damnati speciatim nominantur; nimirum: *Loci communes rerum Theologicarum, Liber commentariorum in epistolam D. Pauli ad Romanos, & in duas epistolas ad Corinthios;* liber, qui inscribitur: *Adversus furiosum Parisiensium Theologastrorum Decretum;* Alius, cui titulus: *Philippi Melanchtonis declamatiunculæ duæ in D. Pauli doctrinam. Alia epistola ejusdem Melanchtonis de Theologica disputatione Lipsica.* Ex quovis hoc libro Facultas quasdam extraxit propositiones, quas singulari nota condemnavit, ut censuræ suæ æquitas magis eluceſcat.

§. CXXV.

Propositiones damnatæ ex Melanchtonis operibus excerptæ.

Igitur ex libro *de locis communibus* septendecim excerpsit propositiones, quas inter prima est: *Palam hæretica est Constitutio:* ad abolendam, de Hæreticis. *Quæ execratur omnes, qui de Sacramentis*

mentis aliter sentiunt, aut docent, quam vel docet, & observat Romana Ecclesia. II. Lugdunense Concilium, quia libros Decretalium comprobavit, pro impio haberi debet. III. Non est Christianus, qui litigat: seu contendere judicio Christianis non licet. IV. Ipsos Sacerdotes quoad lites pertinet & judicia, subjecit jus Divinum Magistratibus civilibus, Regibus, & Principibus. V. Nullum est sacrificium in Christianismo, & sumus omnes Christiani Sacerdotes. VI. Ordo, Matrimonium, & extrema unctio non sunt Sacramenta. VII. Qui Missas ideo faciunt, ut bonum aliquod opus faciant, ut Deo Christum offerant pro vivis ac mortuis, impie errant. VIII. Impia docent, qui censent peccare eum, qui Horas Canonicas non legerit, qui carnem ederit die sexta aut septima. IX. In quibus Spiritus Christi inest, hi prorsus ab omni lege liberi sunt. X. Satisfactio nulla est præter Christi mortem. XI. Episcopi non habent jus condendi leges; Exstant abominabiles Pontificiarum legum codices. XII. Pœnitentia non est signum, nisi obscurum; omnium rectissime baptismus vocatur Pœnitentiæ Sacramentum. XIII. Votum neque præcipit, neque consulit Scriptura. Non autem probat Deus, nisi quæ præcipit, vel consulit. XIV. Quandoquidem omnia, quæ eveniunt, necessario juxta divinam prædestinationem eveniunt, nulla est voluntatis nostræ liber-

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Ex 1. Registro MS. facult. Paris. fol. 200.

Secul. XVI. A.C. 1523.

tas. XV. Errat Hieronymus vetans circumcisionem. XVI. Nulla est perfectio peculiaris in instituto Monastico. XVII. Paupertas ab omnibus Christianis exigitur Jure divino; nec tantum ad Monachos pertinet.

Ex libro Commentariorum in epistolam ad Romanos, & duas ad Corinthios depromptæ fuere triginta propositiones. *I. Necessario omnia eveniunt omnibus creaturis. II. Ridiculum est commentum, esse liberum arbitrium. III. Sententia Apostoli tollit omne meritum, sive ante sive post gratiam. Neque enim dicit Justum vivere ex operibus, sed ex fide. IV. Nullæ hominum leges ligant, postquam jam justificati sumus. V. Non habet Papa jus condendæ legis alicujus. VI. Omnes Episcopi sunt pares. VII. Deus nos peccare facit. VIII. Facere, quod in nobis est, non est nisi peccare. IX. Dei proprium est Judæ proditio, sicut Pauli vocatio. X. Lex Dei impossibilia imperat. XI. In Ecclesia, neglecto Verbo Dei, error errorem peperit. XII. Si ultro emendas te, ut Ecclesiæ correctione opus non sit, non exigit jus Divinum confessionem. XIII. Absolutionem sive redemptionem peccatorum petere possumus. XIV. Satisfactiones nullæ sunt. XV. Nos a simplicitate Verbi Dei abstraxerunt, qui satisfactiones, Missas, & carnales*

nales justitias tradiderunt. XVI. Satis constat, nec in impiis viventibus, nec in damnatis esse fidem. XVII. Peccant Episcopi, qui tantum impertiuntur alteram speciem populo. XVIII. Duo sunt tantum Sacramenta, Baptismus, & Eucharistia, Reliqua sunt commenta hominum. XIX. Missa non est Sacrificium. XX. Signi, non Sacrificii vice nobis tradita est Eucharistia. XXI. Indigne accedunt ad Eucharistiam, qui nisi jam puri, & sanctificati confessione, & præparationibus accedunt. XXII. Illa sola & vera præparatio est, propter quam communices, si credas. XXIII. Fides est credere, quod Deo placeas: Credere, quod placet opus, quod facis. XXIV. Falsa est sententia, quod ordinata Charitas a nobis ipsis incipiat. XXV. Nulla doctrina, præter doctrinam Christi, non est pestifera. XXVI. Fides justificat, non salvat. XXVII. Ratio fingit multas cæremonias. XXVIII. Non licet litigare, aut rem vindicare, aut accusare, etiamsi videatur pro te jus stare. XXIX. Si liberum Arbitrium operatur salutem, Deus non operatur. XXX. Cum justus ex Fide vivat, non ex operibus, tollitur omne meritum operum nostrorum, tum ante tum post justificationem.

Sæcul. XVI. A.C. 1523.

Ex Melanchtonis libro adversus furiosum Parisiensium Theologastrorum Decre-

Sæcul. XVI. A.C 1523. Decretum, extractæ sunt septem propositiones: *I. Luthero nihil cum hæreticis convenit. II. Stat veritas Lutheranæ doctrinæ inconcussa adversus Rectores tenebrarum. III. A quadringentis ferme annis neminem habuimus in Ecclesia Scriptorem, qui rectam & propriam Pœnitentiæ formam prodiderit. IV. Locus est apertus in prima ad Corinthios, quo monstratur delictum esse repetere rem in judicio. V. Quæ sunt in assertione articulorum a Leone X. damnatorum, impia judicari, non nisi ab impiis possunt. VI. Si quæris, quid contulerit Ecclesiæ Lutherus, habes summam rei; Veram pœnitentiæ rationem docuit, & usum. VII. Propemodum credo, non omnino temere dictum esse a quibusdam veteribus, cerebro Gallos carere.* Ex epistola dicto libro annexa Facultas tres damnavit propositiones, quarum prima communionem sub una tantum specie carpit. Altera sic docet; *non plus est credere Jesum Crucifixum, quam eversam a Romanis Carthaginem.* Tertia denique dicit: *Nemo communicatus ante Lutherum intellexit, in Sacramento Altaris fidem exercendam, & pascendam.*

Præterea Melanchton in bina in D. Pauli doctrinam declamatione inquit, *Martinum Lutherum virum juxta pium atque eruditum, vereque Theologum*

tibi

tibi commendo. Insuper absque omni ratione universas Theologiæ rationes condemnat, haud aliter differens, perinde ac si quid dicat, vel demonstret, prorsus nesciret, in has propositiones effusus. *I. Error est Philosophia. II. Cum lex vetet fræna laxare libidini, necesse est lex odio habeatur. III. Quid agit Paulus aliud de lege antiqua differens, quam nullo usu nostro animos emendari atque pacari? Nullo enim consilio, nulla arte animi morbum vinces. IV. Metum, tantum abest, ut virtutis materiam vocemus, ut ne vitio quidem liberare conveniat.* Denique in epistola his declamationibus annexa inquit, *Citra hæresis crimen est, non credi transsubstantiationem, aut characterem, aut similia.* In epistola sua de disputatione Lipsiensi merito redarguitur, quod Lutherum insulse deprædicet, manifeste eidem suffragetur, ac petulanter effutiat: *in Martino longo jam usu mihi familiariter cognito sincerum & pure Christianum animum non possum non laudare.* Sæcul. XVI. A. C. 1523.

§. CXXVI.

Facultatis judicium de Lutheri hæresi a Franciæ Regina expetitum.

Cum frequentes admodum querelæ apud Reginam Francisci I. Matrem defer- *Argentre tom. 2. p. 2. & seq.*

Secul. XVI. A. C. 1523.

Dupin. Bibl. to. 13. p. 214.

deferrentur, *quod nimia facilitate perversa Lutheri doctrina, non sine grandi Religionis offensione in regno grassari permitteretur, ac nonnullæ Personæ in ipsa Regis Domo sublimes ejusmodi erroribus faverent;* ideo Regina Patrem Gilbertum Nicolai Ordinis Minorum ad Parisiensem Facultatem ablegabat, ut de duobus articulis, quos explicari peteret, Facultatis consilium ad eam referat, ad quod exequendum Facultas quantocius nominavit Natalem Bedam Syndicum. Istius ergo responsum die septima Octobris Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo tertio fuit approbatum, eodemque tempore Facultas decisionem suam datis literis ad Reginam Matrem per eundem Patrem Nicolai deferri curavit.

Primus, quem Regina discuti voluit, articulus erat, *qua via damnata Lutheri hæresis regno expelli & extirpari, regnumque ab hac fæce penitus expurgari valeat?* Respondit Facultas, cum sermones, disputationes, epistolæ, ac libri contra hanc doctrinam singulis ferme diebus ab Universitatis membris scripti, quamvis ceteroquin utilissimi, nondum tamen huic malo remedium ponere valuerint hinc Senatus regias literas Parisiensis Parlamenti edicto consonas expediat, ac præci-

præcipiat, ut hæc mandata executioni darentur, indictis etiam severissimis pœnis. Præterea cunctis Regni Prælatis injungant, ut suarum Diœcesium fideles ad Lutheri libros in Curiam deferendos, ibidemque publice concremandos adstringant, necnon sub anathematis pœna ejusmodi libros retinere prohibeant. Denique in illos, qui hanc doctrinam tuentur, inquirant, & in eos, si pertinaces fuerint, severe animadvertant. Sæcul. XVI. A. C. 1523.

Secundo autem articulo interrogabatur, qua ratione eorum vindicari queat innocentia, qui perperam & sine ratione accusati fuerunt, quod præfatam doctrinam foveant, eique adhæreant? Reposuit Facultas, hunc rumorem inde fuisse ortum, quod Procerum plures hanc doctrinam in aula commendaverint, cunctos vero, qui eam reprobaverant, contumeliis affecerint, quin tamen, quid rei subsit, adhuc intelligerent; præterea ajebat Facultas, Regis mandata, quibus Lutheri opera comburi jubebantur, fuerunt neglecta, & ipse Senatus jam a Paschatis tempore Episcopis eorumque Ministris prohibuit, ne in Hæreticos inquirerent, eosque punirent; idipsum quoque non ita pridem Sagiensi & Parisiensi Episcopis in causa

Ber-

Secul. XVI. A.C. 1523.

Berquini contigit, cujus judicium a Parlamento ad Senatum fuit evocatum; nec minus id factum fuit in Jacobi Fabri causſa, dum ipſa Facultas fuit impedita, ne adverſus illum ſententiam pronunciaret, denique quod majoris adhuc offenſionis lapis exiſtit, nomine & auctoritate Regis duo tractatus, quos Hieronymus Angeſt adverſus Lutheri errores compoſuit, vi ablati fuere: Illis ergo, quibus talia contigerunt, nullum aliud magis præſens, quo ſe vindicare poſſint, remedium ſupereſt, quam ut D. Pauli exemplum imitentur, qui dum Eccleſiam inſequebatur, probavit, quod damnaverat, & damnavit, quod antea probaverat: proin omnino neceſſitas ſuadet, ut contra hæreticos procedendi jus Epiſcopis cum plena libertate relinquatur. Hæc reſponſio fuit approbata, & in quodam Facultatis conventu die ſeptima Octobris, celebrato ſubſcripta.

§. CXXVII.

Bedæ tractatus contra apologiam Origenis a Merlino concinnatam.

Sub idem tempus lis exorta eſt inter Jacobum Merlinum Theologiæ Doctorem, Pariſienſis Eccleſiæ Pœnitentiarium,

rium, & Natalem Bedam Facultatis Theologicæ Syndicum, Virum ſuo ævo longe pertinaciſſimum, ac ad ciendas turbas maxime proclivem, prout illi Eraſmus non raro objecerat: Cum igitur Merlinus Origenis opera Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo undecimo publici juris faceret, atque hujus operi apologiam præfigeret, qua Origenem ab erroribus imputatis immunem defendere nitebatur, Beda hanc Apologiam confutare ac unacum alio quodam Doctore, Maffeo nomine contra Merlinum ſcribere aggrediebatur. Non defuere Doctorum nonnulli, quibus Bedæ conſilium minus probabatur, ac palam edicebant, quod Bedæ nullum jus competeret, vi cujus adverſus apologiam pro Origene a Merlino editam ſententiam ſuam ferret. Interim dum hæc agebantur, Beda ſcripſit tractatum, cui titulus: *Documentum, quo docetur nullum Theologum arceri debere ab examine fidei, niſi fuerit ſuſpectus in fide;* idque pluribus comprobavit argumentis, prout ſequuntur: I. Ex diſpoſitione juris naturalis, divini & humani quilibet Doctor poteſt ferre ſuum judicium in materiis Religionem concernentibus. II. Hoc judicium duntaxat ad doctrinas, non autem ad perſonas ſe extendit. III. Dum Doctrina juxta veritatis leges erit diſ-

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

Sæcul. XVI A.C. 1523

cuſſa, illius Auctor appellari & audiri poteſt, ſi illam tuetur. IV. Diſtinquendum eſt inter Auctoris, & veritatis cauſſam. V. Nullus Theologus arceri debet ob examine fidei, niſi ſit ſuſpectus in fide. VI. In materia hæreſis nullus Doctor a judicio doctrinæ rejici poteſt, imo etiam inimici, & infamia notati accuſatores agere poſſunt. VII. Soli illi tanquam ſuſpecti rejici valent, ubi agitur de Perſonis, non vero de doctrina, ſeu libris. VIII. In præſenti rerum ſtatu non excludi debent illi, qui de fide ſuſpecti non ſunt; hoc enim pacto impedirentur cenſuræ contra novas doctrinas ſtatutæ. Facultas igitur Bedæ dialogos approbavit, ſuppreſſit vero Apologiam pro Origene ſcriptam.

§. CXXVIII.

Cenſura quarumdam propoſitionum contra cultum Sanctorum.

Argentre to. 1. pag. coll. 2.

Exeunte hoc anno die ſecunda Decembris Facultas Theologica quasdam etiam damnabat propoſitiones, quæ ad eam deferebantur, ac venerationem Sanctorum, Reliquiarum, & imaginum cultum necnon canonem Miſſæ, & oblationes pro vivis & defunctis tangebant. In hac ergo cenſura præprimis illos, qui in principio ſermonis ad populum

pulum consuetudinem *Ave Maria* dicendi carpunt, & illam ad Beatam Virginem orationem, in qua Regina cœli appellatur, superstitiosam vocant, Universitas reprehendit, & Sanctos esse nostros apud Deum Mediatores, ac proin preces etiam nostras ad illos dirigendas approbat, eosque, qui plus honoris Sanctis, quam Deo ab Ecclesia tribui dicunt, mendacii redarguit, nec minus perstringit illos, qui sacras Reliquias venerandi, easque publice exponendi usum traducunt. Iidem Doctores damnant hanc propositionem, *putare, quod unus Sanctorum citius aut libentius unam infirmitatem curet, & adjuvet, omnino superstitiosum est.* Præterea Universitas imagines adorari admittit, dummodo id quantum ad cultum, qui eis exhibetur in sano Ecclesiæ sensu intelligatur. Reprobat etiam, quod cuncta, quæ in Historiis, ac Sanctorum miraculis leguntur, vilipendantur, vult tamen, ut ea, quæ fabulam sapiunt, corrigantur. Insuper contra impia verba, quibus Lutherani Canonem Missæ abrogare moliuntur, acriter invehitur, atque inquit, quod non omnibus fidelibus promiscue permittatur Sacri Codicis lectio, nec eis licita sit quædam de fide disputatio, nec etiam populo, ut in lingua Gallica Symbolum Nicænum in Missa de-

Sæcul. XVI. A.C.1523.

Sæcul. XVI A C. 523

cantet, Universitas concedit, & reprehendit eos, qui affirmare ausi sunt: *Ubi Lutherus bene dixit, ibi nemo melius.* Denique usum ex titulo Eleemosynæ pro Missa stipendium dandi, vel colligendi, ut Deus pro vivis & mortuis exoretur, eadem admittit, & approbat officium Defunctorum, & anniversaria. Promulgata est hæc censura præsente Universitatis Rectore, Regiisque Consiliariis, aliisque plurimis testibus.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CXXIX.

CLEMENS VII. PAPA.
CAROLUS V. OCCIDENTIS IMPERATOR.

§. I.

Cardinalis Campegius a Papa Legatus ad Norimbergenſem conventum nominatus.

Cum novus Papa Germanis ob expoſita gravamina ſeu onera quodammodo ſatisfacere intentus eſſet, in pleno Patrum conſeſſu propoſuit, quod velit Legatum decernere a Comi-

Sæcul. XVI. A.C.1524.

Cochl. in act. Luth anno 1524. p.88.

Sæcul. XVI. A. C. 1524

Comitia, quæ ineunte hoc anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto Norimbergæ celebranda essent. Selegit ergo ad hanc Legationem Cardinalem Campegium, Virum virtutis merito, ac scientiæ laude conspicuum, ac inter ceteros Sacri Collegii Præsules longe præstantissimum; nam pollebat magna negotiorum experientia, rara integritate in multis occasionibus sat probata, ac præterea ingenti studio erga fidem Catholicam flagrabat, cetera pacis ac concordiæ studiosissimus. Horum meritorum concursu pellectus Pontifex facile sibi persuasit, hunc Virum ad placandos Germanos de oneribus quibusdam querentes præ ceteris idoneum fore, quocirca plenam eidem agendi potestatem concessit, dummodo nec Sedis Apostolicæ auctoritatem, nec Romanæ Curiæ usus in discrimen adduceret.

Sleid. in com lib. 4. p. 106. Ughel in Ital. sacra Pallav. Hist. Conc. Trid. l. 2. c. 10. Raynald. an. 1524. n. 1. Ulemburg. in vit. Luther.

§. II.

Mandata Pontificis Legato data.

Libellus *centum gravaminum*, ut dictum est, Cheregato Nuncio remissus non fuerat, sed post illius discessum ad Adrianum Pontificem directus, ideo Clemens VII. Campegio in mandatis dederat, ut dissimularet, se scire propositiones

Pallav. & Cohl loc. cit. Flor Raym de orig. hæres. l. 1.

nes Principum nomine Adriano Præ- Sæc. XVI.
deceſſori oblatas, necnon reſponſiones A.C.1524.
ab eodem deſuper datas; præterea Pontifex eidem præcepit, rem ita ageret, perinde ac ſi a Lutheri proſcriptione haud ulteriora in Germania fuiſſent geſta. Addidit etiam literas ad Electorem Saxoniæ, in quibus eum impenſe rogabat, ne Eccleſiæ Romanæ hoſtem ſe declararet, ſed potius Eccleſiæ pacem in Germania procuraret. His mandatis inſtructus Campegius hoc anno die prima Februarii Roma profectus Bononiam in patriam ſuam venit, ubi in Eccleſia Cathedrali præſente ingenti populi frequentia rem divinam peregit: Ubi vero Germaniæ fines attigit, Electorum ac Principum literas accepit, quibus eum rogabant, ut iter ſuum acceleraret, & quantum poſſet, advenire feſtinaret.

§. III.

Adventus Legati ad Comitia Norimbergenſia.

Accepto hoc nuncio Campegius pau- *Cochl. l. c.*
cos intra dies Norimbergam venit, ubi obvios habuit extra urbis portam omnes S. R. Imperii Principes, ſimul cum ipſo Ferdinando Archiduce; verebantur enim, ne forte, ſi Legati Apo-

Sæcul.XVI A.C.1524

stolici habitu insignis urbem intraret, a circumfusa plebe, quæ ferme omnis Lutheri erroribus infecta erat, injuriis afficeretur : quapropter Campegius communi veste, qua in itinere utebatur, sine Clero, & Cruce processit, comitantibus eum cunctis Principibus usque ad hospitium suum : Clerus autem, qui ei occursurus convenerat, in Ecclesia inclusus fuit, ut sic nec videre quidem illum potuerit intrantem. Ceterum Principes, qui ad comitia confluxerant, erant Ludovicus Elector Palatinus, Guilielmus, & Ludovicus de Bavaria, Fridericus Comes Palatinus, Casimirus Brandenburgicus, Trevirensis, Bambergensis, Herbipolensis, Tridentinus, & Brixiensis Episcopi, præter Albertum Brandenburgicum & supremum Prussiæ Magistrum. In illis Præsidis vices agebat Ferdinandus Archidux, eoquod Cæsar adhuc in Hispania hæreret.

§. IV.

Pontificis literæ unacum Legati epistola ad Electorem Saxoniæ missæ.

Differebat Legatus aliquamdiu post adventum suum ad Comitia accedere; prius enim utili temporis impendio in privatis colloquiis ac salutationibus

bus congregatorum Principum mentes explorare ſtudebat, præcipue vero illos ſibi devincire conabatur, quos Sedi Apoſtolicæ adhucdum addictos compererat, unde impenſe illos rogabat, ut in præſenti rerum ſtatu ſuam ei operam impenderent: Cum vero eo tempore Fridericus Saxoniæ Elector urbe abſens eſſet, eidem Campegius Papæ literas tranſmiſit; unacum alia epiſtola, quam die ultima Februarii ad eundem ſcripſit, in hunc ferme modum: permoleſtum mihi accidit, quod tuo alloquio frui non poſſim, cum maximi momenti res, quæ tibi nomine ſummi Pontificis communicem, haberem: nam in plurimorum ore, ac ſermone eſt, quod novarum hæreſum fautor ſis, ejusmodi tamen res nec mihi nec ſummo Pontifici vero ſimilis videtur, quamdiu enim tecum amicitiam, notitiamque habebam, ſemper in te ſolidam probitatem ac virtutem admirabar, præcipue in iis, quæ Eccleſiam ac Religionem Catholicam ſpectant: ideo hac ipſa bona de te opinione præpedior, ne ceterorum rumori aures accommodem, nec unquam a concepto meo judicio deſiſtam, niſi contrarium ipſus experiar. Equidem aliquibus abhinc annis, a quibus novi mores introducti fuere, tota Germaniæ facies commutata eſt, haud tamen igno-

Sæcul XVI. A.C. 1524.

Sleid. comm. lib. 4. p. 107.

Sæc. XVI. A.C 1524.

ro discrimen, quod inter Nobiles & plebem hac in re intercedit, quocirca spe fretus vivo, quod præcipue tu, cum ceteris illustrior existas, a Majorum tuorum, qui semper inviolabili obsequio Romanæ Ecclesiæ addicti erant, pietate nullo unquam tempore degeneraturus sis; nil quoque ardentius rogat Pontifex, quam ut in hisce rerum angustiis Patrum tuorum exempla secutus magis magisque virtutum merito commendatum te reddas, si vero id negligeres, timendum, ne ejusmodi novitates in Germania excitent tumultus, seditiones, & bella, quæ non minus Principibus cunctisque Imperii statibus, quam Sedi Apostolicæ, Episcopis & Ecclesiæ ruinam, exitiumque afferrent.

§. V.

Oratio Campegii Legati in Comitiis Norimbergensibus.

Pallavic. in hist. l. 2. c. 10. Sleid. in com. l. 4. p. 108. Cochl. de act. Lutn. p. 89. an. 1524.

Postquam Principes, urbiumque Imperialium Deputati Nuncium Apostolicum ad alloquium publicum invitabant, accessit ipse comitia, sermonem suum sat prolixum his verbis exorsus: „ Miror vehementer, quod tot Princi- „ pes, ac Deputati tanta prudentia, ac „ sapientia præditi siccis oculis conspi- „ ciant abrogari religionem, in qua enu- „ triti

Sæcul. XVI. A. C. 1523.

„ triti sunt, quamque æque ac bona sua
„ a Majoribus hæreditario beneficio
„ acceperunt; hanc, inquam, Religio-
„ nem, in qua Patres vestri mortui sunt,
„ nequidem unquam suspicantes, quod
„ ejusmodi variationes, quæ a rebus
„ spiritualibus incepere, tandem in tem-
„ poralium bonorum ruinam desinant:
„ Ad quid enim hæ mutationes ten-
„ dunt, nisi ad seditionem adversus
„ Principes, & Magistratus? Quapro-
„ pter summus Pontifex vero, paterno-
„ que miserationis sensu commotus
„ haud ultra pati valet, quod Imperium
„ sub tanto malorum pondere ingemi-
„ scat, ac exteræ servituti exponatur,
„ hinc præsenti huic calamitati misso
„ protinus Nuncio Apostolico de reme-
„ dio providere cupit. Ceterum non
„ is est Sanctitatis suæ animus, ut vel
„ legem hac super re det, vel accipiat,
„ sed unice communi cum Germaniæ
„ Principibus consilio, quid hac in re
„ agendum, discutiatur, tantisque ma-
„ lis, quibus eorum status inundantur,
„ remedium præparetur; tali enim pa-
„ cto si illorum, qui veræ Religioni ad-
„ dicti permanebunt, rationes perci-
„ pientur, Pontifex haud exiguum re-
„ cipiet solatium, si vero auditi non fue-
„ rint, saltem is calumniam eorum non
„ incurret, qui eidem mala, quibus ta-

„ men

Sæcul. XVI A.C. 1524.

„ men mederi haud potuit, imputare „ præsumerent; non enim Sanctitas „ sua privatum quærit commodum, sed „ eo duntaxat fine me huc Legatum „ decrevit, ut Principes levamen acci- „ perent in suis calamitatibus, a quibus „ penitus opprimentur, nisi præsto suc- „ curratur.

§. VI.

Duo hujus sermonis argumenta, nimirum Religio, & bellum contra Turcas.

Sleidan. l. c. p. 107. Cochl. l cit. Raynald. an. 1524. n. 6.

Denique Legatus ad rei summam propius accedens ajebat. Duo sunt, quæ mihi in mandatis dedit Pontifex, ut nimirum Religionis causſam tuear, & belli contra Turcas gerendi necessitatem ostendam. Circa primum Legatus repetiit, quæ paulo ante dixerat, inquiens: mirum mihi supra modum videtur, quod tanti Principes novam doctrinæ mutationem fieri patiantur, sectamque tolerent, quæ ritus, ac veræ Ecclesiæ exercitia abrogat; cujus innovationis exitum plane ignoro, id tamen mihi persuasum est, certocertius ni promptum adhibeatur remedium, fore, ut ob rationes jam nuper a me propositas nil nisi tumultus ac seditiones sequantur: Bellum vero adversus Turcas,

cas, quod attinet, fateor equidem pecunias eo fine collectas ad alios usus fuisse impensas, nec propterea tamen auxilium est subtrahendum Regno in extremis angustiis luctanti, ac jamjam ad illud fatale tempus redacto, ubi Hungariæ Turcarum jugum proxime impendet, nisi præsto suppetiæ ferantur: Jam enim Solimanus Rhodum Insulam suo subjecit imperio, opitulante Principum socordia, qui Equitibus opem ferre neglexerunt. Hæc dicta quidam Episcopus ex Ordine Fratrum Minorum, qui Legatum comitabatur, iisdem omnino rationibus, ac iisdem ferme verbis confirmabat. Secul. XVI. A.C. 1524.

§. VII.

Principum responsio ad Legati Orationem.

Principes, postquam ob Papæ benevolentiam, ac ob magnum tranquillitatis Imperio reddendæ studium Legato gratias egissent, his verbis responderunt; „perspeximus equidem mala, „ quæ ex mutato religionis statu in Ger„ mania nobis impendent; unde peri„ culo probe cognito jam anno priori „ Adriani Papæ felicis recordationis „ Legatum plene instruximus de me„ diis, quibus dissensionum fomes impo„ ste- *Sleid. in com. l. 4. p. 109.*

Secul. XVI. A.C. 1524

„ sterum aufferri valeat, hancque in rem
„ literas Romam misimus, quæ abs o-
„ mni dubio ad Clementis VII. manus
„ pervenerunt, si itaque Papa tibi ut-
„ pote Legato suo hac super re man-
„ datum dedit, de ejus mente certio-
„ res nos reddere velis precamur, ut
„ & nos, quæ agenda sint, decernere
„ possimus: Bellum vero adversus Tur-
„ cas negotium est, quod jam dudum
„ nostram sollicitudinem occupatam te-
„ nuit, illius tamen executio non solum
„ concernit Imperium, sed cunctos e-
„ tiam Principes Christianos, nisi ergo
„ illi facta inter se pace adversus Infi-
„ deles suas conjungant vires, soli Ger-
„ mani totam belli molem sustinendo
„ impares sunt; equidem minime nos
„ latet horribilis Turcarum apparatus,
„ quorsum vero tendat, provide expe-
„ ctandum censemus. „ His dictis scri-
ptum *de centum graviminibus* Legato tra-
debatur, ut ea inspiceret, ac sedulo ex-
aminaret.

§. VIII.

Responsum Legati ad Principum sermonem.

Slidan. l. c. p. 109. & 110

Legatus scriptum fugitivo percurrens oculo reposuit: „ Haud perspectum
„ habeo, Principes Illustrissimi, a vobis
„ media

„ media pro componendis fidei contro- Sæcul. XVI.
„ versiis aut fuisse proposita, aut San- A. C. 1524.
„ ctitati suæ vel Cardinalibus trans-
„ missa; id unice mihi exploratum est,
„ quod summus Pontifex erga vos pro-
„ pensum foveat animum, ac optima
„ pacis meditetur consilia, hancque ob
„ rem mihi plenam exequendi dedit
„ potestatem, quicquid ad restaurandam
„ pacem, animosque conciliandos ne-
„ cessarium fore videbitur: vestrarum
„ vero partium est, ad id viam aliis a-
„ perire; vobis enim præ ceteris me-
„ lius cognita est indoles, geniumque
„ eorum, quibuscum res agitur; nec
„ minus vobis consentientibus (ut om-
„ nibus manifestum est) Cæsar in Wor-
„ matiensibus Comitiis edictum pro-
„ mulgavit, illudque anno priori inno-
„ vatum, ut etiam effectui daretur, o-
„ mnes consensere Principes. Haud
„ diffiteor, illud a nonnullis fuisse ob-
„ servatum, a plurimis tamen flocci
„ habitum, qua ex caussa conjicere
„ haud valeo; si vero hac in re meam
„ exposcitis sententiam, edissero, ante
„ omnia deliberandum, quibus mediis
„ universalis hujus edicti executio ur-
„ geri valeat. Non equidem, ut dis-
„ sensionem ullam concitem, vel prout
„ nonnulli suspicabantur, imo & spar-
„ gere audebant, ut jurgiorum flam-

„ mas

Sæcul. XVI. A.C. 1524.

„ mas in Germania accendam, huc ad-
„ veni, nil nisi pacem quæro, id unum
„ peto, ut illi, qui sese ab Ecclesia se-
„ pararunt, rursum ad Matris suæ gre-
„ mium redeant, atque Conciliorum
„ Decreta, nec non Cæsaris edicta ob-
„ servent.

„ Libellum vero *de centum gravami-*
„ *nibus*, prosequebatur Legatus, editum,
„ ac Papæ traditum fuisse, quamvis i-
„ gnorem, id tamen probe scio, priva-
„ tis quibusdam viris tria illius exem-
„ plaria Romam fuisse transmissa, atque
„ eorum unum Papa, Cardinales, imo
„ & ego vidimus; ast nec Pontifici nec
„ Sacro Collegio unquam persuasum
„ esse potuit, ejusmodi articulos Prin-
„ cipum in comitiis congregatorum
„ jussu fuisse conceptos, sed potius a
„ quodam occulto Romanæ Sedis ho-
„ ste fabricatos. Enimvero quicquam
„ speciatim circa hunc libellum decer-
„ nere, nihil mihi a Papa in mandatis
„ datum, nihilominus sufficientem de
„ eo agendi potestatem accepi, quapro-
„ pter vobis haud celare valeo, in hisce
„ centum articulis plura postulari, quæ
„ legitimæ summi Pontificis auctorita-
„ ti derogant, imo & hæreses sapiunt,
„ proin de his agere mihi animus &
„ potestas deest, lubens vero examinan-
„ da suscipio ea, quæ summi Pontificis

„ auctori-

„ auctoritati non adversantur, atque æ- Sæcul. XVI.
„ quitati innituntur; si vero circa Pon- A. C. 1524.
„ tificem adhuc quiquam discutiendum
„ superfit, liberum vobis erit id etiam,
„ verbis tamen modestioribus propo-
„ nere; merito enim damnanda est illa
„ libertas, qua ejusmodi gravamina ty-
„ pis edita ac publicata fuere.

Denique Legatus responso suo finem imposuit agens de bello adversus Turcas; „ horum, ajebat, infidelium po- *Pallav. hist. l. 2 c. 10 p. 180*
„ tentiam, magnumque armorum ap-
„ paratum haud ignorat summus Pon-
„ tifex, nec tamen illum latet, eorum
„ vires minime frangi posse, nisi inter
„ Christianos Principes pax, ac concor-
„ dia restituatur, cujus negotii sollicitu-
„ do Papæ animum unice occupatum
„ tenet, huncque in finem pro hujus
„ belli sumptibus ingentem pecunia-
„ rum vim paratam habet, ac majorem
„ adhuc summam colligere meditatur;
„ attamen vestra quoque subsidia con-
„ ferre debetis, præcipue in præsenti
„ rerum vicissitudine, ubi juvenis Hun-
„ gariæ Rex vobis fœdere ac sanguine
„ junctus summopere vestro auxilio in-
„ diget. Ea de re Papa vix inito Pon-
„ tificatu nihil non egit, ut Cæsar, An-
„ gliæ, ac Franciæ Reges restituta inter
„ eos pace arma sua in Turcas conver-
„ terent; Verbo, Pontificem habetis

Sleid. l. 5. p. 111.

Sæcul. XVI A.C. 1524.

„ pium patrem Pastoremque pro bono „ Ecclesiæ studiosissimum, si vero oves „ Pastoris sui vocem audire recusave- „ rint, nil ultro illi supereſt, quam ut „ cuncta divinæ Providentiæ patienti „ animo committat. „

§. IX.

Quidam cum Cardinale Legato deliberaturi, in Comitiis Deputati.

Cochlæus hoc anno p. 90.

Adjunxit suam quoque operam Cardinali Legato Joannes Hannardus inter Cæsaris Secretarios primus, qui nomine Imperatoris edictum Wormatiense executioni dandum depoſcebat, cui respondernnt Principes, se nihil intentatum relicturos, ut Cæsari satisfieret, ejusque Edictum, quantum ipsi facere possent, effectui demandaretur. Ceterum hunc Legatum dissimulatione usum fuisse, facile deprehendebant; nam ea, quæ Adrianus in nupero conventu Congregatis significari fecerat, Papam ac Cardinales ignorasse vero haud simile videtur, nihilominus Principes, ut Germaniæ pacem redderent, quosdam nominarunt Deputatos, qui cum Cardinale Campegio conferrent. Verum cunctis hisce colloquiis exiguus respondit succeſſus: quippe Campegius haud plura

plura pollicitus est, quam sua opera Cle- Sæcul. XVI.
ricorum mores in Germania ad pristi- A. C. 1524.
nam disciplinam adeo revocandos, ut inde Principum votis plene satisfactum foret, silentio autem præteriit Romanæ Curiæ abusus, totumque negotium ad Papam remisit; huic enim soli, ajebat, competit auctoritas jus sibimetipsi dicendi. Enimvero hac in re promissi sui limites non excessit; quippe adhibito quorumdam Præsulum, ac Germaniæ Theologorum consilio nonnulla condidit statuta, in quibus de prætensis centum Germanicæ Nationis oneribus nullam ingessit mentionem, non nullis tamen abusibus, de quibus potissimum Principes querebantur, remedium attulit. Hæc igitur Statuta in Comitiis exposuit, affirmans, quod ea ad reddendam Imperio pristinam Religionis puritatem abunde sufficerent: Verum censebant Principes, quod hæc decreta minus essent rigida, malumque non modo foverent, sed etiam Curiæ Romanæ potestatem, atque Episcoporum auctoritatem non sine Principum sæcularium præjudicio augerent, ut proin ad graviores oppressiones viam aperirent. Aliunde nonnulli hanc disciplinæ restaurationem spernebant tanquam Romanæ Curiæ artificium, quo Germanos fascinare, ac sensim sine sensu acerbiori ser-

Sæcul. XVI A.C. 1524.

vituti irretire moliretur: quapropter ſpretis omnibus, quas Legatus interponebat, ardentiſſimis precibus, ut in Comitiis ſua reciperentur ſtatuta, id impetrare haud valuit, ut vero & ipſe vicem redderet, cuncta a Principibus propoſita rejecit.

Præterea in Comitiis aliud movebatur negotium, cujus exitus novam Legato moleſtiam creabat. Agebatur ibi de quadam lite inter Epiſcopum Argentinenſem, & nonnullos urbis ſuæ Presbyteros, qui juxta novi Evangelii perverſitatem uxores ducere, ſibi licitum arbitrabantur: Cum vero ejusmodi ſcelere gravem populo offenſionem præberent, Epiſcopus reos in jus vocari juſſit, ut criminis ſui rationem redderent, & tanquam legis Eccleſiaſticæ, Sanctorum Patrum, Pontificum & Imperii transgreſſores punirentur: Hi tamen adeo non juſſis parebant, ut etiam Epiſcopi jurisdictionem declinaturi ad Senatum provocarent, polliciti, ſe quæcunque ſubituros ſupplicia, ſi in expreſſum quoddam præceptum peccaſſe convincerentur. Senatus ergo Lutheranæ hæreſi addictus Epiſcopum comparere juſſit: hujus tamen cauſſæ diſcuſſio differebatur usque ad comitia: Aſt Epiſcopus hanc moram juribus ſuis noxiam ratus, Epiſtolam gravibus conceptam verbis

ad

ad Legatum perſcripſit, exponens, per ſummam juſtitiam hoc pacto Epiſcopalis jurisdictionis exercitium præpediri; ut vero de totius cauſſæ ſumma Legatus accuratius edoceretur, Epiſcopus Thomam Murnerum Franciſcanum ad Cardinalem ablegabat, qui eidem Sacerdotum petulantiam, & Senatus temeritatem expoſuit. Igitur negotium in comitiis proponitur, cum vero Presbyterorum facinus Sacris Canonibus ſole meridiano clarius adverſaretur, Legatus cauſſam Epiſcopo omnino adjudicandam cenſebat. Verum tam acriter obſtrepebant Argentinenſis Senatus Deputati, ut rei deciſionem penitus præpedirent, cauſſati, quod equidem Senatus ſuo præſidio Presbyterorum, qui cum gravi offenſione concubinis ſuis aſſueſcerent, facinori favere non voluerit, nec etiam Epiſcopi jurisdictionem impedierit, ſed eidem duntaxat ſignificaverit, Senatum Epiſcopo adverſus hoſce Sacerdotes ad ſententiæ ſuæ executionem auxilio futurum, quamprimum Presbyteros a connubii libertate jure divino arceri docuerit; de cetero ajebant illi Legati, a Senatu, eoquod accuſatis Sacerdotibus ejus præſidium implorantibus adſtitiſſet, nihil exinde attentatum, quod pactis utrinque conventis non ad amuſſim conſonum foret,

Secul. XVI. A.C. 1524.

Sæcul. XVI. A. C. 1524

cum sancitum esset, ut Ecclesiastici cujusdam criminis rei coram Magistratu sisterentur, vi igitur hujus pacti ab accusatis Sacerdotibus Episcopi tribunal fuisse declinatum. Principes in comitiis congregati harum rationum imbecillitatem manibus palpabant, nihilominus ut Legatum acrius vexarent, Lutheranæ hæresi aliquantulum favere studebant: Vicissim vero Legatus conventus postulatis deferre constanter recusabat, unde comitia, nulla ferme re decisa, die decima octava Aprilis fuere soluta.

§. X.

Norimbergensis Conventus edictum.

Cochl. l. cit. Sleidan. ut supr. p. 116.

Eodem die Conventus promulgavit decretum, in quo hæc exponebantur. I. Summus Pontifex consentiente item Cæsare, quam citissime posset, liberum Concilium in quadam Germaniæ urbe ad id commoda indicat, ut ibidem controversiæ a Lutheri hæresi in quibusdam fidei articulis suscitatæ radicitus tollantur. II. Interim alia fiant comitia die undecima Novembris in festo S. Martini celebranda, propter quæ unusquisque Principum doctis in sua ditione Viris id negotii committat, ut ex Lutheri libris, quæ admittenda, quæve rejicien-

jicienda, seligant; hæc vero postmodum in comitiis discutiantur, ut ea quæ usque ad Synodi decisionem credenda, atque in usum deducenda sint, ibidem declarari valeant. III. Magistratus interea omni studio procurent, ut Evangelium juxta doctrinam, sensum & interpretationem Theologorum, qui ab Ecclesia approbati sunt, a Verbi divini Præconibus annuntietur. IV. Supprimantur omnes libelli famosi contra Curiam Romanam editi, necnon omnes picturæ atque imagines in Pontificis, & Episcoporum contumeliam factæ. V. Agatur in his comitiis *de centum gravaminibus* contra Curiam Romanam, & Germaniæ Clerum propositis, ut ibidem decerneretur, ad quam denique tolerabilem moderationem redigi possent. VI. Denique ut Sacræ suæ Cæsareæ Majestati obtemperetur, cuncti Principes admoneantur, ut Edictum Wormatiense omni studio, & efficacia exequerentur; præterea additum est, in proximis comitiis deliberandum fore de Turcarum bello, ac suppetiis Hungariæ Regi mittendis.

Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. XI.

Plurimorum oppositio adversus hoc edictum.

Vix unquam quoddam Decretum plu- *Sleid. l. 4.*

Sæc. XVI. A.C. 1524.

rium contradictioni obnoxium erat: nam querebantur de illo aperte Legatus, atque summus Pontifex, ipse etiam Lutherus illud, quamvis causſæ suæ favere videretur, omnino iniquum esse censebat, quapropter libero furens calamo contra Principes libellum edidit, in quo ostendere conabatur, quod edicti hujus Architecti sibimetipsis palam contradicant, eorumque doctrina una alteram evertat. *Præcipitur enim*, inquit Lutherus, *in Conventu Norimbergensi, ut mecum tanquam cum Hæretico agatur juxta Wormatiense edictum, contrarium nihilominus mandatum recipiatur, ut in futuro Spirensi conventu primum tractetur, quidnam boni & mali sit in doctrina mea; si autem mea doctrina primum examinari debet, cur me tanquam Hæreticum condemnant?*

Cochl. l. cit. p. 93. Raynald. 1524. n. 40. & 8 Pallavic. hist. Trid. l. 2 cap. 10 p. 180

§. XII.

Conventus Ratisbonensis ad acceptandam Cleri emendationem a Legato habitus.

Pallav. p. 184 Cochl. p 97. Rayn. n. 23.

Legatus ad singula edicti capita respondens, ostendit, per summum nefas a profanis sacra attrectari, dum fidei dogmata atque doctrinas in controversiam adduci ac decidi juberent: Cum vero oleum & operam se perdere cerneret, Ferdinandum Archiducem Cæsaris

saris fratrem, ambos Bavariæ Duces, Archiepiscopum Salisburgensem, Tridentinum & Ratisbonensem Episcopos, atque aliorum novem Præsulum Deputatos, quos omnes Curiæ Romanæ magis addictos censebat, accessit, eisque auctor extitit, ut juncta cum eo opera alium Conventum in quodam Germaniæ loco celebrarent. Seligebatur ergo urbs Ratisbonensis, in qua omnes die sexta Julii convenere, ac decretum ediderunt, quo ante omnia præceptum, ut Wormatiense edictum unacum articulis, quos ibidem sanxerunt, executioni daretur. Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. XIII.

Articuli in Ratisbonensi conventu conditi.

Postera die septima Julii Cardinalis Legatus emendationem Cleri promulgavit, qua ejus decreta unanimi consensu approbata fuere, ac quivis eorum observantiam in sua Diœcesi vel ditione toto studio urgere pollicebatur. Instruebantur illa ad normam Synodicarum Constitutionum, quibus etiam præfatio addebatur, in qua Legatus ita disserebat, *Censuimus non parum momenti fore extirpandæ hæreticorum Lutheranorum, eorumque sequacium sectæ, ut Clerici ad ho-* *Raynal. n. 26 Labb. Coll. Conc. to. 14. p. 412. & seq.*

Sæcul. XVI. A. C. 1524.

neſtatem vitæ debita cenſura reducti, abuſusque, qui Laicos male offendunt, ſublati fuerint. Itaque habitis maturis deliberationibus, & piis conſiliis cum Ferdinando, aliisque Principibus ac Prælatis Ratisbonæ congregatio infraſcriptos ſalutares aliquos neceſſariæ reformationis modos edere neceſſarium duximus. Quocirca auctoritate Apoſtolica has ordinationes ab omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliisque Prælatis, Presbyteris ſæcularibus æque ac Regularibus inviolabiliter obſervari ac publicari volumus: non obſtantibus quibuscunque privilegiis, aut exemptionibus contrariis. Finita hac præfatione Legatus ad ipſos articulos deſcendit, quorum principales ſunt. *I. Convivia Presbyterorum, quæ in exequiis publice in tabernis hucusque exhibita ſunt, prorſus abrogentur. II. Deinceps quilibet Confeſſor abſolvere poterit Laicos contritos & confeſſos a quibuscunque peccatis occultis, quæ Ordinarii ſuæ auctoritati reſervaverunt, exceptis duntaxat homicidis, hæreticis, & excommunicatis ad Epiſcopum, vel ejus Vicarium mittendis. III. Nulli liceat ſine auctoritate Epiſcopi Eccleſiæ & plebi ſuæ Vicarios ſufficere. IV. Cura Eccleſiarum non concedatur Religionem quamcunque profeſſis, in Eccleſiis autem, quæ eorum monaſteriis unitæ ſunt, Vicarii conſtituantur. V. In aliena Diœceſi ordinati ſuarum Ordinationum literas, & titulos oſtendant.*

Sæcul. XVI. A. C. 1524.

ſtendant, nec prius admittantur, quam ab Epiſcopo vel Vicario fuerint admiſſi. VI. Nullus ad prædicandum Indulgentias vel ad ſubſidia colligenda ſe ingerat, niſi prius literæ approbationis & admiſſionis Ordinariorum ab eo prolatæ fuerint. VII. Sacerdotes concubinarii canonum pœnis in ordinem redigantur. VIII. Religioſi ac Sacerdotes, qui uxores ducunt, capiantur debite puniendi, negligentia autem Ordinariorum comperta, judices Eccleſiaſtici a Sede Apoſtolica deputentur, qui reos meritis pœnis afficiant. IX. Sortilegi, divinaculi, incantatoresque Clerici ordine amoveantur, inque monaſterium relegentur. X. Epiſcoporum in Pontificalibus Vicarii in conſecrandis Eccleſiis, atque Altaribus nihil omnino exigant, excepta procuratione. XI. Feſtorum multitudo ita reſtringatur, ut de cetero Dominica dies, feſtum Nativitatis Chriſti, SS. Stephani, Joannis, & Innocentium, Circumciſionis, Epiphaniæ, Paſchæ cum feria ſecunda, & tertia duntaxat, Aſcenſionis, Georgii, Pentecoſtes cum feria ſecunda & tertia, Corporis Chriſti, & præſertim quatuor Beatæ Virginis, Purificationis, Annuntiationis, Aſſumptionis, & Nativitatis, Natalitia Apoſtolorum, Joannis Baptiſtæ, Mariæ Magdalenæ, Laurentii, Dedicationis, Michaelis, Omnium Sanctorum, Martini, Nicolai, & Catharinæ, & Patronorum Eccleſiarum dies celebres & feſti habeantur. XII. Non

Secul. XVI
A. C. 1524.

XII. Non liceat Procuratoribus fabricarum Ecclesiæ quicquam de pecuniis ad fabricam provenientibus dispensare sine Rectoris scitu. XIII. Matrimonia non nisi in conspectu Ecclesiæ poterunt solemnizari. XIV. Non contrahantur tota Quadragesima, ultima hebdomada Adventus, Festis Paschæ, Pentecostes, & Nativitatis Dominicæ cum octavis, & diebus Rogationum. XV. Propter cædem Clericorum persona tantum, non autem locus interdicatur. XVI. Imposterum Episcopi Clericis ab intestato decedentibus in bonis eorum non succedant. XVII. Episcopi nullas pensiones, decimas aut medios fructus exigant de beneficiis, quæ unius sustentationi vix sufficiunt. XVIII. Beneficiarii, qui horas negligunt Canonicas, fructibus priventur. XIX. Singulo triennio Provinciale Concilium celebretur.

Præterea statutum, ut *sepultura Ecclesiastica privetur, quisquis non confessus, nec Eucharistiæ communionem Paschali tempore sumpserit;* item præcipitur, *ut Blasphemi plectantur, & contra Simoniæ labem Patrum Sanctiones observentur. Dein prohibetur, ne Clerici Laici de sacrosancta fide temere, præcipue inter pocula, & convivia disceptent, sed omni modestia utantur, & peculiariter operam impendant, novo veterique testamento legendo, ac denique quilibet Episcopus diligenter provideat, ut vicarii sive*

ve pro nutu positi competentem vivendi portionem assequantur; Episcopi vero singulo saltem anno Synodum Diœcesanam celebrent, & decreta ibidem statuenda observari curent. Saecul. XVI. A.C. 1524.

Postremus hic articulus potissimum Metropolitas concernebat, quibus injunctum, *ut in hisce Synodis & Conciliis Provincialibus diligenter attendant, si statuta præsentis Conventus Ratisbonensis observentur, invocato ad hoc, si opus fuerit, brachio sæculari.*

§. XIV.

Hi Articuli minus benigne accepti.

Harum sanctionum publicatio Principes æque ac Episcopos offendebat, nec illi assensu suo in comitiis accedere volebant: ægre enim ferebant, statutum quoddam pro universa Germania a Cardinale, tamque paucis Principibus condi, præcipue, postquam illum admonuissent, ex ejusmodi decretis nil boni sperandum. Præterea ipsis permolestum accidit, quod tam exiguus Præsulum ac Principum numerus invitis ceteris omnibus totam Nationem obligandi auctoritatem sibi arrogare velit. Non deerant etiam, qui dicebant, quod Legatus rebus nullius ferme momenti insisteret, maximi vero ponderis res, quarum emendatio potissimum necessaria foret,

Sæcul. XVI A.C. 1524

ret, silentio presserit, cum ejusmodi onera non a Clericis inferioris Ordinis, sed ab Episcopis per eorum usurpationes, & vel maxime a Curia Romana per assiduas illius oppressiones Germania patiatur, hasce vero corruptelas, quæ haud ultra tolerandæ forent, a Legato ajebant, tam leviter fuisse perstrictas, perinde acsi Præsules nunc magis, quam in primitiva Ecclesia disciplinæ studiosi forent; insuper eidem objiciebant, quod cuncta, quæ in suis articulis emendenda censuit, ab eo nonnisi pro levibus abusibus habita fuerint, ac proin cetera omnia tacite comprobans aliunde nonnisi hosce abusus indicaverit, nullatenus vero remedium oppido necessarium eisdem adhibere fuerit intentus. Quapropter hi Principes non sine indignatione conventum suum Norimbergæ solverunt.

§. XV.

Norimbergense decretum a Cæsare reprobatum.

Non minus Cæsari displicuit decretum, quod ceteri Principes in comitiis Norimbergensibus promulgarunt; vix enim illud perlegerat, cum gravissimis literis ad Principes datis indignationem suam maximam testaretur; verebatur enim, ne Papa ei vel ex omni, vel saltem

tem ex aliqua parte indignos illos imputaret modos, quibus Sedis Apoſtolicæ Legatus in hisce comitiis habebatur, proin ab eo vindictam ſumeret, eo facilius, quo tum Gallorum ac Hiſpanorum viribus in Italia ferme paribus, ab ejus arbitrio dependeret, illam, quæ magis Sedi Apoſtolicæ faveret, altera ſuperiorem reddere. Itaque Cæſar ex urbe Burgenſi die ſeptima Julii (*) ad Germaniæ Principes epiſtolam perſcripſit, in qua vehementer de temeritate Principum queſtus inquiebat, *Cum nos in proximis Wormatiæ habitis comitiis unanimi omnium conſenſu Lutheranam doctrinam interdici, omnesque Scripturas librosque Luthericos deleri, ac comburi curavimus, vos in noviſſimis Norimbergenſibus comitiis duntaxat propter injurioſos & convitioſos Lutheri libellos, indecorasque impreſſiones & picturas ordinationem propoſuiſtis, quaſi nos in prioribus noſtris edictis aliquid novi, aut iniqui propoſuiſſemus.* Acrius in eos invehebatur Cæſar ob decretum de Concilio in Germania celebrando: *Quod autem* ajebat *vos & Status pariter tanquam pro vobis ipſis decreviſtis in noſtra, & Imperii urbe Spira generalem Germanicæ Nationis conventum celebrare, atque in eo vias pro-*

Secul. XVI. A. C. 1524.

(*) Ceteri omnes Scriptores hanc epiſtolam die decima quinta Julii datam referunt.

Secul. XVI. A.C. 1524.

proponere, qualiter cum cultu Divino aliisque Ecclesiasticis Ordinationibus agendum sit usque ad futurum Concilium, ut interea periti, quicquid fidei non consonum, sed contrarium videatur, pro viribus determinent, talia nos neque possumus, neque volumus ullo pacto permittere, sed sicut nos tanquam defensorem Sedis Apostolicæ imprimis decet, ac convenit maxime præcavere, ne cum maxima injuria, contumelia, ac dedecore Catholicæ Ecclesiæ tale quid Germanica Natio sola præsumeret, quod omnes alii Principes Christiani simul cum ipso Papa neque incipere, neque intendere auderent: Cum igitur nos ex supra memoratis, aliisque rationibus ejusmodi vestram actionem velut iniquam cognoscamus, comperiamusque, nisi in tempore prospiceremus, quantum damni ac seditionum in universa Christianitate inde sequi possit, petimus a vobis & injungimus, sub crimine læsæ Majestatis, sub nostro Imperii Banno, sub privatione omnium gratiarum ac privilegiorum, ad hæc sub pœnis in nostro Imperiali Edicto propter hoc Wormatiæ edito contentis serio mandantes, ut vos ab illo nostro Edicto nulla via discedatis, nihilque contra illud agatis, sed quantum possibile, omnino observetis: Præsertim vero in prædicta Statuum intentione de Concilio, aliisque declarationibus, quæ Catholicam fidem concernunt, nequid ullo pacto absque Apostolicæ Sedis, nostraque, aut Gene-

Generalis Concilii auctoritate agatis, sed id totum in proximum Generale Concilium, quod Papæ auctoritate & Consensu indici debet, ac indicetur, differatis.

Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. XVI.

Conventus Spirensis.

Cæsarei hujus diplomatis severitas Principum non paucos vehementer terrebat, quapropter licet Norimbergæ generalia indicerentur comitia, nihilominus nonnisi particularis, ac minus ordinatus habebatur conventus; intererant enim nonnulli duntaxat Principes, ac Imperii Status, qui nullo singulari decreto edito solum statuebant, se usque ad celebrationem Concilii prout ipsis bene visum fuerit, in hoc negotio processuros, ita tamen, ut eorum agendi ratio minime reprehendi valeat, Norimbergense tamen decretum in sui favorem interpretabantur, ac cum ferme omnes ibidem congregati Lutherana hæresi infecti essent, decernebant, *ut liberæ ac Imperiales civitates, eæ præsertim, quæ penes se viros sacri Codicis peritos haberent, ipsis summa diligentia committant, ut super articulis fidei, & iis præcipue, qui ad malum intellectum disputabiles sunt, fideliter ac debite perpendant, suamque consultationem in scriptis offerant Senatui, qui* *Cochl. de act. Lutheri ann. 1524. p. 94.*

Sæcul. XVI. A.C. 1524.

eam suis Oratoribus ad futurum conventum Imperialem destinandis tradat, ut omnibus omnium Civitatum consultationibus in unum collatis, una ex omnibus fiat doctrina, qua ibi utantur. Verum ne hoc quidem decretum majori cura ac Wormatiense Edictum fuit executioni demandatum.

§. XVII.

Lutheri hæresis in Sueciam a Gustavo introducta.

Lutherus has dissensiones in rem suam vertebat, suorumque Sectatorum numerum adeo augebat, ut ejus hæresis brevi a superiore Saxonia usque ad Mare Balticum sese extenderet. Introduxit eam hoc anno in omnes suas ditiones Gustavus novus Suecorum Rex, ac privilegio, quod Lutherus sacrilega auctoritate Principibus concesserat, usus, Ecclesiarum bona diripuit, necnon Senatui Stockholmiæ coacto proposuit, quod sibi ex tribus decimarum partibus duas pro alendis militibus, omnium vero Ecclesiarum vasa argentea ad solvenda debita vendicare velit. Senatu Regis petitioni annuente mox edictum promulgatur, ejusque executio per omnes Provincias deputatis ad id nominatis imponitur. Ea res vehementer displicuit Clero atque Religiosis, qui etiam

etiam seditionem concitare moliebantur; verum Gustavus edicto sanxit, ne Monachi plusquam bina vice per annum suo exirent Monasterio, atque Superioribus alienigenis officio motis alios, qui natione Sueci erant, subrogavit; praeterea Episcopis, ut arces, quae eorum Imperio parebant, Regi cederent, suisque copiis missionem facerent, praecepit, eosque non modo a Senatu exclusit, sed etiam mulctas, & pecunias ex bonorum publicatione perceptas Episcopali ærario inferre prohibuit, simulque vasa argentea, ac superfluas campanas aufferri jussit, concessitque, ut Nobiles bona, quae eorum Majores Ecclesiasticis oppignorarunt, soluto pignoris pretio repetere valerent. Hoc edictum ab ipsis quoque Episcopis fuit subscriptum, excepto Upsalensi Archiepiscopo, quem Rex in Poloniam miserat. Hic vero inde Romam venit, ut Clementem Papam de fidei discrimine, in quo Sueciae Regnum luctaretur, edoceret, simulque ab eo auxilium impetraret: verum ejus preces in irritum ceciderunt.

Saecul. XVI. A.C. 1524.

§. XVIII.

Continuata dissidia inter Lutherum & Carolstadium.

Interea novis indies incrementis dissi-

Sæcul. XVI. A.C. 1524.

dia Lutherum inter & Carolſtadium fervebant, adeo, ut hic ineunte Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto Wittemberga abire, ac ſeſe Orlamundam Turringiæ oppidum, quod Saxoniæ Electoris erat, recipere compelleretur. Selectus ibidem erat a Magiſtratu & populo in Parochum, ſuisque ſermonibus, cum aliunde tota jamjam Germania diſſenſionibus flagraret, novos ſuſcitavit tumultus, & ad Saxoniæ Electorem delatus fuit, quod Anabaptiſtis, ac ruſticorum, qui adverſus Principes ſuos arma ſumpſerant, ſeditioni faveret, quam illi objecta Lutheri doctrina honeſtabant, cauſſati, ſe, quæ ab eo edocti fuiſſent, in opus deducere. Enimvero liber, quem de libertate Chriſtiana vulgaverat, ad concitandam hanc rebellionem haud parum conferebat; ſumma enim petulantia in illo contra Leges ac Legislatores tumultuabatur, quinimo quamvis ſe Magiſtratus, Legesque civiles excipere ſimulaſſet, nihilominus promiſcue de Principibus & Magiſtratibus æque ac de Pontificibus, & Epiſcopis loquebatur; quippe ex eo, quod Chriſtianos hominum nulli eſſe ſubjectos generatim aſſereret, juxta neceſſariam verborum interpretationem nil aliud elici poterat, niſi quod omnem ſubjectionem excutiendi animum in populis

Boſſuet variat tom. 1. l. 2. p. 57. Zwingl. ep. ad Matth. Albert. I. & l. de vera & falſa Relig. Hoſpinian. 2. part. fol. 132. Cochl. p. 105. Pallav. hiſt. l. 2. c. 12.

pulis foveat, eorumque Ducibus ad periculosa omnino consilia viam aperiat. Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. XIX.

Capitalis inimicitia inter utrumque Hæresiarcham.

Tumultuantibus rusticis sese junxerunt Anabaptistæ, ac Sacrilega prorsus agitarunt consilia de suscitanda manifesta seditione, quæ etiam anno sequenti in apertas flammas erupit. His suffragabatur Carolstadius: id saltem Lutherus ei crimini dabat, nec ulli dubium est, eum arcta cum illis amicitia junctum fuisse. Suscitabantur exinde Orlamundæ ingentes omnino tumultus, ad quos in tempore sedandos, ab Electore Saxonico missus est ipse Lutherus, qui Jenam pertransiens pro more suo adversus Carolstadium acri admodum sermone declamabat, ac suppresso quidem illius nomine asserebat, quod Sacramentorum ac Imaginum eversores Münzeri Anabaptistarum Coriphæi Spiritu regerentur. Mox Carolstadius, qui sermoni intererat, e templo exiens, Lutherum adibat, eique asserti sui temeritatem graviter exprobabat, palam professus, quod ipse nec cum Münzero consuetudine junctus esset, nec seditionis causa existeret, minus vero illius Au-

Luther. t. 2. Edit. Jen. 447. Calixt. Junum. 49. Hospinian. Sacr. part. 2. ad annum 1524. fol. 32.

Sæcul. XVI. A.C.1524.

ctorem, vel ejus consilia atque doctrinam probaret; ut vero rebellionis culpam in Lutherum retorqueret, eum sic alloquebatur: ejusmodi probrum optimo jure in te refundi potest, de cetero mihi haud toleranda videtur tua de præsentia reali opinio, eoquod iis, quæ de Sacramentis dixisti, palam adversetur, præterea tu talia enuntiasti, quæ potius commentitio, quam vero pro nobis Crucifixo Christo Domino convenirent, idque palam probabo, si vero erroris convincar, meam mutare sententiam, paratus ero.

§. XX.

Carolstadius a Luthero ad edendum adversus se librum provocatus.

Hospin. l. c. fol. 32.

Lutherus, ut adversus se calamum arriperet, Carolstadium per summam arrogantiam provocabat, brevique acerrima utrinque disceptatio accendebatur. Lutherus insuper ex marsupio suo aureum extraxit, quem Carolstadio daturum se promisit, si contra eum scribere auderet: „ Accipe, ajebat Luthe„ rus, hunc aureum, & quantum va„ les, adversus me calamum tuum a„ cue; „ Conditionem acceptat Carolstadius, acceptumque aureum sacco suo imponit, adstantes allocutus: „ Fratres „ mei,

„ mei, ecce ſignum, ecce pignus po- Sæcul. XVI.
„ teſtatis, quam adverſus Lutherum A.C. 1524.
„ Doctorem accepi; hujus rei teſtes eſſe
„ velitis rogo. „ His dictis ambo dexteras junxerunt mutuo polliciti, quod alter alteri acri pugna moleſtus foret. Præterea Lutherus poculum vini Carolſtadio propinabat, exclamans, vivat celebris elucubratio, quam Carolſtadius in lucem editurus eſt; Carolſtadius ex adverſo propinanti reſpondit, totumque vini poculum exhauſit; ita nempe pro more patriæ literario huic bello claſſicum canebatur die vigeſima ſecunda Auguſti anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto. Aſt memoratu ſat digna erat Urbanitas, qua fortes hi pugiles ſe invicem valere jubebant, *num te ultra*, inquiebat Carolſtadius ad Lutherum, *in platea ſuſtineam*, *abſcede*, *ut collum frangas*, *priusquam oppidum exieris*. Nec minus glorioſus erat Lutheri ingreſſus in urbem Orlamundanam; inſtigante enim Carolſtadio frequenti lapidum jactu excipiebatur, ac pene ſtercoribus obtegebatur. Ecce novum Evangelium! ecce tabernam! quæ Sacramentariorum Anteſignanum parturivit.

Secul. XVI. A.C. 1523.

§. XXI.

Carolstadii liber adversus Lutherum.

Ludov. Lanaterus hist. Sacram. de cœna Domini an. 1524. f. 2.

SaxoniæElector compertis hisce tumultibus haud diu Carolstadium suis in ditionibus sustinuit, moxque eum excedere jussit, eodemque fato Martinus Rheinhardus Jenensis Præco e Saxonia ejectus est. Carolstadius vix urbe egressus datis ad Orlamundanos Cives literis graviter questus est, se violatis Christianæ charitatis legibus sollicitante Luthero nec auditum nec convictum, fuisse e Saxonia pulsum. Perlegebatur ejus epistola populo æris campani sonitu convocato; nemo tamen Carolstadii vicem dolebat, quapropter Argentinam fugiens Basileæ duos libros typis vulgavit, qui tamen utrique parti æque displicebant, eosque Tigurinus Senatus, quem doctrinæ ibidem contentæ novitas ad id commovit, in ea urbe vendere, ac distrahere prohibuit, nequicquam obluctante Zwinglio, qui hosce libros inoffenso pede percurri posse contendebat. Agebat in illis Carolstadius de præsentia reali, docebatque, quod in Eucharistia Corpus ac Sanguis Christi haud contineatur, nec particula *Hoc* in verbis consecrationis panem, quem Christus Discipulis suis distribuit, designet, sed ipsum-

ſummet Chriſtum Dominum indicet. Eosdem quoque libros Argentinenſis Magiſtratus prohibuit, atque omnes, qui illos divulgarunt, carceribus includi præcepit. Sæcul XVI. A.C.1524.

§. XXII.

Anabaptiſtarum doctrina.

Haud minori furore Nicolaus Storkius, & Thomas Münzerus Anabaptiſtarum Duces doctrinæ ſuæ non minus impiæ quam ſeditioſæ venenum ubique ſpargere pergebant. Docebant illi præter errores ſupra memoratos adhuc ſequentes: I. Parvuli non ſunt ſacro fonte tingendi. II. Verbum Dei ſcriptum contemnendum eſt, ſoli autem Spiritus motus ſequendi veniunt. III. Qui veram doctrinam amplectentur, libertatem Evangelicam profiteantur, omnibus rebus terrenis valere juſſis, mentem oculosque ad Deum intendant, ſeque protinus iterum baptizari ſinant, illi vero omnes huic doctrinæ contradicentes, Magiſtratus ſimul ac Principes, eoquod electos Dei ſervos absque auctoritate ac ratione opprimant, igne ferroque ad internecionem deleant, cum natura omnes liberos genuerit, ac fratres atque omnia ſingulis eſſe communia voluerit, nec gravari ab aliquibus permiſerit, *Cochl. ann. 1524. p. 108. Pallav. hiſt. l. 2. c. 12.*

Sæcul. XVI. A.C 1524

IV. Episcopos & Pastores vel trucident, vel saltem e finibus suis ejiciant, & bona eorum diripiant, Monasteria diruant, omnesque corruptelas, quas in Ecclesia dominari asserebant, pessumdent; cum hæc sit Numinis voluntas, cui morem gerere tenerentur. Perversam hanc doctrinam nonnullis sacræ Paginæ testimoniis ad insana eorum dogmata detortis confirmabant. Porro Storkius his addebat, sibi ab Angelo fuisse revelatum, quod in throno Gabrielis Archangeli sedem accepturus, seu juxta ejus interpretationem orbis Imperium adepturus foret, & cuncti, qui ei adhærebunt, exterminatis omnibus impiis, qui scilicet rebaptizari renuerent, secum regnaturi essent; ut vero hi tantam felicitatem attingerent, Spiritum sanctum recipere deberent, ad quem recipiendum linguam a verbositate cohiberent, ac neglecto corporis habitu in victu & vestitu sordidi ac squalidi viverent. Qua sorte infelix iste Storckius perierit, ignoratur.

§. XXIII.

Hæc doctrina a Münzero ad populum dicta.

Fist. des Anabapt. imprim. a Amst. 1700. Cochl. l. cit.

Thomas Münzerus, Vir admodum vehemens feroxque natura, jactitabat, sibi a S. Michaele Archangelo, quæ-

quæcunque prædicaret, inſpirari, ſeque a Deo ſelectum, ut Gedeonis gladio novum Chriſti Regnum fundaret; verbo, tam ſcite Enthuſiaſtam, ſeque divinitus illuſtratum mentiebatur, ut paſſim Fanaticorum caput haberetur. Is Alſtadio pulſus, ut ſupra dictum, aliquamdiu Norimbergæ morabatur, ubi plebem ad ſeditionem moviſſet, niſi Magiſtratus conſtantia obſtitiſſet, a quo urbe ejectus fuit; nihilominus librum quemdam prorſus ſeditioſum edidit, pluraque illius exempla ubique divulgavit: unde in variis locis ingentes exoriebantur tumultus. Sæcul. XVI. A C. 1524.

§. XXIV.

Initia belli in Suevia a Ruſticis excitati.

Norimberga Mulhuſium profugus toto, quo Alſtadii agebat tempore, quam plurimos ſibi Sectatores conciliabat, eorumque numerum adeo augebat, ut illorum potentia fretus, univerſalem ſuam Monarchiam ſuper omnium Principatuum ruinis ſe erigere poſſe confideret. Ergo tam calamo quam lingua audacter proclamabat, Dei voluntatem eſſe, ut tandem Principum oppreſſiones, ac Magiſtratuum injuſtitiæ ceſſarent: cum tempus adveniſſet, in quo illos probis *Cochl in Catal Sedit. ann. 1525.*

Sæcul. XVI. A C. 1524.

probis hominibus subrogatis exterminare, a summo Numine jussus esset: ut vero ejus audaciæ optatus adspiraret successus, innumeros pene rusticos, ac infinitos propemodum sceleratos homines ad suas partes pertraxit, atque ex illis exercitum conflavit, qui totam Germaniam terrore complevit, eamque ferro flammaque horrendum in modum vastavit. Præ ceteris primi erant Rustici Suevi, qui exeunte anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quarto contra Comitem de Lupfen arma sumpserunt. Horum exempla mox circumvicini sequebantur rustici, brevique temporis spatio tota propemodum Germania velut continenti incendio flagrabat, ad quod in tempore extinquendum Imperii Status conventu Eslingæ habito inducias, nonnullasque conditiones rusticis, ut illorum petitionibus satisfacerent, proposuerunt, nec absque successu; quippe illi aliquamdiu a tumultibus publicis cessabant.

§. XXV.

Anabaptistarum Secta apud Helvetios ab Hubmeyero divulgata.

Spond. ann. 1525. *n.* 14.

Præterea Anabaptistarum hæresis in Helvetia quoque altas egit radices, ac tantum in numerum præcipue in Tigurino pago illius Sectatores excreverant,

rant, ut parum abeſſet, quin hæreſin ſuam ſuper prætenſæ ſuæ Reformationis ruinas ædificarent. Hujus novi moliminis Auctores ingenio, audacia, ac pertinacia longe erant clariſſimi, inter quos præprimis eminebant Balthaſar Hubmeyerus, Felix Manzius, Conradus Crebelius, Georgius Blawork, præter nonnullos alios: reliquis tamen omnibus palmam eripuit Hubmeyerus Pacimonti in Haſſia natus Theologiæ Doctor; agebat is aliquamdiu Valduſtæ Sueviæ oppido Præconem, ibique novi Evangelii dogmata populo annuntiabat, frequenti epiſtolarum uſus commercio cum Zwinglio, cui amicitia junctus erat. Hoc anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto mutata ſententia Fanaticæ Religioni, quam eidem Müncerus tum Baſilea Valduſtam delatus ſcite inſtilaverat, nomen dedit, ac brevi perverſa hac doctrina imbutus, veſanoque Spiritu ebrius, Valduſtæ venenum ſuum effudit tanto furore, tamque pervicaci ſtudio, ut ne ipſe quidem Müncerus, ac vehementiſſimi quique Anabaptiſtæ majori rabie tumultuari potuiſſent: nam Hubmeyerus tam rapido progreſſu doctrinam ſuam populo inſpirabat, ut exiguo admodum tempore Valduſtanorum incolarum potiſſimi hanc Sectam amplecterentur: unde factum, ut Ana-

Secul. XVI. A.C. 1524.

Secul. XVI A.C. 1524.

Anabaptiſtæ Catholicis numero ſuperiores, eos expellerent, eorumque bona diriperent; ubi vero rurſus Catholici prævalebant, hi viciſſim omnes ejiciebant Anabaptiſtas, qui fuga, prout cuique ſors dederat, dilapſi, ubique novos hæreſis ſuæ Sectatores conſcribere ſtudebant.

§. XXVI.

Illuſoria Hubmeyeri palinodia.

Spond. l. cit.

Seceſſerat Hubmeyerus Tigurum ad quamdam viduam itidem Anabaptiſtarum erroribus infectam, cui amicitia junctus, illiusque amore captus erat; verum Magiſtratus rem edoctus, illum comprehendi, atque ad urbis Prætorium adduci juſſit. Aderat ibi Zwinglius cum quibusdam theologis; Hubmeyerus enim adhuc Valduſtæ agens poſtulabat, ut ſibi contra Zwinglium ob Baptiſmum Parvulorum in arenam deſcendere liceret. Nec diſputandi provinciam recuſavit Zwinglius, tamque validis Hubmeyerum doctorem obruit argumentis, ut is neque quid ageret, neque quid reſponderet, promptum haberet, & ſe erraſſe fateretur, ſuamque hæreſin revocare promitteret. Ergo palinodiam ſuam, quam pro libitu ſuo concinnaverat, in Abbatiæ Templo publice prælegit, qua finita Zwinglius ſermonem habuit,

habuit, cui Hubmeyerus præsens ea, quæ mox prælegit, rursum negavit, ac vehementer contra infantum Baptisma declamans, alios insuper errores palam propugnavit: quocirca in carcerem conjectus, atque angulo quatuor muris cincto incluſus mitiorem induxit animum, veniamque a Deo, ac Magistratu precatus fassus est, se instigante diabolo palinodiam suam revocasse. Magistratus nimia indulgentia usus, supplicanti criminis gratiam fecit, nec alio perjurum affecit supplicio, quam exilio ex Tigurino Pago: Cum vero satellites a Cæsare missi vicinas obsiderent vias illum comprehendere jussi, ideo Zwinglius a Senatu impetravit, ut Hubmeyerus tamdiu Tiguri permaneret, donec sublato periculo opportunam abeundi occasionem nanciscereturSæcul. XVI. A.C. 1524.

§. XXVII.

Erasmi Epistola ad Clementem VII. Papam.

Ferventibus hisce tumultibus doctus ille Erasmus, cum a fidei suæ firmitate nequaquam profanis hisce novitatibus undique divulgatis dimoveri posset, literas dedit ad Clementem VII. Papam, ut immotum erga Ecclesiam Catholicam studium, suumque animum decla- *Epist. Eras. l. 19. ep. 1.*

Sæcul. XVI. A.C. 1524.

declararet. Dabat die decima tertia Februarii anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo quarto. *Dum te*, inquit, *supremis rerum gubernaculis admotum cognosco, libet magis publice gratulari Orbi Christiano quam privatim tibi: Utinam pernosset Sanctitas sua, quanta fide me gesserim in Lutheri negotio, qui nec magnorum Principum sollicitationibus, nec amicorum eruditorum illecebris, nec rursus quorumdam Theologorum ac Monachorum odio, qui me ob invectas apud nos bonas literas pejus oderunt quam Lutherum, perpelli quiverim,* ut seditioso negotio me adjungerem, & adversus Sedis istius dignitatem conspirarem: etsi illas, quæ in libris ante Lutheri insultus a me editis scripsi, nonnulli depravent, & in pessimam partem interpretentur: ceterum, cum illa scriberem, non suspicabar, quod exinde populi offensio oriretur: si vero id sciviſſem, multa ex iis non quod impia sint, sed ne malis mali occasio forent, aut siluissem, aut aliter scripsissem, atque hac de causa ante annos duos in posterioribus editionibus multa correxi, ut talibus ansam eriperem; libenter tamen & cetera mutassem, si quis fraterne me monuisset. Ego semper me, meaque omnia submisi judicio Romanæ Ecclesiæ, non repugnaturus, etiamsi iniquam de me ferat sententiam. Sed mihi

mihi certior est *fiducia, tuæ Sanctitatis æquitatem hoc non passuram, ut paucorum insanis odiis dedar.* ad calcem Epistolæ suæ subjungit Erasmus: *Precor, beatissime Pater! ut Dominus Jesus te velit esse novi & aurei sæculi vindicem & instauratorem, id quod vehementer* una mecum exoptant omnes, quibus hæc dissidia merito displicent. Credat mihi, sua Sanctitas superabit omnium Pontificum gloriam, si hos bellorum & opinionum tumultus composuerit: & primum quidem efficiet, si se prætulerit Principibus omnibus æqualem, alterum vero obtinebit, si quædam mutabit, *quæ salva pietate mutari possunt.* Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. XXVIII.

Epistola Melanchtonis ad Erasmum.

Elapso aliquot mensium spatio Erasmus epistolam recepit a Melanchtone scriptam, cujus hæc summa erat: *Non injuria quereris de moribus* eorum, qui Evangelium hoc tempore profitentur, mi Erasme! obliti mihi plane videntur & humanitatis & Religionis, in Ecclesiis multitudinem seditiosis concionibus concitant, in literas sæviunt, & civilem disciplinam universam labefactant, sibique Regnum *parant, non Christum docent.* Post hæc Melanchton prorsus sine ullo *Ep. Erasm. l. 19.*

Sæcul. XVI A.C. 1524.

fundamento asserit: *dissimillimus horum Lutherus* est, nec raro deplorat, privatis cupiditatibus prætexi Religionis vocabulum ab his, qui cum Pontificis Regno bellum gerere videri volunt: quamquam autem his malis vehementer Lutherus commoveatur, sed tamen *propterea Evangelii causam deserere, negat se debere.* Quare te rogo, ne doctrinæ propter cujuspiam stultitiam aut temeritatem iniquior sis: Ego integra conscientia Lutheri dogmata non possum damnare. Quod ad Diatribam de libero arbitrio attinet, æquissimis animis hic accepta est. Tyranni enim est vetare, ne quisquam in Ecclesia sententiam de Religione dicat.

§. XXIX.

Responsum Erasmi ad Melanchtonem.

Inter Epist. Eras. lib. 19. ep. 3.

Ad hæc Erasmus Melanchtoni respondit: *Si hic adesses, mi Philippe! ac præsens spectares fabulam, tum magis diceres me non sine causa queri de moribus quorumdam, qui tumultuantur Evangelii titulo. Nec dubito, quin hujusmodi portentis indignetur Lutherus; hi enim ejus auctoritatem fortiter negligunt, quoties ipsis videtur commodum. Quid Luthero suus dictet spiritus, ipse viderit. Te non sum vehementer adhortatus ad palinodiam, vel ob id, quod scirem*

rem me in hoc operæ lusurum. Non sum judex alienæ conscientiæ, nec Dominus alienæ fidei. Certe optabam tuum ingenium, ut est natum bonis literis, ita iisdem perpetuo fuisse dicatum. Non defuissent actores isti tragediæ, quæ quo casura sit, incertum est. Absit, ut Evangelicæ doctrinæ succenseam, sed in doctrina Lutheri multa me offendunt, illud imprimis, quod quicquid suscepit defendendum ibi impendio vehemens est, nec unquam facit finem, donec perferatur ad hyperbolem. Etiam admonitus adeo non mitigat, ut omnia reddat confusa. Utinam Lutherus tam posset Pontifices ac Principes ad Evangelicæ pietatis studium convertere, quam fortiter in illorum vitia debacchatur. Libertatem ita malebam temperatam, ut Pontifices etiam ac Monachos ad hujus negotii consortium pelliceremus. Admonui per literas Hedionem, Oecolampadium & Pellicanum, ast hi egregium Evangelii profectum interpretantur, si pauci Monachi sint exonerati cuculla, si Sacerdotibus aliquot prospectum sit de uxore, Lutherus quoque tantum colligit e rebus ea, quæ mala sunt, & ita pugnat tollere, quod offendit, ut non satis caveat aliud malum gravius. Quot enim locis quam atroces tumultus exorti sunt? & expectamus his atrociores: quid inutilius ad Christianam pietatem, quam hæc audire vulgus indoctum, hæc instillari auribus adolescentum, Pontificem esse Antichristum, Episco-

Sæcul. XVI. A.C. 1524.

Saecul. XVI. A.C.1524.

pos, & Sacerdotes esse larvas, Constitutiones hominum esse hæreticas, confessionem esse pestiferam, opera, merita, & conatus esse voces hæreticas, nullum esse liberum arbitrium, sed omnia necessitate geri, nihil referre, qualia sint hominis opera? Genuit olim Evangelium mundo novum genus hominum, nunc quales gignat hoc Evangelium non libet referre, certe, quos olim novi optimos, quosque dixissem virtuti natos, video factos deteriores.

§. XXX.

Erasmi tractatus de libero arbitrio contra Lutherum.

Cochl. de act. Luth. p. 140. Sleid. in com. l. 4. p. 123. Spond. ad an. 1524. n. 9.

Ex epistola Melanchtonis ad Erasmum, quem ad scribendum de libero arbitrio librum adversus Lutherum stimulabat, haud obscure colligimus, jam eidem perspectum fuisse docti hujus viri propositum, quo ejusmodi tractatum elucubrandum susceperat. Enimvero Erasmus, quamvis hucusque veram Ecclesiam adversus novas hæreses calamo tueri cunctaretur, nunc tandem non modo amicorum precibus, sed etiam Principum, imo & Præsulum impulsu ad id movebatur, præcipue vero ipsa eum necessitas compellebat, ut semetipsum tueretur adversus illos, qui illum Lutheri fautorem criminabantur, his itaque rationibus permotus adversum

hunc

hunc Hæresiarcham calamum stringere constituit, scripsitque hoc anno tractatum, cui titulus: *Diatribe* hoc est *exercitatio de libero arbitrio.* Libellus iste eruditione, eloquentia, ac Scriptoris moderatione plane præclarus est, de quo fusior redibit sermo, ubi Lutheri responsum, nonnisi biennio post editum referremus. Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. XXXI.

Oecolampadius fidei desertor, ac novæ reformationis Sectator.

Quamquam Oecolampius Erasmo amicitiæ fœdere junctus esset, illo tamen minus in fide constans ad eam mentis imbecillitatem prolapsus est, ut se hoc anno novarum hæresum torrente abripi sineret. Natus is erat anno Christi millesimo quadringentesimo octogesimo secundo, ac Juvenis admodum Basileam vocabatur, ut in Principali Ecclesia Verbum Dei populo annunciaret: Anno autem millesimo quingentesimo decimo septimo elegantissimam juxta ac doctissimam ad Erasmum perscripsit epistolam, in qua haud vulgaria tenerrimæ ferventisque pietatis specimina prodidit: imo sanctioris vitæ studio animatus anno Salutis millesimo quingentesimo vigesimo in Monasterio S. Laurentii prope Augustam Ordinis S. Brigittæ habitum induit,

Spond. ann. 1525 n. 17. Sand. hæres. 210.

Prateol. in vita Oecol. Wolfg. Capito. ibid. Florim. Raym. de orig. hæres. l. 2. c. 8. n. 9 & 10. Epist. Eras. l. 7. ep. 42. & 43.

Sæcul. XVI A.C. 1524.

induit, nec diu tamen in sacræ familiæ societate permansit, sed relicto Monasterio Basileam contendit, ubi eidem Paræcialis Ecclesiæ cura demandata fuit: Verum paulo post Novatorum erroribus seductus, Basileæ in primarium commentitiæ reformationis Pastorem seligebatur, ac præcipue cum Zwinglio consuetudinem jungens, ejusdem errores ubique divulgare conabatur, eodemque anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto, ni fallimur, librum edidit hoc titulo: *De genuina expositione verborum Domini: Hoc est Corpus meum, id est figura corporis, signum, typus, & symbolum,* Erasmus enim hoc anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quinto de hoc libro hæc verba habet: *Oecolampadius tanto studio, totque machinis argumentorum, & tanta facundia scripsit, ut seduci possint, ni vetet Deus, etiam electi.* Oecolampadio Lutherani aliud scriptum opposuerunt, sub hac inscriptione *Syngramma*, cujus Auctor fuisse putatur Joannes Brentius; Oecolampadius vero iis respondens, alium librum edidit, cui titulus: *Anti-Syngramma.* Vulgavit insuper alios tractatus contra liberum arbitrium, & invocationem Sanctorum, docuitque, quod Christianis bella gerere, haud licitum esset. Erasmus ad Natalem Bedam Facultatis Parisinæ Syndicum

Eraſm En. apud. Natal Bed.

cum scribens, eum iterum iterumque rogat, ut pernicioſum Oecolampadii librum, ſi is Doctorum judicio committeretur, hi non modo cenſura perſtringant, ſed etiam ſolide confutent, ut malo inde provenienti firmiter occurratur. Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. XXXII.

Cardinalium Senatus a Papa coactus circa Germaniæ negotia.

Interea Clemens VII. ut Concilii generalis celebrationem declinaret, magna utebatur ſagacitate; verebatur enim ne ejus auctoritas in diſcrimen adduceretur, quinimo cum adhuc Cardinalis eſſet, inquiebat, quod Synodum ex quavis alia cauſſa celebrare prodeſſet, præterquam ubi in ea agitur de Pontificia auctoritate (*), cum hanc quæſtionem

(*) Hæc Continuator ex Petro Suavi Polono, qui opiniones Pontificum honori magis adverſantes amplectitur, mutuavit, optandum tamen, ut Pallavicinum, qui eundem confutat, ſecutus fuiſſet, ac cum eo Lectori hæc dixiſſet: *qua ratione id potuiſſet univerſe affirmari, illiusque controverſiæ gratia, quæ de Pontificia auctoritate tunc agitabatur, hoc eſt, quæ cum Luthero tunc erat, quando tria poſtrema Concilia, Conſtantienſe, Florentinum, & Lateranenſe eam*

Sæcul. XVI. A. C. 1524.

in Conciliis rursum agitare, noxium esset. Ex his facile conjicimus, Papam ad Romanam Sedem evectum suam haud mutasse sententiam. *Verum etiam est*, inquit Pallavicinus, *visam in Clemente variis temporibus dubitationem, ne aperto semel Concilio inquieta quædam ingenia importunam quæstionem de prærogativa inter Concilium ac Pontificem suscitarent, ne, dum schisma compescerent, novum inducerent.* Obstabant insuper Cardinales, qui in Concilio de morum restauratione agi pertimescentes Clementem præpediebant, ne Germanis Concilium congregari petentibus aures præberet: quapropter dilata Synodi celebratione interim nonnisi simplicem Cardinalium conventum agebat, cujus definitionibus, vel ideo haud magna tribui poterat auctoritas. Decreverunt vero illi: I. Cæsar summis precibus exoretur, ut executionem edicti sui Wormatiensis contra Lutherum toto studio urgeret. II. Itidem Angliæ, & Lusitaniæ Regibus supplicetur, ut liberis

Pallav in apparatu ad hist. Conc. Trid. c. 10 p. 36 in hist. l. 2. c. 10. p. 176.

---

eam adeo confirmarunt, ut ipsorum primum editis definitionibus, dum adhuc nullus existeret Pontifex certus, evaserit Catholicorum machina Lutheranis prorsus inexpugnabilis. Ex eodem igitur Pallavicino causas discere potuisset Continuator, quibus movebatur Clemens ad declinandum Concilium.

beris Germaniæ urbibus omne commercium intercludi minarentur, nisi præfatum edictum executioni darent. III. Legatus Principes Catholicos inducat, ut Spirensem Conventum impediant, vel saltem, si id impetrare non poterunt, adversus illum reclament, hocque pacto Sedis Apostolicæ jura tueantur. IV. Idem Legatus ad factam congregandi Concilii petitionem respondeat, quod Sanctitas sua ad illius celebrationem valde prona esset, illud tamen convocare haud posset, quamdiu Principes Christiani bello inter se implicarentur. V. Ad quæstionem de oneribus, quibus Germani se gravatos querebantur, reponat, potissimam eorum partem per Lateranense Concilium fuisse sublatam, ac a Papa jussum, ut illius decreta executioni darentur, si vero id nondum sufficeret, Papam huic negotio ante futuri Concilii celebrationem invigilaturum, simulque specialem instituturum Congregationem ad id unice deputatam. Saecul. XVI. A.C. 1524

§. XXXiII.

Baiardi Equitis copiæ a Piscario invasæ.

Nec facili labore Pontifici stetit Principum reconciliatio; quippe Carolus adepto Imperii solio virorum utebatur

Secul. XVI A.C. 1524

tur consilio, qui illa ætate animi fortitudine, rerumque gerendarum dexteritate longe celeberrimi erant; aliunde Cæsar omnino sibi persuasum habebat, quod imperii sui felicitas haud firmiori fulcro consistere posset, quam si Hispaniæ Regna cum Neapolis Sceptro perfecta concordia unirentur, atque Italiæ Principes lenitate Cæsari devincti in officio continerentur: ut vero hisce consiliis optatus adspiraret eventus, Gallos penitus ex Italia pellere, & Francisco Sfortiæ Ducatus Mediolanensis possessionem firmam reddere, omnino necessarium duxit. Ex adverso Franciscus Galliarum Rex primas eo curas intendit, ut eundem Ducatum recuperaret, ac rursum illas urbes, ex quibus a Cæsareis expulsus fuerat, occuparet. Exercitus illius Rebecci castra metabatur, atque Equitibus Bajardus Eques, peditibus vero Lorgesius Montgomerius præerat. Alliciebat Cæsareos ad prælii discrimen non modo hostis propinquitas, sed ipsa etiam loci opportunitas, quocirca Bajardus iteratis precibus Bonivetum Admiralem urgebat, ut ab illo de hac statione vel revocaretur, vel saltem suæ copiæ pari numero, ac agmen ipsius validum esset, nimirum ducentis Lanceariis, ac bis mille peditibus augerentur. Pollicebatur equidem Bonivetus

Guicc. l. 15. Vie du Chev. Bayard ch. 64. Mem. du Bellai.

vetus hasce ſuppetias, cum autem Piſcario a ſuis exploratoribus nunciatum eſſet, quod Bajardus adverſa valetudine preſſus lecto decumberet, quantocius illum intercipere ſtatuit. Adhucdum cœlum albebat, cum jamjam Rebeccanæ urbis portas attingens, milites, qui excubias agebant, primamque ſtationem vi perrumperet, prius vero ſeptem millia peditum ac quingentos, quos ducebat, cataphractos tunicas albas ſuper arma ſua induere juſſerat, ut concubia nocte eo facilius ſeſe a Gallis internoſcerent: unde ea pugna vulgo *anteluca-na irruptio* vocabatur. Bajardus ad primos adventantis hoſtis rumores e lecto ſuo ſeſe proripuit, ac tremulo febris horrore agitatus, quamvis ea die medicinam ſumpſiſſet, in equum inſiliit, atque poſt exiguum admodum tempus cum quinque vel ſex ſuis Cataphractis munimentum conſcendit. Sæcul. XVI. A. C. 1524.

§. XXXIV.

Bonivetus Fœderatis reſiſtendo impar, indeque turbatus.

Acceſſerant brevi Lorgeſius, aliæque Gallorum copiæ, quibus ſuffultus tam rara fortitudinis ſuæ ſpecimina edebat Bajardus, ut quaquaverſum ferro fugæ viam ſibi aperiens, omnes ferme mili- *Mem. du Bellai l. 2.*

Secul. XVI. A.C. 1524. milites suos periculo subduxerit, ac Biagrassam sese receperit. Occurrebat in itinere Boniveto Admirali, nec se continere poterat, quin eidem exprobraret, ab eo ad tam imprudentis consilii necessitatem fuisse adactum. Interea Fœderati, cum in Admiralis castra irrumpere desperarent, die secunda Martii impositis tribus pontibus Papiæ Ticinum flumen superarunt, ibidemque castra posuerunt, ut Boniventum famis vi ad deditionem cogerent, simulque præpedirent, ne is Helvetiorum reciperet suppetias, quas per Pragelasensem, & Salassorum vallem accurrentes expectabat. Bonivetus castris Viglebanum promotis trans Ticinum substitit, ut militibus suis comeatus copiam magis expeditam redderet; verum hæc quoque Boniveti consilia evertebat hostium solertia; hi quippe captis Sertirana & Vercellis urbibus liberum ad Pedemontanam Regionem aditum Gallis intercludebant. Pariter eodem tempore nunciatum fuit Boniveto, Monteianum & Bouterium a Joanne Medicæo captos, eorumque copias penitus fuisse profligatas, non sine ingenti etiam Cataphractorum dispendio, tanto magis Gallis funesto, quo tota illorum spes unice reposita esset in sex millibus Helvetiorum, qui jamjam Ivream venisse dicebantur. His igitur, ut

ut sese jungeret Bonivetus, statione mutata Novarræ castra metatus est, ubi vero inter ipsum, ac Vercellas urbem Fœderati sua castra ponebant, rursum Bonivetus Romanagnum usque, oppidum ad Sicidam situm procurrere, impositoque ex navibus ponte flumen silenti agmine trajicere compellebatur: ubi occurrebat proxima nocte Helvetiis, qui datam sibi fidem nequiter violatam questi ulterius progredi renuebant; quorum repugnantia factum, ut Helvetiorum potissimi, quos Gallorum exercitus numerabat, popularium suorum consilia edocti relictis Gallorum signis quantocius dilaberentur. Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. XXXV.

Bonivetus in fuga invasus, ac vulneratus.

Admiralis hac Helvetiorum pertinacia perterritus, trajecto Sicida flu- *Capella l. 2.*
vio nil reliquum habebat, quam ut cum suis in Franciam auffugeret; verum ultimo ejus agmini ex paucis, qui superarant equitibus conflato Fœderati tam acriter instabant, illudque tanta cædis aviditate aggrediebantur, ut ad primam scloporum explosionem Bonivetus in dextero brachio minoris plumbi glande trajiceretur, ac saucius e prælio exire com-

Sæcul. XVI. A.C.1524

compelleretur, qui postmodum in lectica trans pontem deferri voluit, veritus, ne in Borbonii Ducis inimici sui manus incideret: Priusquam vero secederet, Bajardum Equitem ad se accersitum allocutus, prærepta mihi est, ajebat, pugnandi copia; quaproprer tibi, quem ceteris magis idoneum veneror, exercitus imperium cedo. Bajardus nativo animi sui candore respondit: tarda nimis sunt hæc consilia, nec malo remedium supereſt, nihilominus etiam cum dispendio vitæ obsequia patriæ meæ debita præstare conabor. His dictis regiminis curam partiebatur cum Vandenesso Chabannii Marescalli fratre: Igitur ambo junctis viribus hostium impetus infracta virtute sustinebant, eosque tam fortiter repellebant, ut Bonivetus cum Gallorum exercitu redeundi spacium nanciscceretur: hæc tamen virtus utriusque Herois sanguine ac vita stetit; quippe Vandenessus sclopi globo trajectus, suoque lapsus equo occubuit, Bajardus vero eodem ferme momento, eademque glande comminuta vertebra lethale vulnus accepit.

§. XXXVI.

Bayardi Equitis obitus.

Referunt Historicorum nonnulli, quod Bayar-

Bayardus, poſtquam equo deſcendens, arborique innixus in terra verſo ad hoſtem vultu ſediſſet, deficiente Sacerdote, animi demiſſione impulſus peccata ſuæ menſæ Præfecto patefecerit. Hunc Borbonius, cum eum vidiſſet, adiit, miſeramque illius vicem dolens inquit: „ Bellidux Bayarde! caſu tuo vehe„ menter commoveor, ac in tanto do„ lore tuo pari prope moleſtia afficior; „ te enim ob animi fortitudinem, tu„ amque prudentiam maximi ſemper „ habui, hinc etiam nunc ſortem tuam „ ſummopere miſereor. „ Cui Bayardus magnanimo prorſus animo repoſuit; Princeps illuſtriſſime! gratias tibi rependo; aſt tua de me ſuperflua eſt miſeratio; morior enim non ſine fama obſequiorum, quæ Regi meo præſtiti, tu vero miſeratione dignus es, qui contra Regem tuum violata fide, ac juramenti Religione arma capeſſis. Ad hæc Borbonius adeo non Bayardi libertatem indignatus, ut etiam defectionem ſuam nonniſi incurſo Regis odio excuſaret, quem Bayardus morituris jam atque hiulcis vocibus adhortabatur, ut in Regis gratiam rediret, atque iniqua abjiceret conſilia, in quæ cæco prorſus impetu præcipitem ſeſe dediſſet. Superveniebat paulo poſt & ipſe Piſcarius Marchio, qui morienti haud vulgaribus

Sæcul. XVI. A. C. 1524.

Hiſt. du Chevalier Raynald. c. 55. & 65. *Mem. du Bellai l.* 2. *Guicc. l.* 15.

Secul. XVI. A.C.1524.

bus signis suum in eum affectum ac venerationem testabatur, simulque eodem in loco tentorium pro illo erigi jubebat, tantoque obsequio, quo majus nec ab ipsis quoque amicis sperare potuisset, illum prosequebatur. Defunctum non minus Cæsarei quam Galli lugebant, & Piscarius corpus ejus aromatibus condiri, ac sub honorifico præsidio ad suos Propinquos remitti jussit, funus comitante illius Magistro domus, cui Borbonius Dux securitatis literas tradidit. Deferebatur autem Bayardus in Delphinatum, & sepeliebatur in Templo Fratrum Minimorum in Plana prope Gratianopolim. Obiit Mense Aprili Anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto, nonnisi quadraginta octo annos natus.

Obitus sui fama pene ceterorum omnium, qui pari fato occubuerant, memoriam obliterabat, Rex quoque tanti Viri jacturam assidue plangebat, nec unquam nisi adjecto elogio illius mentionem faciebat; communi enim omnium suffragio dicebatur, quod præter eum nullus hucusque jure magis merito Eques probus, intrepidus, nullaque reprehensione dignus fuerit appellatus.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Sæc. XVI. A.C. 1524.

Gallorum exercitus ſuperatis Alpibus in Gallias reverſus.

Interea Comes Sancti Pauli ſuſcepto exercitus imperio ſine magno ſuorum diſpendio ſeſe recepit, Fœderatis tamen non modo ſarcinas ſed & viginti belli tormenta cedere coactus eſt, quæ Helvetii in oppido S. Agathæ reliquerunt, ut in patriam ſuam reverſuri, eo expeditius per Vallem-Auguſtam iter arripere poſſent. Denique Comes, atque Admiralis Bonivetus nemine obſiſtente Taurinum attingebant, ubi ambo in loco, qui Seguſio & Brigantio interjacet, Longevillæ Ducem obviam habebant cum quadringentis Lanceariis, qui Helvetios in Italiam comitari juſſi erant. Haud dubium eſt, quin Cæſarei, ſi Rex hunc peditatum unacum ſex Helvetiorum millibus jamjam Ivream usque progreſſis ante duodecim duntaxat dies præmiſiſſet, penitus fuiſſent profligati, Gallique nullo negotio Mediolani Ducatum recuperaſſent. Nunc vero Gallis ad ſua remeantibus equidem Buſſus de Ambaſia, & Buzzolus Princeps, quorum prior Laudæ, alter Alexandriæ Gubernatores erant, Cæſareis reſiſtere conabantur, cum vero præſidiarii eorum

Mem. du Bellai l. 2. Gal. Capel. l. 3.

Secul. XVI. A. C. 1524

milites unaomnes natione Itali essent, post quindecim dierum obsidionem deditionem facere cogebantur: Igitur cum arx Cremonensis jam antea expugnata fuisset, Galli nil omnino reliquum habebant in toto Mediolanensi Ducatu. Nihilominus Bonivetus Admiralis ad Franciæ aulam delatus, perinde acsi victor rediisset, perbenigne ac honorifice a Rege exceptus fuit, cujus rei causa haud postrema fuisse creditur singularis affectus, quo Regina Mater hunc Admiralem prosequebatur.

§. XXXVIII.

Cæsaris, Regisque Angliæ consilia adversus Franciam.

Gallis ex Italia vix pulsis Cæsar atque Angliæ Rex primas eo curas intendebant, ut Franciscum Franciæ Regem in suo etiam Regno aggrederentur.

§. XXXIX.

Papa Cæsarem, Anglumque ad pacem adhortatus.

Guicc. l. 15. Agitabant ambo hæc consilia, vehementer obluctante Clemente Papa, qui etiam Capuanum Archipræsulem in Hispaniam legabat, ut Cæsari exponeret, quatenus suo imperio contentus viveret,

veret, Ducatum vero Mediolanenſem, cujus eſſet, Franciſco I. cederet; cum magnum inde ſibi nomen acquireret, a cunctis tanquam Princeps pius, & Cæſar vere Auguſtus proclamandus. Verum Imperator perperam perſuaſus, ſub ſpecioſis hiſce monitis perverſa latere conſilia, Legatum reſponſo minus benevolo excepit. Præterea, ne Clemens Papa apud Angliæ Regem pii ſui conſilii optatum nanciſceretur ſucceſſum, Volſeji Cardinalis ambitio obſtabat; nam hic Anglo auctor erat, ut ſecreta cum Borbonio Duce foveret conſilia, ejusque ope priſtina Majorum ſuorum jura in Franciam reſuſcitaret: aliunde enim etiam Cardinalis ægre ferebat, quod ſummus Pontifex hujus pacis conciliator eſſet; nam hanc gloriam ſoli Regi, ejus Domino per univerſam Europam adſcribi ambiebat. Sæcul. XVI. A. C. 1524.

§. XL.

Fœderis pacta inter Carolum V, & Henricum VIII. adverſus Gallos.

Hunc in finem Henricus Anglorum Rex novum fœdus cum Cæſare pepigit, his conceptum articulis. I. Borbonius Dux cum exercitu Provinciam invadat, ut eo ſ. expeditius illi Hiſpanorum *Mem. du Bellai l. 2.*

Secul. XVI. A. C. 1524

rum classis in Genuensi portu hærens succurrere valeat, quæ Borbonio si in interiora Franciæ penetraret, inutilis foret. II. Anglus Duci singulis mensibus centum aureorum millia in sumptus belli suppeditet, ea lege, ut si ipsus a prima Julii die usque ad finem Decembris cum potenti exercitu in Picardiam transiret, ab hujus summæ solutione liber sit; si itaque hæc conditio Regi placuerit, Belgii copiæ eidem sese conjungant, urbiumque Gubernatores præter quatuor peditum millia necessaria subministrent tormenta. III. Cæsar eodem tempore ex Hispaniæ finibus bellum Aquitanniæ inferat. IV. Ad suppetitandos belli sumptus Papa, ceterique Italiæ Principes sollicitentur, eisque exponatur, quod Gallos a reditu in Italiam longius arcere, illorum plurimum interesset. V. Compellatur Rex Franciæ ad reddendas Borbonio Duci cunctas illius dignitates & bona, ac ipse etiam in suas ditiones reponatur, regnoque Arelatensi augeatur, ea tamen lege, ut ob illud Angliæ Regi clientelare obsequium profiteretur, eumque ceu verum Galliarum Regem agnosceret.

§. XLI.

Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. XLI.

Borbonii Dux utriusque Regis consiliis adversatus.

Equidem hoc fœdus firmitatem suam obtinuit, non tamen omnes illius conditiones fuerunt adimpletæ; summus enim Pontifex utpote pacis studiosissimus quicquam ad belli sumptus conferre constanter renuebat, ac Veneti quoque suppetias ferre recusabant: Præterea Borbonii Dux nil magis abhorrebat, quam Angliæ Regem pro Franciæ Monarcha venerari, eidemque propter Provinciam homagium præstare; longe enim ab utroque Rege diversa fovebat consilia; quippe in Provincia hærere non intenderat, id vero unum fixum, destinatumque in animo habebat quod superata Tulonensis portus turre, captisque Aquis sextiis aliisque urbibus, continuato felicitatis cursu recta Lugdunum procurreret, indeque usque ad Bituricensem Comitatum penetraret, spe fretus, Forenses, Bellojovienses, Borbonnenses, Marcianos, & Alvernienses, cum omnes ejus jurisdictioni obnoxii essent, certatim illius obsequium professuros; sperabat insuper, fore, ut harum ditionum Nobiles sua ei studia addicerent, atque exercitus sui numerum

Sæc. XVI. A.C 1524.

rum augerent: plebæi vero utpote nova tributa pertæsi, ultro ad ejus gremium convolaturi essent, hacque via Galliarum Regem prompto auxilio destitutum iri existimabat, si ejus subditos ab impositis vectigalium, ac subsidiorum oneribus eximeret. Verum non eadem erat Cæsaris sententia, qui potius Angliæ Regis quam Borbonii consiliis servire maluerat; Hugo enim Moncada classis, quæ Genuæ instructa erat, Præfectus, Carolum datis literis monuerat, rem summi discriminis esse, si totius Cæsarei exercitus robur cujusdam rebellis arbitrio relinqueretur; timendum enim, ne cum copiis suis Lugdunum usque penetrans demum in Francisci Galliarum Regis gratiam rediret, ejusque potestati Cæsaris exercitum traderet, eo fine, ut junctis cum eo copiis ad Mediolanensem reverteretur Ducatum, illius autem expugnatio nunc eo magis esset expedita, quo certius copiæ, quæ illum tuerentur, abessent; haud melius itaque huic malo occurrendum ajebat, quam si Borbonnius maritimam Provinciæ urbem obsidere juberetur, eique duo adjungerentur Belliduces, qui cum eo militaris imperii curam partirentur, ejusque juffis nonnisi in certis casibus obsecundarent, ex quibus unus

unus maritimis, alter vero terreſtribus copiis unacum Borbonio præeſſent. Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. XLII.

Borbonii indignatio.

Placuit Cæſari, aliisque Moncadæ conſilium, quocirca Borbonius Maſſiliam obſidere jubebatur; Aſt ille accepto vix mandato fabam ſibi cudi ſuſpicabatur, hancque injuriam iniquiore ferebat animo, quo jam tertio ſe a Cæſare offenſum exiſtimabat: Cum vero nec precibus, nec querelis demandatum ſibi munus a ſe amoliri poſſet, quin fidem ſuam magis adhuc ſuſpectam redderet, ſuisque inimicis novam conviciandi anſam præberet, hinc juſſis parere compellebatur.

§. XLIII.

Provinciam ingreſſus Maſſiliam obſidet.

Igitur die vigeſima quarta Junii Borbonius terreſtri itinere exercitum duxit expectatione ſua longe minorem; quippe nonniſi tredecim peditum, atque equitum tria millia recenſebat. Peragrabat ergo Nicienſem comitatum, indeque die ſecunda Julii Provinciam ingreſſus, Foro-Julium, Antipolim, Graſ-

Mem du Bellai l. 2. Guicc. l. 15. Paul. Jov. l. 4 in vita Piſcarii D. Ant. de Vera hiſt. de Charl. V. p. 92.

Sæcul. XVI. A.C. 1524.

sam & Brinoniam occupavit; postquam vero Acquenses ultro urbis suæ portas victori aperuissent, & Moncada Tolonium vi cepisset, Borbonii Dux die decima nona Augusti Massiliam obsidere aggrediebatur, suaque castra locabat penes quoddam Leprosorum Xenodochium, in quo Piscarius Marchio stationem habebat, totusque ferme exercitus Aubinense iter obsidebat.

Franciscus Rex, ubi Borbonium castra movisse compererat, nulla mora Ranceum de Ceri nobilem Italum, sed Gallorum signis adscriptum, necnon Philippum Chabotum de Brionia ablegavit, ut cum numeroso præsidio Massiliam ingrederentur. Ex horum adventu Borbonius haud obscure collegerat, urbis expugnationem longe magis, quam crediderat, difficilem futuram, nihilominus obsidionis labores prosequi constituit; ast tam diuturna erat obsessorum repugnantia, ut Galliarum Rex opportunum pecunias corradendi, copiasque suas restaurandi spacium nancisceretur; ipsus enim exercitum suum urbi admovere, eamque ab obsidione liberare constituit, huncque in finem opportune quatuordecim Helvetiorum millia conscripsit, præter sex Germanorum millia, quæ Suffolcius, & Valdemontius eidem adduxerant. His copiis au-

ctus

ctus Avenionem cepit, hanc urbem Pontifici sartam conservandi obtentu usus, re ipsa tamen ibidem cunctas vires suas colligere statuit, ut inde in hostes suos toto impetu irruere posset, nil ardentius percupiens, quam ut Borbonium profligare, suisque manibus traditum debita rebellionis pœna castigare valeret. Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. XLIV.

Obsidio ad Gallici exercitus conspectum soluta, & Borbonius inde profugus.

Ceterum Borbonius comperto Regii exercitus adventu, hostem suum præstolari, ac prælii discrimen experiri constituit. Obstitit tamen Piscarius Marchio, qui hostem in propria sua ditione aggredi haud consultum censebat, præcipue ubi Regis copiæ Fœderatis numero longe superiores essent; quapropter eadem die nimirum decima Septembris, qua Rex Avenione Salum profectus in Cæsaris exercitum incurrere parabat, Borbonius motis castris Massiliæ obsidionem solvit, postquam jam quadragesimus effluxerat dies, a quo obsidionales ad urbem accessus ducere cæperat. Liberatæ urbis nuncium Massilienses Deputati ad Regem, qui tum Aquis sextiis agebat, detulerunt. In *Mem. du Bellai l. 2. Petr. de Angl. ep 800*

Sæcul. XVI A.C. 1524.

hac expeditione cæsi fuere plures, iique nobilitate generis clarissimi, magna etiam tormentorum pars amissa. Horum jactura, atque obsidionis solutæ infelicitas plurimum afflixit Cæsarem, magis vero Borbonii Ducem, præcipue ubi eidem nunciatum erat, Romæ adversus illum publice famosos libellos fuisse affixos, in quibus arguebatur, quod Borbonii Dux quondam indole Gallus jam animum Cæsari eo fine addixerit, ut velut alter Thraso adversus Franciæ Provincias jactantius inanes minas effunderet.

§. XLV.

Reginæ Franciæ obitus.

Brantome vie des Dames illustr. Du Bouchet. & de S. Matth. geneal. de la maison de France.

Interim Galliarum Rex adhucdum Avenione hærebat, cum nuncium acciperet, quod Regina ipsius conjux exeunte Mense Julio Blesi mortalitatem exuisset. Vocabatur hæc Claudia de Francia, Ludovici XII. Regis Filia, & nata erat Romorantini die decima tertia Octobris Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo nono. Susceperat quatuor Filias, ac tres Filios, quos inter primus erat Franciscus Delphinus, ac Britanniæ Dux, natus die vigesima octava Februarii Anno supra millesimum quingentesimo decimo septimo;

mo; alter extitit Henricus Gallici Regni Succeſſor; tertius denique Carolus Aureliæ, Borbonii, Engoliſmæ, & Caſtri Heraldi Dux, Franciæ Par, ac Cubicularius, natus die vigeſima ſecunda Januarii ſub annum Chriſti milleſimum quingenteſimum vigeſimum ſecundum. Inter Filias prima, die decima nona Aprilis Anno milleſimo quingenteſimo decimo quinto lucem aſpexit Ludovica, biennio poſt die vigeſima prima Septembris vivis erepta: Anno autem milleſimo quingenteſimo decimo ſexto die vigeſima tertia Octobris nata eſt Carolina, quæ itidem anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto die octava Septembris animam Deo reddidit. Tertia erat Magdalena nata die decima Auguſti anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo, ultima denique extitit Margarita Bituricenſis Duciſſa, quæ orbem ingreſſa eſt die quinta Junii Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio. Sæcul. XVI. A.C 1524.

§. XLVI.

Rex Cæſareos inſequi paratus contra Saniorum conſilia.

Ceterum Galliarum Regem Reginæ obitus haud adeo turbabat, quo minus, *Mem. du Bellai l. 2. Guicc. l. 15.*

Sæcul. XVI. A. C. 1524.

nus, licet Menſis October ad medium vergeret, cum ſuo exercitu Alpes tranſcenderet. Diſſuadebant Regi hoc iter tam ejus Miniſtri, quam Belliduces, ipſa etiam Sabaudiæ Princeps ejus Mater miſſis tribus omnino curſoribus tabellariis iterum iterumque Regem obſecrabat, ut diſceſſum differret: Verum Franciſcus jocando Miniſtris ſuis repoſuit: remaneant domi, qui frigus ſuſtinendo impares ſunt, Matri vero ſuæ nunciari juſſit, ſe conceſſæ adminiſtrationis diploma eidem miſſurum, ceterum unice eo curas ſuas intendat, ut hujus reſcripti auctoritas comprobetur, ipſaque juxta illud regni ſalutem procurare ſtudeat. Reſcripſit illa Regi, ſe ad eum proxime acceſſuram, cum maximi momenti res haberet, quas illi communicaret, nec tamen calamo aut cuicunque alteri perſonæ confidere poſſet: Cui repoſuit Rex, ut labori ad eum accedendi parceret, eoquod jam tantum itineris confeciſſet, ut eum aſſequi haud ultra valeret.

§. XLVII.

Rex cum ſuo exercitu verſus Mediolanum progreſſus.

Ant. de Vera l. cit p. 94.

Igitur Rex iter ſuum ſtrenue proſequebatur, ſecumque ducebat viginti peditum

ditum milia, ac numerosum peditatum, quo selectiorem longis retro annis Francia non visebat, præter quatuordecim Helvetiorum millia, ac sexies mille Germanos pedites, quos Guisiæ & Suffolciæ Comites, necnon Franciscus Lotharingius adduxerant. His copiis auctus Rex Pedemontium peragravit, eumque comitabantur Henricus Albretus Navarræ Rex, Alensonius & Longevillanus Duces, necnon Albaniæ Dux regio Scotorum sanguine ortus, præter Suffolciæ, & S. Pauli Comites. His quoque sese jungebant Valdemontius, Franciscus Lotharingius ejus frater, Ludovicus Trimollius, Palicius, Fuxus, & Morentiacus omnes Franciæ Marescalli. Sequebantur itidem Bonivetus Admiralis, Sabaudiæ Nothus magnus Franciæ Magister, Michael Antonius Salutiarum Marchio, Renceus de Ceri, Philippus Chabotus Brioniæ Toparcha, Galeatius Sanseverinas supremus Regis Scutarius, Ludovicus de Arsia præter alios quamplurimos Nobiles. Ex adverso Carolus Lanoyus Neapolis Prorex Cæsaris exercitui imperabat, qui non parum turbabatur, cum Galli ac præcipuo Palicius, & Morentiacus tam prope instarent, ut Proregis vestigia premere viderentur, magisque incautos trucidarent. Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. XLVIII.

Secul. XVI.
A. C. 1524.

§. XLVIII.

Cæsareorum solertia in tuendo Mediolanensi Ducatu.

Nihilominus Borbonii Dux, & Piscarius Marchio Gallos prævenerant, suasque copias Papiæ Proregi Neapolitano jungebant, ibidemque de opportunis Mediolanensem Ducatum tuendi mediis consultabant. Urgebat illos vel maxime Moroni Cancellarii epistola, qua Piscario significatum, quod Mediolani Metropolis olim adeo magnifica amplo jam cæmeterio haud absimilis existeret, atque infra bimestre quinquagies mille homines pestis vi fuerint abrepti, ac terræ mandati, nec minus arctior annonæ inopia illam premeret, cum eam invehere, rusticos morbi metus prohiberet: Præterea urbem hanc nobilibus passim ex ea abeuntibus maxima pecuniarum penuria pressam, illiusque munimenta omni ferme præsidio nudata scribebat: eoquod istorum reparatio ob pestis violentiam fuerit neglecta. In hoc rerum statu Lanoyus nil reliquum habebat, quam ut Alexandrinæ urbi, quam Rex pertransire debebat, duo peditum millia imponeret, ut Franciscum, si forte urbem aggredi vellet, aliquamdiu detinere posset. Præterea Antonium de Leva cum ducen-

ducentis Hiſpanis ac ſex Germanorum peditum millibus Papiam miſit, Regisque adventum ad Mediolanenſem urbem prævertere ſtuduit. Vix Lanoyus Mediolanum ingrediebatur, cum jamjam Salutiarum Marchio a Franciſco Rege deputatus cum ducentis cataphractis, & quatuor peditum millibus Vercellenſis urbis portas infeſtaret, tantoque impetu ſuburbium adoriretur, ut Hiſpanos, qui oppugnantibus reſiſtere conabantur, ad interiora urbis loca repelleret. Hæc dum geruntur, Trimollius quoque cum valido equitum peditumque agmine accurrebat, ut Salutiarum Marchionem tueretur. Lanoyus totam Gallici exercitus molem ſibi ſoli impendere, ac Mediolanenſi urbi includi veritus, cum eam ſuſtinendæ obſidioni imparem noſſet, unacum Borbonio, & Piſcario per portam Romanam exceſſit, Laudamque ſeſe recepit.

Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. XLIX.

Gallorum ſocordia in inſequendo hoſte.

In eo ſtatu tum Cæſareorum res erant, ut integram exercitus cladem nec provida Borbonii conſilia, nec Piſcarii fortitudo, nec Lanoyii auctoritas præcavere potuiſſent, ſi Gallorum exercitus fugien-

Sæc. XVI. A.C. 1524.

fugientem ubique hostem strenue insecutus fuisset (*). Potissimi enim ex Cæsaris exercitu ventris profluvio laborabant, longisque itineribus fatigati sine pecuniis, & pene absque armis erant; quippe ut iter majori celeritate conficerent, quicquid impedimento erat, in viam abjecerunt. Præterea urbs, ad quam confugerant, munimentis nuda, ac commeatu exhausta erat. Ast fatale studium, quo Galliarum Rex clienti suo

(*) Non sine risu Lector animadverret, quod Continuator libro CXXVII. §. 49. & 60. necnon lib. CXXVIII. §. 74. & lib. CXIX. §. 49. quinta & amplius vice Cæsaris exercitum unico halitu a Gallis devoratum fuisse enarret: illius vero salutem unice occasioni, qua Cæsareos ultima clade delere potuissent, a Gallis neglectæ adscribat, in quo sane bellicæ Gallorum virtuti parum consuluit, atque adversam Italicæ expeditionis sortem non sine nova ignominia excusavit, cum ex suo Gaguino probe discere potuisset, quod *in bello bis peccare non liceat*, & victoriæ adversus Germanam fortitudinem non tam faciliter gladio quam calamo obtineantur. Id tamen indulgendum Continuatori, qui ob tot clades genti suæ iliatas conceptum dolorem hoc effugio lenire studiose quæsivit; quippe, ut inquit Curtius, *fama bella constant, & sæpe etiam, quod creditum est, veri vicem obtinuit.*

suo Boniveto in omnibus tum obsecundabat, merito inter graviſſima recenſeri poteſt vitia, quibus Rex Regiminis ſui felicitatem obfuſcabat. Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. L.

Franciæ Rex Mediolani receptus.

Neglecta igitur hac occaſione, Gallorum Belliducum ſententia eo abibat, ut præprimis Mediolani poſſeſſio Regi aſſereretur. Nec ſecundus deerat conſilio eventus; quippe nemine obluctante ad urbem admittebatur; cives enim a Gallorum Rege proſpera quævis, nec non mite regimen ſibi pollicentes, eundem non ſine ingenti lætitiæ ſignificatione exceperunt. Honorabat Rex urbem aliquamdiu præſentia ſua, tum ut militibus quietem indulgeret, tum ut civium amorem ſibi conciliaret, quapropter eis quamcunque moleſtiam inferri, ſevere copiis ſuis inhibuit. Poſtea Trimollium in urbe cum ſex armatorum millibus reliquit, dato negotio, ut arcem, cui Lanoyus validum impoſuit præſidium, interim cinctam teneret, donec toto armorum apparatu illa obſideri poſſet.

§. LI.

Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. LI.

Papiæ obsidio a Gallorum Rege inchoata.

Sandov hist. de Charles V. Mem. du Bellai l. 2. De Thou hist. l. 1.

Ceterum Cæsarei nuperam Gallorum socordiam opportune in rem suam vertebant; quippe Piscarius Laudam non solum valido milite, sed & firmis propugnaculis muniebat, Lanoyus vero Comum & Trezzum, urbem Abduæ flumini impositam præsidio firmabat, nec segnior Antonius de Leva Papiæ Gubernator ad strenuam urbis defensionem sese parabat. Equidem in Regio Senatu, Laudæ obsidio decreta erat, quam si Galli suscepissent, Piscarius Marchio (ut postmodum innotuit) urbem reliquisset; ast Bonivetus Admiralis rursum pro summo imperio, quo Regis animum ad sua vota inclinabat, eidem auctor extitit, ut Papiæ obsidionem aggrederetur. Urbs hæc erat natura & arte longe munitissima, validoque præsidio, præcipue vero Antonii de Leva inter Cæsareos Belliduces clarissimi, qui illius Præfectus erat, fortitudine insignis. His non perterritus Franciscus Rex urbem obsidere decrevit, suumque exercitum die decima octava Octobris in festo S. Lucæ admovit, ipsus vero in Abbatia Sancti Lanfranci

franci medio ferme ab urbe lapide dis- Sæcul. XVI.
sita substitit. A. C. 1524.

§. LII.

Vani conatus Galliarum Regis in Ticino flumine ab urbe deflectendo.

Ergo irruptio tentatur pari utrinque dimicantium pertinacia, ac dispendio; donec quinque vel sex Galli ad diruti muri summitatem ascendentes vallum sibi retro instare cernerent, sclopetariis undique munitum; cujus aspectu territi eadem celeritate qua ascendebant, pedem retulerunt. Equidem Fuxus Marescallus assultum redintegrare voluit, atque equites ex equis desilire jussit, verum fortissimi hujus, quo prior impetus successu suo frustrabatur, munimenti formidine fractus, ulterius progrediendo totum exercitus robur certæ cladi expositum iri censebat, quapropter ex disjecti muri ruderibus descendens, Regem de periculo certiorem fecit, qui & ipse ab hac expeditione cessandum existimabat, eo vel maxime, quod Roberti & Hutini de Mailly, Claudii Aurelianensis Longevillæ Ducis, pluriumque aliorum impendio stetisset. In hac rerum vicissitudine Rex Ticinum fluvium ab urbe Papiensi in alium cur-

Sæcul. XVI. A.C. 1534

sum derivare statuit. Hic ad superiorem civitatis partem in duos dispescitur canales, quorum amplior urbis mœnia alluit, alter vero, isque angustior Gravelona dictus longius ab urbe progreditur. Cum vero Galli urbem hac ex parte munimentis nudam animadverterent, eoquod aliunde amnis adeo profundus esset, ut nullo unquam tempore vado transiri posset, hinc sibi, si flumen ea parte, qua sese dividit, solito suo alveo dimoveretur, totumque in canalem Gravelonam abduceretur, facile persuadebant fore, ut urbs nullo ferme negotio superari posset, eoquod hac ex parte mœnia nullatenus congesta arena essent munita. Hujus ergo operis cura demandata erat Jacobo Sillyo Cadomi Prætori, qui tamen immensos pecuniarum sumptus, ac trium hebdomadarum tempus frustraneo labore impendit, eoquod hyemis rigor operas vix cœptas destrueret, amnisque nivibus ac pluviis intumescens pristinum alveum non relinqueret, elusis triginta omnino millium fossorum conatibus.

§. LIII.

Validæ suppetiæ a Borbonio adductæ.

Ferron. hist. Franc.

Cum Cæsareis Belliducibus nunciatum esset, Regem Papiæ obsidionem

nem moliri, quantocius Borbonii Dux iterum iterumque Sabaudiæ Ducem obteſtatur, ut mutuas ei pecunias daret, quibus acceptis in Germaniam equis veredariis delatus Norimbergam venit, junctaque cum Georgio Fronſpergio opera ibidem inter trium hebdomadarum ſpatium copias conducere cæpit, nec ſine optato ſucceſſu; quippe Fronſpergius decies mille veteranos milites collegit, eosque in Italiam duxit, Borbonius quoque pro parte ſua in Wirtembergenſi Ducatu itidem ſex armatorum millia conſcripſit.

Saecul. XVI. A.C. 1524.

Guicciard. hiſt. Sab.

§. LIV.

Pontificis conſilia de induciis Gallos inter & Cæſareos conciliandis.

Verum Lanoyus & Piſcarius tam exiguam hujus auxilii rationem habebant, ut nequidem expectato nuncio de ſucceſſu itineris, quod Borbonius ſuſceperat, eo abſente quinquennales inducias a Papa propoſitas acceptarent: Obſtitit tamen Galliarum Rex, præpediente eum Boniveto Admirale, cujus etiam contradictione compulſus Pontifex privatum cum Rege fœdus ſancire moliebatur, miniſterio uſus Alberti Comitis de Carpi, qui Sedis Apoſtolicæ

Sæcul. XVI A.C. 1524

negotia apud Regem procurabat: Igitur præcipuis articulis utrinque acceptatis Gilbertum Veronensem Episcopum ablegabat, ut is, qui prior inducias proposuisset, jam eis ultimam quoque manum admoveret, cum vero Episcopus Cæsareorum castra pertransire deberet, decretum est, ut ad occultandam veram itineris caussam non jam inducias, sed omnino pacem sub iisdem tamen conditionibus Lanoyo proponeret. Ast ille cunctis hisce propositionibus surdas aures præbebat; quippe non ita pridem literas acceperat, quibus ei Borbonius significabat, Fronspergium jamjam Italiæ fines cum decem Germanorum millibus fuisse ingressum. Nec acrius instabat Veronensis Episcopus, cum & ipse Lanoyum Proregem ejusmodi consiliis obluctantem cernere gauderet, quocirca nonnisi publicæ securitatis literas petiit, obtinuitque, quibus munitus Regem adiit, qui fœdus, cujus mox meminimus, ratum habuit.

§. LV.

Secreta Pontificis pacta cum Galliarum Rege.

Raynald. annum. 90.

Hujus Fœderis legibus Galliarum Rex fidem suam obstringebat, se Sedem Apostolicam, Medicæorum Familiam, nec-

necnon Florentiæ ditionem protectu- Sæcul. XVI.
rum; viciſſim Pontifex ſpopondit, ſe nul- A.C. 1524.
latenus Cæſareis ſuppetias miſſurum, ac *Belcar. l. 18.*
ſemetipſum, ſuam familiam, quæ tum *num. 15. & 16.*
non niſi Alexandro & Hyppolito Medicæis conſtabat, necnon Florentinos datæ fidei ſponſores dedit: Sancitum præterea, hanc armorum ſocietatem duntaxat Papæ vel Regis obitu diſſolvendam, nec alia ſolemnitate firmandam, dummodo Galli in pacifica Mediolanenſis Ducatus poſſeſſione forent. Ex hoc fœdere nil in Sedis Apoſtolicæ commodum ſpeciatim cedebat, niſi quod Papa arbitrio ſuo relinqui peteret, ut hanc ſocietatem, ſi bene viſum fuerit, ceteris notam faceret, nec tamen ipſi Galliarum Regi integrum eſſet, aut eam aliis manifeſtare, aut diſcutiendam tradere. Sancito igitur utrinque hoc fœdere ſummus Pontifex Regi Chriſtianiſſimo auctor extitit, ut Neapolis Regnum, utpote præſidio deſtitutum invaderet, ſimulque eidem pollicebatur, ſe Gallis non modo tranſitum per Pontificias ditiones conceſſurum, ſed etiam Regis copiis toto itineris tempore annonam ſuppeditaturum (*).

§. LVI.

(*) Hujus facti teſtes adducit Continuator Raynaldum & Belcarium, horum primus loc. cit.

Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. LVI.

Pars Regii exercitus ad Neapolis Regnum a Franciſco transmiſſa.

Guicc. l. 15 Mem. du Bellai l. 2.

Hanc Pontificis oblationem Rex non ſine animi ſui lætitia acceptavit, ringentibus licet ejus Conſiliariis; quapropter nulla mora ab exercitu ſuo ſejunxit quatuor peditum millia, ſexcentos Cataphractos, ac quosdam levioris armaturæ equites, hujusque exercitus imperium Albaniæ Duci demandavit, qui nuper elapſo Vere e Scotia exceſſit. Hiſce copiis Renceus de Ceri haud exiguum peditum numerum, quos maritimo itinere adducebat, Liburni jungere jube-

---

cit. aſſerit: *non deſtitit Clemens pacis conſilia urgere ad Neapolitanum Regnum Carolo V. aſſerendum*, Belcarius vero itidem loco allegato teſtatur, *Clementem Franciſco Regi ſuaſiſſe, ne exercitum divideret, donec toto Mediolanenſi Principatu potitus eſſet, nullamque regni Neapolitani repetendi ſuſpicionem moveret . . . . præterea Gallicis copiis in Regnum Neapolitanum profecturis tranſitum per pontificias ditiones Clementem denegaſſe, Franciſcum nihilominus, ut acceleraret, & per Placentinum agrum iter inſtituerent, juſſiſſe, non expectato Clementis reſponſo* idem auctor aſſerit.

jubebatur: Cum vero hæc agmina per pontificias ditiones tranſire deberent, Clemens aliquamdiu, ut invitus crederetur, tranſitum negare ſimulabat; ac forte eam ob cauſſam ſcripſerat Guicciardinus, quod Clemens Franciſco, ne hanc expeditionem ſuſciperet, ſuaſerit, non quidem ſtudio affectus in Gallos, ſed potius metu compulſus, ne Gallorum potentia, ſuperato Mediolanenſi Ducatu ac Neapolis Regno, in Italia plus juſto creſceret. Nihilominus Bellajus, & Capella teſtantur, Clementem Pontificem Regi hujus expeditionis auctorem fuiſſe. (*) Forte Galliarum Rex nimia

Sæcul. XVI. A. C. 1524.

Gale. Capella Ant. de Vera loc. cit. p. 99.

(*) Hæc itidem Continuator ex Belcario Merenſi Epiſcopo minus fideli calamo deſcripſit, quocirca haud moleſtum ſit Lectori ipſa hujus Scriptoris verba percipere: *Hujus expeditionis*, inquit ille, *Clementem Pontificem vel auctorem, vel ſaltem approbatorem e noſtris Bellajus, ex Italis Galeatius Capella ſcribit: ſed mihi Franciſci Guicciardini potior ſententia videtur, quam etiam Beguilio frater meus, qui tum adoleſcens Albaniæ Reguli domeſticus eidem bello interfuit, confirmavit: ſe enim ab eodem Regulo ſæpius audiviſſe, Clementem Franciſco ſuaſiſſe, ne exercitum divideret, nullam Regni Neapolitani repetendi ſuſpicionem moveret: tot hoſtes Mediolanum ei*

Sæcul. XVI. A. C. 1524.

nimia facilitate sibi persuaserat, a Neapolitano Prorege, unice ut hoc Regnum conservaret, cuncta neglectum iri, eumque mox copias suas ex Mediolanensi Ducatu eductarum, ut Albaniæ Ducem insequeretur. Verum Prorex adeo non sibi timebat, Neapolis Regnum tot munitissimis urbibus firmatum a tam exiguo Gallorum manipulo expugnatum iri, ut nequidem amplius Papiam hostium manibus cessuram pertimesceret, quapropter toto bimestri, quo obsidio tenebat, nec propius quam prima die urbi accedere sollicitus erat.

§. LVII.

Aliud agmen versus Savonam a Rege ab exercitu avulsum.

Ceterum ex errore, quo Franciscus exercitum suum adeo imminuebat, alius nascebatur; cum enim Renceus de Ceri agmina peditum, quos navibus impositerat, Liburni Altaniæ Duci jungere

peperisse, quid si Regni Neapolitani cupiditas accedat? non ab ipso Pontifice postularet, quæ ex officio recusare cogeretur: se enim neutram in partem provensurum, nec ulla initæ societatis indicia professurum. Hæc artis Criticæ, non dicam Magistris sed vix discipulis cum Continuatoris selectu conferenda relinquo.

gere moliretur, in transitu Savonam occupabat, qui secundus armorum successus Franciſci rebus propitius credebatur, verum eidem omnino funestus accidit; quippe ab exercitu suo rursus validum agmen avellere, ejusque imperium Salutiarum Marchioni committere statuit, eo fine, ut Savonæ castra metaretur, indeque opportunis invigilaret occasionibus, quibus Genuenses invadere posset. Attamen exercitus vires, uno agmine Neapolin versus, altero ad Savonam destinato, tantopere imminutæ fuerunt, ut Cæsarei sine ullo periculi metu suas copias in aciem educerent, ac Papiensis urbis obsidionem Gallis minus expeditam redderent.

Sæcul. XVI. A. C. 1524.

Mem. du Bellai l. 2.

§. LVIII.

Origo Clericorum Regularium vulgo Theatinorum.

Quamvis profanarum rerum sollicitudo non parum Clementis animum detineret, nihilominus potissimum in eo curas intendebat, ut Ecclesiæ bonum promoveret; quapropter pari ac Prædecessor ejus, Religionis studio accensus, hoc anno die secunda Maji Constitutionem edidit, qua morum corruptelas tollere, abusus Romæ, ac in tota propemodum Italia invalescentes corri-

Bzov. hoc an.

Sæcul. XVI. A.C. 1524

corrigere, & præcipue Clerum priſtino nitori reſtituere adlaborabat. Hujus rei cauſſa Joanni Petro Caraffæ Epiſcopo Theatino curam demandavit, ut Sacri Ordines nonniſi idoneis, & a vitiis, præcipue Simoniæ labe expertibus conferrentur. Deinde cum Papa intelligeret, quod Caraffa Cajetanus, Paulus *Conſiliarius* ex Ghisleriorum genere ortus, & Bonifacius a Colle velint ordinem Clericorum Regularium inſtituere, qui Clerum ad priſtinam perfectionem, & ad Apoſtolicæ vitæ normam reducere ſtuderent, ac præprimis proprio ſuo exemplo aliis prælucerent, hinc Clemens Papa hoſce Viros ad tam ſancti operis executionem ſtimulabat, pollicitus, ſe pro viribus eos protecturum.

Joſeph. Silos annal. Cler. Regul. Joan. Bapt. de Sulfo hiſt. della Relig. dei Padri Chier. Regol.

Igitur novi hi Evangelicæ perfectionis Reſtauratores præprimis ſua beneficia dignitatesque in Papæ manus reſignabant. Aſt ægre admodum Clemens eorum precibus annuit, nec ullo pacto Theatini Archiepiſcopatus ceſſionem admittere voluit, tandem Archiepiſcopi rationibus, aut potius precum importunitati cedere compellebatur. Ceterum horum quatuor Fundatorum inſtitutum, ut auctoritate Apoſtolica firmaretur, in pleno Patrum Senatu propoſitum fuit, ubi haud leves difficultates opponebant Purpurati, quibus inſolitum

litum videbatur, quod novi hi Regulares non ſolum ſine reditibus, fundisque, ut Religioſi ex Ordine S. Franciſci, viverent, ſed inſuper nequidem mendicando ſuſtentari vellent, ſeque obſtringerent, quod ex ſolis ultroneis oblationibus alerentur, cum tamen emergentes vitæ neceſſitates nec prævideri, nec ſæpe cogitatione præveniri poſſent. Verum Caraffa & Cajetanus hanc vivendi normam Apoſtolis primisque Chriſti Diſcipulis conſonam eſſe tanta verborum vi exponebant, ut denique petitam approbationem obtinerent, accepto hanc in rem Pontificis diplomate, quod vigeſima quarta Junii die Anno Salutis milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto editum eſt.

Sæcul. XVI. A. C. 1524.

Aubert. Mir. de orig. Cler. Reg. c. 2.

§. LIX.

Quatuor Fundatores concedente Papa ſua vota emittentes.

Hac Bulla Pontifex quatuor illis viris facultatem conceſſit, ut tria vitæ Religioſæ vota Paupertatis, Caſtitatis, & obedientiæ profiterentur, & in communi viverent, ſolito tamen habitu Clericali indui necnon conſtitutiones condere, ac privilegiis Canonicorum Regularium Lateranenſium gaudere, & Superiorem, quem Præpoſitum nominarent,

Bullar. to. I. Clem. VII. Conſt. II.

Secul. XVI A.C.1524.

rent, ac singulis trienniis alium eligerent, habere possent. Præterea illis concessum, ut cunctos, quicunque id vitæ genus profiteri vellent, recipere, ac pro stabili regularis disciplinæ observantia statuta condere valeant. His ita dispositis quatuor illi Viri die decima quarta Septembris hoc anno in festo exaltationis S. Crucis in Joannis Baptistæ Casertani Episcopi, & Datarii Apostolici manibus præfati instituti vota emiserant, ac post Sacrum ab eodem Episcopo celebratum, porrectamque eis Sacram Eucharistiam in primum suum Præpositum Joannem Petrum Caraffam elegerunt, quem idem Episcopus Casertanus confirmavit. Nominabatur pastim hoc institutum Ordo Clericorum Regularium, seu Theatinorum, a præcipuo illius auctore Caraffa Archiepiscopo Theatino, qui idem nomen semper conservabat. Ceterum hi quatuor Fundatores post emissa vota sese recepe-runt ad Campum Martium in quamdam domum, quæ Bonifacii de Colle erat, ubi vitæ suæ dies in assiduis partim activæ partim contemplativæ vitæ exercitiis transegerunt.

§. LX.

Sæc. XVI. A.C.1524.

§. LX.

Viri Apoſtolici a Papa in Mexicum miſſi.

Hoc anno Clemens Papa Martinum patria Valentinum Virum vere Apoſtolicum cum duodecim Fratribus Minoribus in Mexicum decrevit, ut hanc gentem ab Idolorum cultu abſtraherent, atque ad fidem Catholicam perducerent. Hi Viri Apoſtolici ingentes prorſus in hac Regione progreſſus fecere, potiſſimum adjuti pietate Ferdinandi Corteſii, qui adhucdum in hac inſula agens ſummo honore Sacerdotes excepit, ſuoque exemplo Mexicanos induxit, ut hoſce Verbi divini Præcones non ſine magna ſubmiſſione auſcultarent.

Raynald. hoc an. n. 112. & 113.

§. LXI.

Synodus Mexicana.

Collecta igitur copioſa animarum ſegete iidem Viri Apoſtolici hoc anno in urbe Mexicana Synodum habuerunt, in qua plura condiderunt decreta, ut fideles pro ſuſcipiendo baptiſmate rite inſtituerentur, ac in fide, quam amplexi fuiſſent, immoti conſervarentur. Præſuit huic Synodo Martinus utpote Papæ Nuntius præcepitque, ut Mexicani,

Raynald. ib. Spond. ann. 1524. n. 18.

Sæc. XVI. A.C. 1524.

ni, cum antea polygamia inter eos admodum frequens esset, imposterum ubi Christo nomen dedissent, ex pluribus uxoribus, quas prius habuissent, unam duntaxat, quam vellent, ritu Christiano ducerent: Ut vero hæc statuta eo efficacius executioni darentur, Ferdinandus Cortesius in singulis Provinciis Gubernatores nominavit, ipse vero postea Mense Octobri, ut novas terras detegeret, hujus anni expeditionem confecit, secumque Quahutimocum Mexici Regem, aliosque Proceres, ne quid se absente novarent, secum abduxit.

§. LXII.

Novæ Franciæ detectio.

Spond. ann hoc n. 19. Ramus to. 3. in fin.

Eodem anno Joannes Verrazanus patria Venetus, aut ut alii volunt, Florentinus sub Francisci Galliarum Regis auspiciis navigationem in partes Septentrionales suscepit, legitque cursu suo totum illum tractum usque ad Floridam, postea vero detexit Insulam, & promontorium Britonum. Hujus Regionis incolæ communi nomine Canadenses vocantur: ipsa vero provincia hodie Nova Francia dicitur, quæ Sinus S. Laurentii Insulas complectitur, præter omnes illas, quæ Casperiam cingunt, quas inter præcipuæ sunt Insula Regalis

lis seu Britonum Caput, Terra Brado- Sæcul. XVI.
ra, totusque tractus fluminis S. Lau- A.C. 1524.
rentii, necnon Mississipiensis versus Septentrionem usque ad quadragesimum gradum: ut silentio prætereantur ceteri fluvii, qui sese in illud infundunt. Has igitur regiones cunctas Verrazanus Francisci I. nomine sibi subjecit; cum vero aliam rursus navigationem suscepisset animo ulterius penetrandi, a barbaris unacum aliis sociis suis occisus ac devoratus fuit.

§. LXIII.

Dissensio inter Cæsarem, & Lusitaniæ Regem de Moluccis Insulis.

Postquam Magellanes Moluccorum insulas, quæ haud procul a linea æquinoctiali in Asia Indorum mari impositæ sunt, detexerat, nova hæc felicitas Hispanos inter & Lusitanos fervidæ contentionis fomitem suppeditavit. Enata est hæc dissensio jam Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo, recruduit vero vehementius quam unquam hoc anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto. Definierat equidem Alexander VI., ut Lusitani ad Orientem, Castellani vero ad Occidentem terras incognitas perlustrarent, de-

Raynald. an. 1524. n. 109. & 110. Osor. l. 11. &c. Pet. Martyr. dec. 7. & dec. 6. c. 9. Aut. Vera l. cit. p. 90.

Sæcul. XVI. A.C. 1524. tectasque tanquam suas possiderent, Verum Lusitani Insulas quoque, quas Magellanes detexerat, intra limites ab Alexandro designatos contineri contendebant: Hispani ex adverso affirmabant, Moluccas Insulas extra lineam illam, quæ ab utroque Polo Orientem ab Occidente dividit, sitas esse. Jus quoque suum prosequebatur Cæsar: cum vero Emanuel cedere renueret, Carolus V. pro tuenda caussæ suæ justitia exercitum in hanc regionem misit, nec tamen ex eo lis dirempta fuit, eoquod de Alexandri VI. decisione variarum gentium Reges quererentur, caussati, quod is de bonis, quæ sui juris non essent, disposuerit, cum Jus Naturæ absque Pontificum consensu terrarum incognitarum possessionem adire permitteret. Nihilominus tractu temporis Lusitani Hispanos inde propulsarunt, qui tamen ipsimet postmodum ab Insulæ incolis vix non penitus ejecti fuerunt, adstipulantibus Hollandis, qui totam propemodum regionem, ac præcipue portum, & commercii opportunitatem ac proventus hodie sibi vendicant.

§. LXIV.

Secul. XVI. A.C 1525.

§. LXIV.

Jubilæi inchoatio.

Ad finem hujus anni die vigesima tertia Decembris Clemens Pontifex edita Bulla inchoationem Jubilæi in vigiliam Nativitatis Domini die sequenti futuram promulgavit, simulque pleniſſimam pœnarum condonationem indulsit omnibus, qui de more Basilicas sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, S. Joannis Lateranensis, & S. Mariæ Majoris visitarent. Aperuit autem ipsemet pro consuetudine in primis ejusdem festi vesperis ritu solemni *Portam*, quam vocant *sanctam*, misitque Cardinales quosdam ad alias Ecclesias, ut in earum singulis idipsum præstarent. Minor erat hoc anno Romam peregrinantium concursus; plurimos enim absterrebant bella, quibus Italia fœde vastabatur, insuper etiam hujus Indulgentiæ existimatio nimia frequentia vilescere cæperat.

Bull. antiq. edit. tom. 1. Clem. VII. Const. 9. & 10. Raynald. an. 1525 n. 1. Spond hoc ann. 1524. num. 20.

§. LXV.

Completa Erasmi Paraphrasis in novum Testamentum.

Eodem hoc anno Erasmus Paraphrases suas in novum Testamentum complevit. Is cum primam, operi manum

Saecul. XVI A C. 1524

admoviſſet, non niſi D. Pauli Epiſtolam ad Romanos explanare intenderat, imo cum vix prima duo illius capita abſolveret, virium ſuarum imbecillitati diffiſus, a cæpto labore deſiſtere cogitabat; verum amicis ſuis animum addentibus non modo Epiſtolæ ad Romanos Paraphraſin abſolvit, ſed inſuper omnes D. Pauli epiſtolas, ac poſtmodum ceteras, quæ Canonicæ vocantur, præter quatuor Evangeliſtas, & acta Apoſtolorum fuſius explicavit. Hoc opus pure ac eleganter conſcriptum eſt, ac primo a non paucis cum applauſu exceptum; poſtea vero a plurimis cenſoriæ ſeveritatis nota perſtringebatur; nam ipſe etiam Natalis Beda Pariſienſis Facultatis Theologicæ Syndicus in hisce Paraphraſibus plurimas hæreſes contineri affirmabat, hancque in rem contra hujus Doctoris libros Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto ſuo nomine cenſuram promulgavit.

Paulo poſt Menſe Aprili ejusdem anni Beda generatim Eraſmi doctrinam damnavit, declaravitque, eam in pluribus eſſe erroribus obnoxiam, bonis moribus contrariam juxta ac ſchismaticam, & præterea Religionis honori noxiam, eamque Status Monaſtici exiſtimationi præjudicioſam affirmabat, proin horum libro-

librorum lectionem præcipue Religiosis interdicendam. Id vero probatum reddiderat ex ipsis articulis, quos ex Erasmi libris deprompserat, eorumque nonnullos eidem Scriptori exhibuerat: Priusquam vero hosce articulos publici juris faceret, hanc censuram a Guilielmo de Quercu Parisiensi Doctore subscribi voluit. Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. LXVI.

Censura Facultatis Theologicæ Parisiensis de juribus Episcoporum.

Die decima tertia Junii Ludovicus Combout, seu Cobot ex Ordine FF. Prædicatorum, cum is sub Henrico Fabry Præsidio in quadam disputatione, quam *Aulicam* vocant, responderet, hanc propositionem enunciabat; *Licet Episcopus, qualis inter Apostolos solus Petrus a Christo fuit immediate consecratus, curatus vero jure positivo institutus, quoniam nec Episcopus quisquam, Petro dempto, immediate est a Christo institutus.* Displicuit hæc propositio cunctis adstantibus, ac inter eos Magister Guilielmus de Quercu Pro-Decanus, qui tum utpote senior Regentis officio fungebatur, ex thesin propugnante scisitabatur, *an vellet stare decisioni Facultatis, alias circa præsentem materiam factæ*, respondit Religiosus, quod mens sua huic sententiæ consona *Argent. coll. jud. de nov. err. t. 2. p. 5. Dupin. bibl. des Scav. to. 13. p. 215.*

Sæcul. XVI. A.C. 1524.

esset; cum vero ejusmodi responso datam offensionem haud plene reparatam existimarent nonnulli, Natalis Beda Syndicus ad plurimorum Seniorum preces Religiosum coram Deputatis a Facultate missis comparere jussit, eumque interrogavit, *sciretne præfatæ Facultatis decisionem?* Comparuit ille die decima octava Junii, respondit que, *se hoc nescivisse*, subjunxit tamen, *velle se stare, atque in omnibus parere Facultatis decreto.* Post hæc jubebatur, ut in prima Sorbonica, ut vocant, propositionem suam revocaret, ac contrariam tueretur, quam ei Facultas traderet, *hoc adjecto, quod oppositam tenere non sit probabile.* Alteram hujus sententiæ partem Religiosus acceptavit, ac in sua Sorbonica, quam sequenti die decima quinta Septembris habuit, contrariam propositionem defendit hujus tenoris: *Quemadmodum Petrus a Christo summus Pontifex ordinatus fuisse creditur, & quilibet ceterorum Apostolorum ab eodem Christo, nullo mediante, Episcopus creatus, & Curatorum Ordo institutus, eodemque jure divino triplicem illum Hierarchicum Ordinem Ecclesia tenet, nec horum opposita (cum certum sit Evangelicæ veritati illa refragari) possunt probabiliter sustineri.*

§. LXVII.

Sæcul. XVI. A. C. 1524.

§. LXVII.

Alia Cenſura contra Simoniam.

Alia inſuper propoſitio de Simonia hoc anno cenſura fuit notata, quam Martinus de la Serre, Baccalaureus propugnavit in Aulica, ut vocant, diſputatione, cui præfuit Nicolaus Martelus. Propoſitio hæc erat ſequens: *Fidelis beneficium, non autem officium Eccleſiaſticum, abſque Simoniæ labe locat.* Equidem Baccalaureus hanc propoſitionem in ſenſu orthodoxo ac ſano explicare conabatur, nihilominus poſtulante Beda Syndico altera poſt diſputationem die vigeſima quinta Novembris Facultas Theologica habito conventu hanc propoſitionem examinavit, damnavitque Baccalaureum ad eandem pœnam, qua nuper Combontum caſtigabat, Ergo ille coram congregatis prima Decembris die ſiſtitur, atque a Natali Beda admonitus, ne deinceps cum offenſione populi doctrinas ſuas proponeret, oppoſitam propoſitionem propugnare jubebatur, hujus tenoris: *Fidelis nec beneficium, nec Eccleſiaſticum officium abſque Simoniæ labe locat: imo oppoſitum aſſerere, erroneum eſt.* Paruit juſſis Baccalaureus, atque in reſponſione *magnæ*, ut nominari ſolet. *Ordinariæ* die decima quarta Fe-

Argent. ib. p. 6.

Sæcul. XVI. A C 1524. bruarii Anno sequenti prælatam assertionem enunciavit.

§. LXVIII.

Censura in librum, cui titulus: Determinatio sacræ Facultatis.

Argent p. 7. Præterea nonnulli ad eandem Facultatem librum deferebant sub nomine *Determinationis sacræ Facultatis Parisiensis super certis propositionibus.* Hic liber sine Doctorum approbatione Parisiis prælo commissus a Facultate Theologica examini subjiciebatur, ac in Religionis opprobrium conscriptus censebatur: quapropter Facultatis Doctores triginta quinque propositiones extraxerunt, quas ad Parlamenti Curiam detulerunt, ut hic liber velut libellus famosus damnaretur.

Tenor autem propositionum erat hic: *I. Maria non potest dici Regina misericordiæ, nisi sit superior Deo. II. Evangelio repugnat, Mariam meruisse portare Christum. III. Sancti, qui adhærent Deo, illi adeo agglutinantur, ut nihil sentiant, aut velint, nec moveantur, nisi quod Deus in ipsis sentit, movet, & vult. Quare oporteret, quod Deus esset noster Servus, cum debeamus rogare Deum, ut moveat Sanctos, qui possint pro nobis orare, aut nos juvare. IV. Præter Scripturam inventum est Sanctos*

Sæcul. XVI. A. C. 1524.

ctos orandos. V. Preces ad Sanctos zizania, & malum semen. VI. Christiani decepti per Papam adorant diabolum, in imaginibus ligneis & aliis picturis & ossibus mortuis ex his idololatriam exhibentes. VII. Nemo in tota Scriptura oravit mortuos, ut pro se orarent, sive essent Sancti, sive non. VIII. Festa solum in laudem & honorem Dei ponenda sunt, quia ponere in honorem Sanctorum est vergere ad Judaismum aut Paganismum. IX. Dedicationum Festa priscis gentilia. X. Ex eo merito condemnatur Eunomius, quia habet nimis bonum nomen, & Vigilantius, quia nimis vigilavit in Biblia, ponitur in libro Hæreticorum. XI. Nisi juxta viam gentium ire velimus, nec faciendæ sunt imagines, nec aliqua incurvatio ante illas facienda. XII. Ineptissima assutura Canonis. XIII. Excommunicati sunt Papæ per S. Paulum. XIV. Lutherus soli hæret Evangelio, & nihil prædicat nisi Christum. XV. Christiani nullum habent Sacrificium, nisi proprium Corpus, nec Altare. XVI. Scriptura sancta, & Biblia libri sunt hæreticorum, & errantium. XVII. Tota institutio Missæ, quæ nunc observatur, a Christi primitivæque Ecclesiæ institutione aliena est. XVIII. Sacerdotes isti, qui sacrificant, sunt Sacerdotes Baal, non Dei; nam nobis non est Sacrificium, nisi proprii Corporis. XIX. Non potest esse Missa alicujus San-

Sæcul. XVI A.C. 1524

cti, nec fieri in honorem alicujus Sancti: & hoc facere est blasphemia in S. Sacramentum Eucharistiæ. XX. Purgatorium nullum ex Scriptura probari potest post mortem, nec præcipitur nobis, quod pro defunctis oremus, sed solum pro vivis. XXI. Papa facit homines Redemptores sui pro pecunia, quod est blasphemare Christum; cum solus Christus sit nobis Redemptor. XXII. Presbyter, qui non habet uxorem, non debet fungi officio suo. XXIII. Insanæ sunt Consecrationes nil nisi Judaismum præ se ferentes. XXIV. Mandata hominum non sunt observanda. XXV. Judicia Christianis sunt prohibita. XXVI. Papa ex Canonibus est manifestus Antichristus. XXVII. Manifestum est, quod totum jus canonicum est hæreticum, & quod totus mundus est hæreticus. XXVIII. Omnes Papæ Hæretici, nec possunt excommunicare. XXIX. Papa est major Christo. XXX. Papa non est judicandus, quia Deus. XXXI. Omnes, qui prædicant Evangelium, sunt hæretici. XXXII. Laici contra jus divinum ab electionibus secluduntur. XXXIII. Attribuit hominibus impie tres personas Trinitatis individuæ. XXXIV. Christiani adorant imagines. XXXV. Per Deum, si Rustici scirent, quæ Sacerdotes dicunt de Canone, ipsi non darent unum stercus pro Missa, nec de omnibus Memento Missæ.

Erro-

Erroribus ita expositis, ac percepta Procuratoris Generalis relatione, supremæ Curiæ Senatores duobus Consiliariis Nicolao Dorigny, & Guilielmo Burgesio negotium dederunt, ut *in ipsum factum, atque articulos ex hoc libro decerptos inquirerent, simulque injunxere Parisiensi Episcopo, ejusque Vicariis, ut literas monitorias decernerent contra omnes, qui habent, & detinent præfatum librum, eosque adstringerent, ut eum infra triduum sub excommunicationis pœna ad criminale forum dictæ Curiæ deferant, ac revelent, dicant & manifestent singulos, qui prædictum librum composuerunt, impresserunt, & vendiderunt, aut quicquam hac de re sciunt.* Lata est hæc sententia in Parlamenti Curia die nona Decembris: Literæ autem, ut vocant, monitoriæ Parisiensis Officialis publicatæ fuere decima ejusdem Mensis die. Sæcul. XVI. A. C. 1524.

§. LXIX.

Plurium Cardinalium obitus, ac primo Soderini Cardinalis.

Eodem hoc anno sacrum Purpuratorum Collegium plurium Cardinalium obitum planxit; Hos inter primus erat Franciscus Soderinus, ex prosapia inter Florentinos nobilissima genitus. Patrem is habuit Thomam Reipublicæ Oratorem ad Paulum II. Papam, cujus cura libe- *Ciacon. in Alex. VI. p. 203. Victor. in addit. Ciac. Joan. Naldini hist. Florent. Aubery vie des Cardin.*

Sæcul. XVI A.C. 1524

liberaliter educatus, tractu temporis omnium humanarum scientiarum genere peritissimus evasit; nam Pisis emenso Philosophiæ curriculo Jurisprudentiæ se impendit, ac utrumque Jus incredibili auditorum frequentia tradidit, quamvis Philippus Decius acerrimus illius Æmulus esset. Dein renunciabatur a Sixto IV. Pontifice Episcopus Volaterranus, indeque licet jamjam S. Collegio adscriptus esset, semper Cardinalis Volateranus nuncupatus est. Alias præterea tractu temporis obtinuit Ecclesias, nimirum Nannetensem, Cortonensem in Etruria, Vicentinam, Narnienſem, & Anagninam, ac denique Legationem in Campania accepit. Interfuit quoque Pontificiis comitiis, in quibus Clemens VII. electus fuit, a quo ad Ostiensem Episcopatum translatus, die decima septima Maji Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quarto ætatis vero suæ anno septuagesimo ex hac mortali vita excessit, & sepultus est in Ecclesia S. Mariæ de Populo. Scripsit is quasdam in Jus Pontificium annotationes, sed impolitas, minusque elaboratas, eo quod extremam illis manum admovere haud ultra posset.

§. LXX.

Sæcul. XVI. A.C. 1524.

§. LXX.

Cardinalis de Fliſco fata.

Alter erat Nicolaus de Fliſco, qui ſequenti Menſe Junio die decima vivis ereptus eſt. Is erat Franci de Fliſco Lavanniæ Comitis frater, ac præfuit in Galliis Tolonenſi, & Foro-Julienſi Eccleſiæ, necnon Ebredunenſi Archiepiſcopatui, quamvis ad eandem Sedem Claudius de Arces Canonicorum ſuffragiis electus fuiſſet. Obtinuit præterea in Italia Ravennatis Archiepiſcopatum, ſuumque Nepotem Urbinum de Fliſco ſibi Succeſſorem nominavit, qui tamen prænatura morte Patruum ſuum præceſſit. Hujus Cardinalis probitatem plurimum commendant Scriptores, eamque is crebro ſpecimine teſtatam fecit, præcipue ubi conſtanti animo ſeſe Alexandro VI. oppoſuerat, qui Tifernenſem Epiſcopum, licet innocentem, ſede ſua movere moliebatur. Præterea Apoſtolica prorſus libertate Julium II. ad bella nimis propenſum redarguebat. Poſt hæc cum Adrianus VI. quosdam alios a ſecretiori conſilio haberet, quibuscum negotia decidebat, Nicolaus eundem admonere haud dubitabat, ut deinceps pro Prædeceſſorum ſuorum more ſacrum Collegium ad conſilium vocaret, nec privatim

Ciacon. l. c. p. 204. Foglieta in elog. Paul. Jou. in Adrian. VI. Sammarth. Gall. Chriſt. Aubery l. c. Ruæus hiſt. Ravennat.

Sæcul XVI A.C.1524.

tim decerneret, quæ Christianæ Reipublicæ minus proficua essent. Obeunte hoc Pontifice magna suffragiorum pars in illum inclinabat, multique eidem auctores erant, ut eos, qui ejus electioni obsisterent, largitionibus ad se attraheret, quinimo ea de caussa ab ejus propinquis ingentem pecuniæ summam fuisse collectam referunt nonnulli. Ast ille adeo nefaria suadentes indignabundus a se repulit, rem Viro summæ integritatis ac virtutis studiosissimo indignam detestatus.

§. LXXI.

Cornarii Cardinalis extrema.

Ciacon. l. c. p. 200. Petr Justin. in hist. Venet. Andr. Vitt. Bembo in ep. Panvin. de Rom. Pontif. Aubery l. c.

Eadem die decima Julii, eodemque anno mortuus est Marcus Cornarius, seu Cornelius itidem Cardinalis, filius Georgii, qui fuit frater Catharinæ Cypri Reginæ, ac Marci Cornarii Venetorum Ducis Nepos. Is ex Protonotario Apostolico mox Cardinalis Diaconus, primo S. Mariæ *in Porticu*, dein S. Mariæ in *via Lata*, demum Presbyter Cardinalis tit. S. Marci, ac Basilicæ Vaticanæ Archipresbyter renunciatus fuit. Præclara Venetorum Reipublicæ præstitit obsequia, eamque in Julii Papæ gratiam reduxit. Leo X. perspectis viri meritis eundem Patavinum, ac postea Veronen-

ronenſem Epiſcopum, necnon Conſtan- Sæcul. XVI.
tinopolis Patriarcham nominavit: Car- A. C. 1524.
dinalium vero Collegio adſcriptus Albanenſem ac Prænestinam Eccleſiam adeptus eſt: Cum vero ſacræ Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus eſſet, incumbebat ei negotium, ut Adrianum VI. & Clementem VII. ſummos Pontifices inauguraret, quem etiam Leo X. ubi Patàvinum illi conceſſit Epiſcopatum, plurimum commendavit epiſtola ad Leonardum Lauredanum Venetiarum Principem ſcripta, his verbis: *Cum vellemus*, inquiebat Papa, *Eccleſiæ Patavinæ aliquem ex tuis Civibus præficere, nemo ea nobis dignior Marco Cornelio eſt viſus; tum quod multis, maximisque virtutibus præditus ſit, tum etiam, quia is omnibus Reipublicæ difficillimis, duriſſimisque temporibus nullum unquam laborem evitavit, nulli rei pepercit, ut illi vel commodo, vel ornamento eſſe poſſet.* Initio Epiſcopatus ſui in adipiſcenda redituum poſſeſſione per Cives Veronenſes objecta illi difficultas fuerat, quam tamen non modo feliciter ſuſtulit, ſed etiam eos maxime, quos pertinacius adverſantes habuit, ſibi conciliavit. Poſtea cum peſtilentia Romæ aliisque urbibus vehementer graſſaretur, propinquorum precibus Venetias evocatus, ibidem febri correptus brevi

poſt

Sæcul. XVI. A. C. 1524

post adventum suum decessit. Sepultus est in Ecclesia S. Georgii.

§. LXXII.

Pallavicini Cardinalis mors.

Ciaco. in vita Leon. X. p. 352.
Aubery l. c.
Bemb ep. l. 1. ep. 13.
Panvin. de Rom. Pont.

Denique itidem hoc anno obiit Cardinalis numero quartus Joannes Baptista Pallavicinus, patria Genuensis, Cypriani Pallavicini, & nobilis ex Græcia Matronæ filius, nec non Nepos Cardinalis sanctæ Praxedis, qui Romæ anno millesimo quingentesimo septimo satis functus est. Natus est Joannes Baptista, dum parentes ejus in mari navigarent. Præclara illius auspicia laudem multo majorem, ac nominis gloriam ob insignem rerum gerendarum dexteritatem ei peperissent, nisi tanti viri virtutem fatalis naturæ necessitas, cui in oppido Fabricæ florentibus in annis quarta decima Augusti succubuit, Orbi invidisset; magnis tamen animi dotibus commendatum nonnisi triginta septem annos natum Leo X. Anno Christi millesimo quingentesimo decimo septimo in sacri Collegii ordinem adlegit: Vivente vero adhuc Patruo suo Episcopus Cavallicensis renunciatus est, quo in munere cunctas veri Pastoris partes sedulo explevit; nam incumbebat non sine ingenti omnium applausu publicis Sedis Apostolicæ

stolicæ negotiis non solum sub Leone Papa, sed etiam sub Adriano VI. & Clemente VII. Paucis ante obitum diebus testamentum condiderat, vi cujus templo S. Mariæ Annunciatæ extra urbem, nec non Ecclesiæ Monasterii S. Michaelis de Clusa amplissimos reditus donavit: Præterea pro perficienda, quam vivens incæperat, Ecclesia S. Apollinaris multum pecuniæ legavit, ac quatuor Canonicatus, totidemque Præbendas in eadem Ecclesia erigi jussit, quarum nominationem, ac præsentationem ad propinquos suos, institutionem vero ad Cardinalem tit. S. Apollinaris pertinere mandavit. Sæcul. XVI. A. C. 1525

§. LXXIII.

Indignatio Cæsaris contra Papam.

Postquam Galli Pontificis ditiones ingrediebantur, summus Pontifex fœdus cum Francisco Rege initum occultare, haud ultra sollicitus erat, sed illud velut recens factum promulgabat, eodemque tempore ad Carolum V. in Hispanias Legatum decernebat, qui eum de re gesta edoceret, ac Papam ad id necessitate compulsum significaret. Imperator, quamvis ceteroquin moderati admodum animi esset, gravissimæ tamen, quam adversus Papam *Guicc. l. 15.*

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

conceperat, indignationi suæ hac occasione temperare non poterat, sed Legato respondit in hunc ferme modum: Sat perspectum habemus, Papam nobis minus propensum esse, quocirca ejus monita ex sincero animo proficisci, haud ultra credere valemus, postquam communis Patris officium exuit, ac partium studio abreptus, cum hostibus nostris sine omni caussa ac culpa nostra fœdus pepegit. Ceterum nonnisi ad Leonis X. preces Italiam defendendam suscepimus, ac ipsum quoque Clementem adhuc memorem fore arbitramur, quod ipsemet Adrianum VI. ad firmandum nobiscum fœdus impulerit, unde sat mirari haud possumus, quod summo sub discrimine nos deserere, totamque belli, quod ipse suscitaverat, molem solis nobis relinquere velit: Confidimus tamen in Domino, quod omne periculum eluctaturi simus, salvo nostro honore, ac non sine ingenti confusione eorum, qui per summam ignaviam terga vertunt. Hoc responsum Imperator ad Sueſſæ Ducem, suum apud Papam Legatum Romam scripto transmisit, dato negotio, ut illud ipsus ad Clementem deferret.

§. LXXIV.

§. LXXIV.

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

Fœdus Galliarum Regis cum Ferrarienſi Duce.

Interea Franciſcus Galliarum Rex obfirmato prorſus animo Papienſem obſidionem proſequebatur, ſed tamen hucusque leve admodum damnum urbi intulit, quamvis ceteroquin præter hunc Monarcham forte vix alius quisquam Belliducum magis aſſiduus, in labore ſtrenuus, ac animo intrepidus unquam viſus fuiſſet. Inibat inſuper fœdus cum Ferrarienſi Duce, eique pollicebatur, ſe eum ſemper protecturum, ac eidem, ſi ſeptuaginta aureorum millia ſuppeditaret, auxilio futurum, ut Ducatum ſuum recuperaret. Paucis ante hoc fœdus diebus exeunte anno priori obſidentes pulveris pyrii penuria laborabant, is vero cum Lugduno vix advehi poſſet, Galli Ferrariæ Ducem, cujus armamentarium inter cetera Europæ longe inſtructiſſimum erat, ſupplices adeunt, rogantque, ut pacto viginti aureorum millium pretio non modo pulverem pyrium, ſed & belli machinas ad caſtra mitteret. Annuit Dux; unde petita pulveris, armorumque ſubſidia nullo obſtante ad Parmenſem & Placentinam ditionem bobus devehi juſſit, præſidia agentibus ducentis levioris armaturæ Equitibus,

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

ac mille quingentis peditibus, quos Joannes Medicæus ducebat; nam hic ob denegatam Cremonenſis urbis præfecturam ſeſe vindicandi occaſionem quærebat, aut forte clam a ſummo Pontifice cognato ſuo ſtimulabatur, ut Gallorum ſtipendia mereretur. Equidem Piſcarius ab exercitu ſuo ſexcentos Lancearios, atque octo peditum millia avulſerat, ut Pado Cremonæ trajecto nitratum pulverem interciperet, verum cum Monticelli nuncium acciperet, quod Fuxus Mareſcallus ipſius hoſtis inſtaret, pedem referre, ac commeatui liberum tranſitum permittere cogebatur.

§. LXXV.

Claſſis Cæſarea profligata, Moncada captus.

Ant. de Vera hiſt. de Charl. V. p. 91.

Sequebatur hunc ſucceſſum brevi alius Gallis magis proficuus; nam Cæſarea claſſis, cui Hugo Moncada præerat, Savonam ſuæ ſubjecerat poteſtati, tamque amplo imperio totum Genuenſis maris tractum obſidebat, ut omnem aditum illis interciperet, qui vel obſidentibus ſuppetias ferre, aut Albaniæ Ducis exercitum novis militum ſupplementis augere molirentur: Cum ergo hæc claſſis non niſi tentato prælii diſcrimine propelli poſſet, Andreas ab Auria, ut eam invaderet,

ret, jubebatur. Is erat patria Genuenſis, ac jamjam triginta tribus abhinc annis Gallorum vexilla ſequebatur; accepto itaque mandato die prima Januarii Anno ſalutis milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto Tolonii claſſem ſuam veteranis militibus, quos in Provincia collegerat, inſtruxit, ſecumque duxit Saluciarum Marchionem, ac Renceum de Ceri. Dein aliquamdiu ad Antipolis mœnia ſeſe receperat, donec ſubſidentibus ventis ſecundus Auſter affluëret, poſtea vero expanſis pleno ſinu velis recta Moncadam petiit, ac Verolum percurrens illum offendit, ubi diuturnum nonminus ac cruentum fuit utrinque prælium, Aurienſis tandem flexuoſo claſſis ſuæ curſu hoſticas naves ad ſcopulos ſibi haud ſatis cognitos tam violenter impegit, ut ſeſe dedere cogerentur, atque tandem victoriæ ſumma penes Gallos ſtaret, non ſine magno Cæſareorum damno, quorum cunctas naves, quas unda non hauſerat, Gallus occupabat, atque ipſe Moncada in prætoria capiebatur. Hunc Auriæ Dux Galliarum Regi dono dedit, qui tamen captivum, eoquod ipſum inter Cæſaris Belliduces virtuti nemini ſecundum ſuſpiceret, non ſine ingenti affectus ſignificatione excepit. Parta hac victoria Savona, ceteræque urbes ad Genuæ oram ſitæ fue-

Seculi XVI. A.C. 1525.

Sæcul. XVI. A. C. 1525.

runt recuperatæ, & Renceus de Cerí tria armatorum millia in sinu Specciæ exscendere jussit, indeque nullo propemodum obsistente copias suas Albaniæ Duci conjunxit.

§. LXXVI.

Papiensis obsidio continuata.

Guicc. l. 15. Mem. du Bellai l. 2. Ant. de Vera l. c. p. 93.

Franciscus Galliarum Rex tam strenui Belliducis captivitate inflatus, Mediolanum contendit, ut corpus (ita fama ferebat) ab obsidionis laboribus defatigatum recrearet, & civium animos muneribus, quæ Principes in ejusmodi eventibus liberalius effundere solent, sibi magis magisque conciliaret: Demum vero post duarum dierum, & noctium moram, ad obsidionem revertebatur. Interea Borbonii Dux cum suppetiis, quas in Germania collegit, propius accesserat, quo circa Rex comperto ejus adventu Albaniæ Ducem unacum copiis suis revocare compellebatur; cum vero interim Gallorum exercitus Helvetiorum, ac Grisonum supplementis augeretur, Dux subsistere jubebatur, dato etiam negotio, ut modicis itineribus Neapolin versus progrederetur, non equidem animo, ut illud occuparet, id enim prorsus risu dignum fuisset, sed potius ut hostem ementitæ hujus expeditionis

tionis metu turbaret, eo vel maxime, quod Fœderati pecuniis deſtituti nuncium accepiſſent, Papiæ obſeſſos ad tantas redigi anguſtias, ut diutius urbem tueri deſperarent, niſi opportune Neapolis Prorex felici ſtratagemate pecunias civitati intuliſſet. Præterea Obſeſſi non modo pulvere nitrato, ſed & vino, omnisque generis annona (excepto pane) carebant, unde inter milites ſeditio mota eſt, minantibus etiam Germanis peditibus, ex quibus potiſſime præſidium conſtabat, ſe urbem Gallis tradituros, niſi Antonius de Leva ſua illis ſtipendia brevi numeraret. Anxiis omnino curis urgebatur Gubernator, partim ut ſeditioſis in urbe ſatisfaceret, partim ut obſidentibus reſiſteret, quapropter de turbido rerum ſtatu Proregem edocuit, qui protinus malo remedium attulit.

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

§. LXXVII.

Lanoyii ſtratagema ad pecunias Papienſibus advehendas.

Igitur Lanoyus Prorex duos Longobardos, qui frumentarios negotiatores agebant, atque in Gallorum caſtris vina vendebant, ad ſuas partes attraxit, eisque perſuaſit, ut dolium quoddam, in quo doliolum cum tribus aureorum

Mem. de Bellai l. 2.

Sæcul. XVI A.C. 1525

millibus latebat, alias vino repletum advehierent, cumque illi negotium in se susciperent, Prorex dolium equo imponi jussit, illudque in urbem Papiensem inferri curavit, eodem autem tempore Gubernatorem de tota consilii serie instruxit, significans, quod reliquæ quidem pecuniæ pro præsidii sustentatione paratæ essent, sed tantam auri vim duorum Oenopolarum fidei committere periculo haud vacaret, & Borbonii Dux cum valido militum supplemento urbi appropinquaret, ut proin eo adveniente mox castra moveri, & vel obsidio solvi, vel res prælio dirimi posset. Rebus ita dispositis ambo Longobardi vinum cariori pretio vendendi obtentu dolium proxime mæniis advehunt, vixque vinum venale proponebant, cum jamjam Antonius de Leva rem probe edoctus, ea ex parte cum suis erumpit, dolium auffert, atque doliolum, in quo erant pecuniæ, inde extrahit. Commendabat plurimum Germanis peditibus Lanoyii solertiam, tamque fidenter eis promisit, tota eorum stipendia in promptu fore, ut se ad totam obsidionem sustinendam paratos profiterentur, ac quadam honoris æmulatione stimulati allata tria aureorum millia cum Hispanis partirentur, spe freti, brevi Borbonium

bonium cum reſiduis pecuniis adventurum. Saeul. XVI. A. C. 1525.

Nec promiſſo fides deerat; quippe biduo poſt Borbonii Dux cum ſex millibus ſelectioris militiæ advenit, nondumque octava effluxerat dies, cum alia quatuor millia accurrerent, ut ſic Cæſareorum exercitus tam validis ſuppetiis auctus Gallos numero longe ſuperaret; Franciſcus enim exercitus ſui vires plurimum diminuebat, eoquod unum, idque numeroſum agmen ad Neapolis Regnum, alterum vero Savonam miſiſſet.

§. LXXVIII.

Hiſpani placati, ex adverſo Germani ad ſeditionem propenſi.

Ceterum Lanoyus Neapolis Prorex haud parum angebatur, ut ſuorum militum querelas ſedaret; nam hi deficiente ære militari ſeditionem moliebantur. Iſtos ergo ut placaret Piſcarius, cum optime noſſet, qua ratione Hiſpani milites facile expugnari poſſent, avaritiæ ſatiandæ occaſionem illis oſtendit, vos quidem inquiebat, macti virtute eſtote; intuemini Gallorum exercitum quaquaverſus diſperſum, ad quem delendum vix gladio opus erit, ubi omnia hoſtilium caſtrorum ſpolia vobis offeruntur, quorum copia vos una die magis

Mem. du Bellai l. 2 Guicc. l. 15. Belcar. l. 181. Le Feron. contin. de l' hiſtoire de P. Emile.

Sæcul. XVI A. C. 1525.

gis locupletabit, quam si toto vitæ tempore stipendia mereremini; hostium vestrorum castra nonnisi ejusmodi milites defendunt, quos frigoris immanitas, ac gelidissima hyems adeo constrinxit, ut gerendis armis ferme inepti sint, itaque bellum strenue prosequi pergite, dum omnes Gallorum divitiæ vobis victoria parantur. Eadem ferme oratione Borbonii Dux Germanis, quibus duobus pene abhinc annis sua studia addixerat, animum reddidit: quaproter Hispani ex primævo naturæ vitio honoris cupidi & avari (*) non modo iram ponebant, sed etiam alacri prorsus animo quantocius ad prælium educi petebant. Nec Hispanis Germani fortitudine animi cedere volentes, pari vincendi aviditate pugnam exoptabant, quocirca Borbonii Dux, Neapolis Prorex, & Piscarius unice intenti erant, ut militum suorum ardori satisfacerent, proin illos Papiam duxerunt, ut vel urbem obsidione liberarent, vel Gallos prælio vincerent.

§. LXXIX.

(*) Moderatius de integra, eaque nobilissima Natione Continuator loqui debuisset; ejusmodi enim conviciandi libertas ipsis etiam Principibus, quamvis mutuo bello implicitis, summopere displicet, quibus persuasum est, bella ferro geri ac dirimi, non autem acri Scriptorum calamo, nec Personæ aut Nationis, sed causæ inimicos esse.

§. LXXIX.

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

Pertinax Franciſci Regis conſilium de continuanda obſidione.

Cæſareus exercitus numerabat duodeviginti peditum millia, ſeptingentos Cataphractos, & nonnulla levioris armaturæ equitum agmina. Placuit belli præfectis, ut has copias Marinianum verſus de induſtria ducerent, ac Mediolanum contendere ſimularent, hocque circuitu Galliarum Regem compellerent, ut ad primos adventantis exercitus rumores aut Papiæ obſidionem ſolveret, aut ſaltem Trimollius Mediolani Præfectus copias ſuas Gallico exercitui jungere prohiberetur. Rex hoſtium conſilia edoctus, convocato belli Senatu, quid in præſenti rerum ſtatu agendum, deliberavit, ubi Saniorum, veterumque Belliducum ſententia eo abibat, ſolvendam eſſe obſidionem, ac Cæſareos ſtrenue inſequendos; diſſenſit tamen Bonivetus Admiralis, ejusque conſilium ſecutus Rex obſidionem continuari ſtatuit, quamvis datis literis ab Alberto Carpienſi Comite, quem Romæ Legatum habebat, Pontificis nomine monitus eſſet, ut prælii diſcrimen ſollicite declinaret, & per quindecim dies quiete in ſuis caſtris ſubſiſteret, eoquod Cæſaris

Sæcul. XVI A.C. 1525

saris exercitus ob æris militaris penuriam ægre diutius in officio sese contineret; nihilominus Rex propria virtute clarus, sed alieno consilio infelix, de honoris sui gloria agi arbitrabatur, si non modo prælium, sed etiam pugnandi occasionem effugeret. Ceterum infaustum hoc Boniveti consilium brevi duo alia sequebantur fata, Regi omnino funesta, ac veluti integræ Gallorum internecionis præsagia.

§. LXXX.

Gallorum exercitus fatali casu diminutus.

Mem. du Bellai l. 2.

Hæc fuere prima Gallicæ infelicitatis auspicia. Die decima quinta Februarii Joannes Medicæus ex omnibus exteris Belliducibus, qui Regis vexilla sequebantur, vigilantia nulli secundus eruptionem ex urbe fecerat, non sine quorumdam militum dispendio, altera autem die, ut suorum jacturam ulciscereturr, captosque hosti eriperet, insidias struxit, eosque, qui prius victores erant, fudit, fugavitque; cum vero Bonivetus partam victoriam gratulaturus, eum accederet, Medicæus adventanti palam obviam processit, ut penitius artem, qua hostem fefelliffet, eidem ostenderet; ast in crure dextro sclopi glan-

de

de trajicitur, osseque in frusta diminuto Placentiam deferri cogitur. Eo absente protinus illius copiæ ferme tria millia Italorum, quos nonnisi Ducis sui amor in Gallorum obsequio retinuerat, ferme omnes signa deseruerunt, ac nequidem expectata suorum Belliducum missione e castris excesserunt. Concurrebat ad mali cumulum altera infelicitas, eoquod Cæsarei iniquissimo Gallorum tempore inter Grisones seditionem ac tumultus suscitassent, postquam Clavennæ arcem in eorum finibus sitam dolo cepissent, ministerio cujusdam nomine Joannis Jacobi Medequin usi; hic patre, qui de mercimoniis portoria Mediolani exigebat, erat natus, cetera juvenis ad quævis audenda proclivis, suisque artibus tantum effecerat, ut inter Sfortiæ familiares secundus a secretis esset, hac igitur occasione usus arcis situm adeo scite explorabat, ut structis insidiis Gubernator, qui sine præsidio urbe excedebat, captus, arcemque Cæsareis dedere compelleretur; Grisones, cum tranquilla pace cum vicinis suis tunc fruerentur, repentino hoc fato tantopere terrebantur, ut hujus Tribus Gubernatores quantocius indicta etiam perduellionis omniumque bonorum proscriptionis pœna præciperent, ut sex illa hujus Nationis millia

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

Sæcul. XVI. A. C. 1525.

millia, quæ non ita pridem ad Gallorum castra venerant, nulla mora redirent, ac patriæ suæ succurrerent. Adeo urgens erat hoc edictum, ut Grisones spretis etiam summis, quas Rex interponebat, precibus detineri haud paterentur, sed quinto ante pugnam die ad sua reverterentur; cum vero in reditu suo a Cæsareis vix ullam paterentur molestiam, suspicioni locus dabatur, eorum Ducem clandestina cum Cæsareis foviisse consilia.

§. LXXXI.

Pallavicinus a Cæsareis cæsus, captusque.

Aliud insuper infortunium Gallorum exercitum numero & potentia frangebat; Cæsarei enim Joannem Ludovicum Pallavicinum, qui Regis signa sequebatur, ingenti clade affecerunt. Hic, cum nuncium accepisset, quod Cæsarei aliquantulum annonæ ex Cremonensi urbe perciperent, ac nonnisi exiguum præsidiariorum numerum ibidem haberent, cum civium eis addictorum fidei sat siderent, quantocius urbem inopino impetu obruere constituit; hinc cum quadringentis levioris armaturæ equitibus, ac duobus peditum millibus Cremonensem tractum ingressus, ibidem Fran-

Franciſcum Rangonium Comitem præ- Sæcul. XVI.
ſtolatus eſt, qui cum totidem equitibus, ac A. C. 1525.
quatuor peditum millibus ſequebatur. His copiis auctus usque ad Caſale majus proceſſit; aſt Pallavicinum prævenit ſolertia Alexandri Bentivolii, qui Ducis Mediolanenſis Tribunus, quamvis nonniſi ducentorum equitum, ac mille quadringentorum peditum agmen duceret, tam dextre Gallis inſtabat, ut Pallavicinum profligaret, captumque abduceret. Hæc clades penitus evertit conſilia, quæ Franciæ Rex adverſus Cremonenſes moliebatur.

§. LXXXII.

Arx S. Angeli Laudam inter & Papiam a Cæſareis capta.

Interea hoſtes propius ſemper ad Papienſem urbem accedebant, arcemque S. Angeli, quæ Laudam & Papiam interſecat, ſuis armis ſubjecerunt. Nil certius erat, quam hanc arcem a Cæſareis occupatum iri, non modo ut a tergo ſe tutos redderent, ſed maxime id ab illis fiebat, ne commeatus ex Laudenſi ditione ad eorum caſtra advehendus intercipi poſſit. Hanc ob rem Bonivetus equidem validum arci præſidium impoſuit, illiusque imperium Pyrrho

Sæcul. XVI A.C. 1525.

rho de Gonzaga Principis de Buſſolo fratri commiſit, adjunxitque ducentos levioris armaturæ equites, & octingentos pedites Italos, haud ultra memor, quod hæc eadem natio priori anno ſtationem ſibi creditam adeo ignave deſeruiſſet, aut forte ipſus prævidere neglexit, quod in conſervanda hac arce ſalus eorum, quæ Galli tum in Italia poſſidebant, poſita eſſet. Præterea Rex Chabannium Mareſcallum, & Principem de Buſſulo decreverat, ut arcis ſitum explorarent. Equidem Princeps in fratre ſuo obfirmatum ſeſe propugnandi animum, arcemque adeo munitam mirabatur, ut Regi ſignificaret, magni operis futuram eſſe arcis adeo firmæ obſidionem, ſi illam aggredi hoſtes præſumerent. Verum ſua eum fefellit opinio; quippe Gonzaga a conjuge ſua, quæ Piſcarium proxima ſanguinis cognatione attingebat, deceptus, eadem die, qua ſollicitabatur, arcis dedendæ conditiones iniit, quas inter præcipua erat, ut Belliduces, qui in præſidio fuerant, capti abducerentur, & gregarii milites ſolido menſe nihil ultra contra Cæſarem ſe moturos pollicerentur.

§. LXXXIII.

Sæcul. XVI. A. C. 1524.

§. LXXXIII.

Status Gallici, & hostilis exercitus.

Ammissa hac arce longe munitissima, ac demum appropinquante hostili exercitu tandem Rex aperte cognovit, se a Cæsareis ad prælium provocatum iri, quapropter Trimollium cum septem armatorum millibus Mediolano evocavit, ibidemque nonnisi duo millia sub ductore Theodoro Trivultio reliquit. Ducebat primum Gallorum agmen Chabannius Marescallus, junctis quoque Trimollii copiis, quarum castra a S. Lancfranci & S. Justinæ suburbiis usque ad vivarium Carthusianorum sese extendebant. Media acies, cui ipse Rex præerat, clausum Mirabeli saltum occupabat, postremum denique agmen, cui Alensonii Dux imperabat, totum tractum intra eundem saltum & monasteria S. Pauli & S. Jacobi Papiam prope implebat, ac colliculis impositum liberrimo oculorum prospectu etiam longissime dissitos campos emetiri poterat. Ex adverso Lannoyus, Piscarius, & Borbonius summo studio regios aggeres observabant, ut castri situm accurate explorarent, demum vero die vigesima prima Februarii habito belli Senatu de-

Sæc XVI. A.C. 1525.

creverunt, totis copiis cum hoste Gallo contendendum, & quidem Natali Cæsaris die, quæ erat vigesima quarta ejusdem Mensis S. Matthiæ sacra; cuncta enim sibi prospera augurabantur illa die, quæ communis lætitiæ argumentum erat. Ergo die vigesima tertia delectu habito facile viginti peditum, & tria millia equitum præter octingentos cataphractos recensebant, quæ omnes copiæ recentes, ac omnino integræ erant, cum econtra Gallorum exercitus viribus ac laboribus exhaustus esset. Milites super arma sua induebant alba indusia, ut eo facilius hostem ab amico discernere possent. Dividebatur exercitus in septem agmina, quorum tria equitum & quatuor peditum millia erant, nequidem computatis Vasconibus.

§. LXXXIV.

Occasio ad Papiense prælium.

Guicc. lib. 15 Mem. du Bellai l. 2. Pet. de Angl. ep. 815. Ant. de Vera l. cit pag 106

Castra metabantur Cæsarei extra Papiense vivarium haud procul a Carthusianorum cœnobio, ibique in muro noctu suffosso quinquaginta aut ferme sexaginta Orgyis latum aperiebant hiatum, per quem cum exercitu suo in finistrum regii agminis cornu irruerunt, ut Mirabeli saltum occuparent; inde enim

ad

ad Papiensem urbem facilem sibi viam parabant, ut præsidia recentibus copiis identidem augere, urbemque annona ac bellico apparatu commode instruere possent; Referunt Scriptorum nonnulli, quod Cæsarei tum in animo non habuerint, aut prœlii discrimen experiri, aut hostium castra vi perrumpere. Interea vero Jacobus Galliotus de Genoullac ab Acier apud Gallos supremus rei tormentariæ Præfectus adeo scitè in saltu tormenta locabat, ut quo propius hostium agmina accederent, eo magis continua strage prosternerentur, adeo, ut Cæsarei relicta statione, turbatisque ordinibus, ad quamdam vallem sese reciperent, ibidemque a globorum tempestate tutum asylum quærerent. Rex inde nimia facilitate Cæsareos in fugam actos sibi persuadebat, unde nequidem explorato eorum situ de statione sua excessit, ambitione stimulatus, qua sibi soli victoriæ gloriam deberi cupiebat. Ergo hostem aggreditur, & quamvis ea muneris pars Chabannio Marescallo utpote primi agminis Duci deberetur, nihilominus Rex selectiores Cataphractorum copias, ac e dextro cornu Helvetios ducebat, magnoque impetu in hostilem equitatum irruens, primam legionem evertit, ipsumque propria, (ut fama ferebat) manu Marchionem S. Angeli ultimum de

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

Secul. XVI A.C. 1525. Scanderbegi familia furculum, qui his equitibus præerat, trucidavit.

§. LXXXV.

Ignavia Helvetiorum a Gallorum exercitu excedentium.

Haud minori animi fortitudine Lescunus, Brionius; & Fridericus de Gonzaga usque ad Cæsareorum tormenta penetrabant, eorumque excubias dispergebant; Helvetii quoque, qui ad Regis dexteram dimicabant, in transversa Hispanorum latera invadebant, eosque pedem referre cogebant. Interim Lanoyus suos ad fugam inclinare comperiens, nulla mora Marchionem Piscarium cum quibusdam Germanorum peditum copiis adesse jussit, easque Helvetiis oppositi; ubi ad solum Germani agminis conspectum Helvetii pristinæ fortitudinis immemores, titubare, & per summam ignaviam prælii campum deserere cæperunt, ac Mediolanum profugerunt, nequicquam adhibitis Regis precibus, qui fugam sistere toto studio conabatur. Incassum etiam illis animum reddere moliebatur Fleurangius, qui cum sua Cataphractorum centuria eis occurrens pollicebatur, se suis injuncturum, ut ex equis desilirent, ac juncta cum illis opera primam aggres-

Guicc. l. 15.

aggressionem tentarent. Verum Helvetii ejusmodi verba, imo & probra eis objecta irridebant, unde his inde abeuntibus Gallorum peditatus solis constabat Germanis, qui vulgo nigra peditum turma vocabantur, ac sub imperio Francisci Lotharingii & Suffolciæ Ducis militabant. Hi equidem invicta virtute dimicabant, ac obfirmato vincendi animo Borbonii & Lanoyi impetus aliquamdiu sustinebant: cum autem numero nonnisi quatuor aut quinque millia essent, unaomnes a Cæsareis trucidati fuere, ut nequidem unicus fuga mortem evaderet, ac ipsimet ambo Belliduces Lotharingius, & Suffolcius peracto prælio ex occisorum acervis extrahi deberent, ut saltem terræ mandarentur. Saecul. XVI. A.C. 1525.

Accepta hac clade tota certaminis moles Regiis copiis impendebat, sed & ipsæ jam tertio fusæ, totiesque ad signa revocatæ, tanta desperationis rabie in hostium agmina irruperunt, ut Piscarius illorum Dux in terram delapsus, ac graviter saucius equorum ungulis protritus fuisset, nisi ejus amici promptam periclitanti opem tulissent. Accurrebat ad periculum Lanoyus, verum devictus, vitæ discrimen ægre fuisset eluctatus, nisi Borbonii Dux adventasset, qui adhucdum fuso Gallorum peditum

Sæcul. XVI A. C. 1525.

sanguine manans tanto impetu mediam aciem, cui ipse Rex præerat, invasit, ut Gallorum acies instaurari haud amplius posset.

§. LXXXVI.

Procerum quamplurimi penes Regem trucidati.

In turbato hoc rerum statu nil reliquum erat, quam ut illi, qui animi fortitudine, ac pio in Regem affectu ceteris eminebant, Franciscum cingerent, eumque valide tuerentur. Ex his quantocius cadebant ante Regis oculos egregia morte defuncti Palicius, Trimollius Dux, Galeatius Sanseverinas supremus Franciæ Armiger, nec non alius ejusdem nominis Magnus Regiæ Magister, præter quos etiam Boniveti occisus est, cujus obitus famam nullius luctus excepit. Quin imo referunt nonnulli, quod Borbonius furore ac vindictæ cupidine accensus studiose in occisum inquisierit, ac tandem sine armis ac vestibus reperto exprobraverit hæc verba: O infelix, tu meæ ac Franciæ ruinæ causa fuisti. Enimvero communi omnium judicio Boniveti interitus adscribebatur promeritæ pœnæ, quam ob perversa sua consilia, & nimiam, qua Regis animum suo arbitrio

Brantome vie des Hommes illustr.

bitrio ſubjectum tenebat, potentiam ſubibat. Sæcul. XVI. A.C. 1525.

§. LXXXVII.

Galliarum Rex devictus, captusque.

Ceterum Rex inter ſuorum cadavera adhucdum gladium manu tenens ſtrenue dimicabat, ubi vero per ultimas cædes fuga elabi contenderat, accurrebant nonnulli hoſtilis equitatus Belliduces, qui quidem Regem de facie haud noverant, ex armorum tamen ſplendore virum nobilitate primum ſuſpicabantur; unde fugientem preſſius inſequentes eum in quodam loco valde anguſto deprehendunt, occiſoque ejus equo Regem eodem ictu in terram projiciunt, non ſine magno vitæ ſuæ diſcrimine; nihilominus licet crure faucius in pedes tamen ſeſe erexit, ac ferme ſolus irruentibus reſtitit. Supervenit Pomeranus, qui Borbonii Ducem ab illo, quo hic mota rebellione e Galliæ regno diſceſſerat, tempore conſtanter ſequebatur: hic ergo Regem acceſſit, ac gladium ſtringens crebris ictibus milites cohibuit, qui Regem capturi turmatim accurrebant. Sub idem tempus Pomeranus Borbonium accerſiri juſſit, ut Franciſcum Galliarum Regem captum exciperet. Ve-

Mem. du Bellai l. 2. Ferron. in Franciſ. l. Ant de Vera hiſt. Car. V. p. 110.

Sæcul. XVI A. C. 1525

rum Rex indignatione in rabiem versa palam contestabatur, se potius mortem subiturum, quam gladium suum proditoris manibus traditurum, moxque ad Pomeranum conversus eidem significavit, ut Lanoyum Neapolis Proregem adesse juberet; huic enim soli libenter se gladium suum traditurum asserebat.

§. LXXXVIII.

Rex porrecto gladio sese Neapolis Proregi captum tradit.

Sleidan. in Comm. l. 4. p. 127.

Lanoyus rupta omni mora accurrit, ac sub venerationis specie quinquaginta omnino passus a loco, ubi detinebatur Rex, semotus equo descendit, quem propius adventantem Rex his verbis italo sermone allocutus, inquiebat: „ Lanoye, Domine mi, en gladium Regis „ sua laude digni; priusquam enim il„ lum cedere coactus fui, eodem ferro „ vestrum plures trucidavi, nec ob i„ gnaviam, sed siniſtræ fortunæ iniqui„ tatem captus vestræ subjicior potesta„ ti „ Lanoyus flexo poplite ac exhibita reverentia gladium a Rege recepit, ejusque dexteram exosculatus, suum exemit gladium, eumque pari submissione Regi tradidit, dixitque: „ Majes„ tas sua meum acceptet gladium, qui „ plurium vestrum cruori pepercit; in-

„ con-

„ congruum enim est, ut Cæsaris Mini- sæcul. XVI.
„ ster Regem licet captivum, armis ta- A.C 1525.
„ men nudatum conspiciat. „ Placuit Regi Viri comitas. Interea plures concurrebant Centuriones, qui inter brachia sua Regem ad Proregis tentorium deferebant; vero tamen magis simile est, idque nonnulli testantur Historici, Regem equo vectum ad Lanoyum fuisse deductum. Ibidem ejus vulnera inspiciebantur, quæ tamen nonnisi levia erant. Referunt quidam Scriptores Hispani, Lanoyum Regi, ut Borbonius sua eidem obsequia deferre permitteretur, instanter supplicasse, illum vero respondisse, tentorium locus adeo sacer est, ut Duci hanc gratiam recusare nefas foret; igitur Borbonius Regem invisens cænanti inclinato genu manum osculabatur, eique mappam porrexit. Attamen ex Gallis Scriptoribus discimus, Regem Borbonii conspectum haud sustinuisse, idque nativo ejus genio magis consonum videtur, quamvis non diffiteamur, quod forte Rex fatali rerum necessitate compulsus, ad Lanoyi preces Borbonio delicti veniam concesserit.

Sæcul. XVI. A. C. 1525.

§. LXXXIX.

Primum Gallorum agmen cæsum, & postremum fuga dissipatum.

Guicc. l. 15. Postquam media acies, quam ipse Rex ducebat, ut retulimus, penitus cæsa fugataque esset, haud benigniore fortuna utebatur primum agmen, cui præerat Chabannius Marescallus; Antonius enim de Leva cum ex Papiensi urbe eruptionem faceret, tam acriter a tergo instabat, illudque Cæsarei a fronte tam valide adoriebantur, ut unaomnes jugularentur. Occubuit ibidem ipse Chabannius, cumque Alensonii Dux, qui postremo agmini imperabat, prælium instaurare pararet, a ceteris rogabatur, ut potius cum paucis suis, qui supererant, militibus fugam arriperet, quam suos certæ cædi exponeret. Horum consilium secutus, trans Ticinum ponte a Gallis impositio cum suis periculo sese subduxit. Ultimo tandem Montmorentiacus, qui, ut supra meminimus, ad obsidendas quasdam vias decernebatur, audito tormentorum fragore ad prælii campum accurrebat, cum vero totum Gallorum exercitum cæsum, ac quaquaversus dispersum cerneret, a Cæsareis undique cinctus in captivitatem abstra-

abstrahitur, cæsa suorum potissima parte. Sæcul. XVI. A.C. 1525

§. XC.

Occisorum, ac captivorum numerus.

In acie cæsa, aut Ticini undis submersa sunt octo, vel ut scribit Guicciardinus novem millia Gallorum, quos inter, præter eos, quos jam paulo ante recensuimus, numerabantur Comes de Tonnere, Hector Borbonii Nothus, Petrus de Rohan, Calvimontius, Bussius de Ambasia, Durasius, Turnonius, Buzancyus, Bopreus, & Sangelasius, Villemorus, & Ludovicus de Arsia. Ingens præterea captivorum erat numerus, ex quibus præcipui Henricus Albretus Navarræ Rex, Franciscus Borbonnius Comes S. Pauli, Ludovicus Nivernensis, Fuxus & Montmorentiacus Marescalli, Nothus de Sabaudia magnus Franciæ Magister, Antonius de Rupe Fucaldi, Fleurangius, Brionius, Sourdis, Lorgesius, Rochepotus, Montejanus, Rupe-cenomanensis, Meillarayus, Montpesatus, Boissyus, Curronus, Langeyus, Montlucus, Fridericus de Bossolo, pluresque alii. Capiebatur insuper Brundusiensis Episcopus Papæ Legatus, qui tamen Lainoyi jussu mox liber dimissus est, nec minus *De la Roche du Maine.*

Comes

Sæcul. XVI. A.C. 1525. Comes Sancti Pauli, & Fridericus de Boffolo excubiis auro corruptis libertatem ſuam redemerunt: Fuxus vero Mareſcallus & Sabaudiæ Nothus multis vulneribus confecti in carcere obierunt. At ex parte Cæſareorum non niſi ſeptingenti aut forte octingenti fuere deſiderati. Ceterum Theodorus Trivultius & Candiere, quos Trimollius Mediolani reliquerat, unacum urbis præſidio ſecedentes, in Gallias reverſi ſunt.

§. XCI.

Obſequia capto Regi exhibita.

Ant. de Vera hiſt. de Charl. V. p. 112. Interim Franciſcus I. potius veluti Rex, quam captivus habebatur, imo ipſe etiam Piſcarius, qui Gallici exercitus impedimenta ceperat, cuncta, quæ Regis erant, eidem reſtitui jubebat: Rex vero, quæ ſecum adhuc deferebat, mutatis veſtibus, præcipuis Belliducibus dono dedit, & quidem Piſcario Marchioni equi ſui ephippium, frænum, ac breviora ſclopeta donaverat. Veſpere facto Rex publice cænabat, præcipuis tam Hiſpanis, quam Italis, & Germanis Belliducibus eidem inſervientibus, quos Rex, ut & ipſi menſæ accumberent, rogabat, quod tamen non niſi poſt iteratas preces ab eis obtinuit. Poſtera die Prorex Regem ad arcem longe

longe munitissimam, quam Picelonem vocant, abduci jussit, ubi etiam aliquamdiu captus hæsit sub custodia Alarconis Nobilis Hispani, qui tamen debito eum honore prosequebatur. Sæcul. XVI. A.C. 1525.

§. XCII.

Contentio de Senonensi Archiepiscopatu ob unum a Capitulo electum, alium vero a Regina nominatum exorta.

Eadem, qua Rex capiebatur, die, mortuo Ponchero Præsule, Senonensis Archiepiscopatus vacabat. Suffragante concordati lege Ludovica de Sabaudia Regis Mater, cui absens ejus filius regni administrandi curam commiserat, ad hanc Ecclesiam quemdam Præsulem nominare voluit, inhibuitque, ne Senonenses Canonici ad electionem ullo pacto procederent. Hi autem insuperhabito Reginæ interdicto, conventuque habito Joannem de Salazard elegerunt. Regina honorem suum vehementer læsum rata, supremo Senonum Præfecto, ut temporalia Capituli bona ærario adiceret, præcepit, Regisque nomine Antonium de Prato Regni Cancellarium in Archipræsulem nominavit. Verum hac de re querebatur Capitulum, *Pinso. p. 747.*

ac

Sæcul. XVI A.C. 1525.

ac propter usurpata bona ad supremum Senatum provocabat, contendens, quod ejusmodi vis sine ulla prorsus auctoritate fuisset illata, cum absque Regis jussu attentata fuisset. Parlamentum causam ad Regis Senatum remisit: hic vero sua Canonicis bona restitui jussit. Paulo post Canonici a Capitulo Deputati aliquod ad prosequendam appellationem diploma Curiæ porrigebant, cum id postularet generalis Sanctioris Senatus Procurator, qui contra electionem Joannis de Salazard a Capitulo factam, usurpati juris titulo provocabat. Igitur ad Capituli, atque electi preces Curia antiquo juri insistens respondit, causamque ad ipsum Regem remisit, quamvis haud ignoraret, Cancellario, de cujus causa potissimum agebatur, primum locum deberi in Consilio, cujus ipsemet erat Præses.

§. XCIII.

Alia de S. Benedicti Abbatia ad Ligerim controversia.

Pinso. p. 747. Fervente adhuc hoc dissidio pariter Abbatia S. Benedicti ad Ligerim vacabat, ad quam Regina itidem eundem Pratum Cancellarium nominabat, ut illum quantum in ipsa esset, beneficiis cumularet: Inde vero haud minor exorta

orta est contentio, quam Senonensis Archiepiscopatus nuper suscitabat, quapropter causa rursus ad Parlamentum Parisiense deferebatur: Cum vero Cancellarius litem suam ab hac Curia cognosci minime sustineret, causam ad supremum Regis Senatum avocavit. Dein deputabatur Morentiacus ad Parlamentum, ut eidem significaret, quod cognitio eorum, quæ Cancellarium concernerent, Parlamenti auctoritatem excederet. Præterea graviter querebatur Morentiacus, quod Bochardus Advocatus in suo libello quinquies, aut omnino sexies repetere haud dubitaverit, concordatum corruptelis esse plenum, & Reginæ ausus nonnisi iniquissimo fieri animo, ac Abbatiam, de qua controvertitur, illicitis omnino viis fuisse impetratam. Sæcul. XVI. A.C. 1525.

Eodem die Regis Advocatus asserebat, quod sibi non in animo nunc esset, concordatum abrogari, cum Papæ indignatio foret timenda; hanc in rem allegabat Honorii III. Pontificis testimonium docentis, *interdum aliquid severitati detrahendum, prout statu imperii provida deliberatione pensato expedire videbitur.* Præterea his addidit, quod sibi opportunum, quo simul concordatum conservari, atque electionum libertas quodammodo restitui posset, occurrerit medium, cum

Cap. fin. de transact. Pinson. hist. pragm. & concor. p. 784

Sæcul. XVI A.C. 1525. cum fuisset admonitus, quod extaret declaratio, quæ rerum ad Episcopatus & Abbatias concernentium cognitionem supremo Consilio adjudicat, a se tamen illam haud inspectam, nec ad acta relatam, vel in Parlamento promulgatam fuisse ajebat, ceterum subdebat causas ad supremum Senatum avocando nonnisi Regis subditos divexari, eoquod hoc tribunal nulla auctoritate fulciretur.

§. XCIV.

Parlamenti responsum ad Morentiacum.

Ad ea, quæ Morentiacus exposuerat, Parlamentum interposita fide palam profitebatur, quod cuncta ejus membra Regi inviolabili constantique fidelitate adhæsura sint, nec unquam eis in mentem venerit, concordati abolitionem moliri, cum id haud congruum in præsenti rerum vicissitudine censeret, ac hoc ipsum ab ipsamet Majestate sua, ubi redierit, perfici posset, ceterum inquiebat, inficiari se, quod ea, quæ Bochardo Advocato imputantur, re ipsa ab eo fuerint prolata, si vero concordatum fuisse violatum objiceretur, id imputandum Cancellario, eoquod a Rege ad Abbatiam S. Benedicti ad Ligerim se nominari fecisset,

Pinson. l. c.

ciſſet, quamvis meritis a Concordato præſcriptis careret; cum hic nec Religioſus foret, illis vero, qui ſpeciali nominandi privilegio gauderent, hoc jus ſalvum maneret, nec hujus Abbatiæ Religioſis abnegari poſſet. Præterea Concordatum nec ex parte Pontificis nec ex parte Regis pactum dicebat eſſe honeſtum; eoquod ille contra regulas Annatas perciperet, hic autem ſpretis oppoſitionibus eorum, quorum intereſt, ad Epiſcopatus & Abbatias nominaret. Sæc. XVI. A.C. 1525.

Præterea ſubjunxit Parlamentum, a Religioſis Benedictinis libellum ſupplicem eidem fuiſſe porrectum, in quo de ablata omni eligendi libertate queſti exponebant, quod eorum monaſterium militum præſidio obſideretur, proin rogarent Curiam, ut ejusmodi malis, ac oppreſſionibus remedium adhiberet. Perceptis eorum querelis Curiæ Cuſtodem fuiſſe eo decretum, illum vero adeo male exceptum, ut ex verberum atrocitate moreretur. Alius inſuper libellus eidem ſupremæ Senatorum Curiæ porrigebatur, quo lecto illi quemdam Conſiliarium deputabant, ut in hanc rebellionem, vimque illatam inquireret, ad cujus relationem Curia reos carceri mandari præcepit. Poſt hæc Parlamentum expoſuit, quæ ob Senonenſem Archiepiſcopatum acciderant: Quan-

Sæcul. XVI A.C.1525.

tum vero Abbatiam S. Benedicti attinet, non jam de electionis privilegio, sed duntaxat de libertate eligendi Monachis reddenda agebatur; ad id enim obtinendum Parlamenti opem implorabant. Eodem quoque tempore Curiæ Senatores asserebant, quod cunctæ caussarum avocationes omnino noxiæ essent, præprimis vero illæ, quæ Senonensem Archiepiscopatum, & Abbatiam S. Benedicti ad Ligerim respicerent, cum Cancellarius illius Consilii, in quo ipsemet judices sibi faventes abs dubio electurus foret, caput esset, ac insuper ad impetrandum utrumque beneficium suos Romam ablegasset; præterea iidem dicebant, omnibus esse notum, quod Regina regni Administratrix ad discutiendam ac dirimendam hanc caussam a Viris idoneis provocare intendat, inde vero gravissima mala merito timenda forent; de cetero Cancellarium laudabant tanquam Virum prudentia, ac scientia insignem necnon præclaris dotibus præditum, id vero vitio illi vertebant, quod solus rerum summam moderari affectet, quamvis ad id nequidem expertissimi hominis solertia in Franciæ Regno tantopere extenso sufficeret, ac aliunde Parlamenti sententia in eo esset, ut Status negotia honestis ac legitimis mediis

mediis, non vero vindictæ ac privati commodi ſtudiis pertractentur. Secul. XVI. A. C. 1524.

§. XCV.

Regina cauſſarum cognitionem ſibi reſervare ſtudioſa.

Poſt hæc Parlamentum Selvæ Præſidi, & Veriuſo Cancellario negotium dedit, ut Curiæ ſententiam Reginæ ſignificarent, eamque de cunctis, quæ circa Senonenſem Archiepiſcopatum, & Abbatiam S. Benedicti ad Ligerim geſta fuiſſent, accurate edocerent. Regina audito amborum Magiſtratuum ſermone repoſuit, ſe utriusque cauſſæ cognitionem ſibi reſervaturam, hancque in rem exploratæ probitatis Viros congregaturam, qui hoc negotium deciderent. Eodem tempore Cancellarius ſuam quoque indignationem adverſus Curiæ ſententiam utrique Deputato palam teſtabatur, ſimulque declarabat, petere ſe, ut pro injuriis, quibus in cauſſa Archiepiſcopatus, & Abbatiæ a Curia affectus eſſet, ſibi ſatisfacerent, cum ſat ſibi perſpectum eſſet, ejusmodi vexationes Parlamenti juſſu intentatas fuiſſe, illudque nil ardentius moliri, quam Concordati abrogationem. His dictis Cancellarius acta & quæſtiones adver-

Sæcul. XVI. A.C.1525

sus Curiæ Deputatos institutas ad supremum Senatum remitti curavit.

§. XCVI.

Parlamenti oppositio.

Die vigesima secunda Junii Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto Lisetus Regis Advocatus intellexerat, Hennequinum in supremo Senatu comparere jussum, quapropter pronunciabat, quod hic Vir ad hujus mandati executionem haud esset munitus auctoritate a Parlamento ipsi delegata, quamvis ad illud unice hujus caussæ cognitio spectaret; præterea his addidit, Reginam equidem asseruisse, *velle se utriusque caussæ cognitionem sibi reservare, hancque in rem exploratæ probitatis Viros advocare, qui hoc negotium dijudicarent*, sed tamen hæc res maximi momenti esset, & ponderis, atque ejusmodi agendi ratio ad ordinaria tribunalia penitus evertenda tenderet, nec ad Cancellarium pertineret hac in caussa judicium suum ferre, eoquod is Reginæ esset convictor, ejusque domesticus, ut proin nec justitiæ nec æquitati congrueret, quod caussarum, quæ Episcopatus & Abbatias concernunt, cognitio Parlamento aufferatur, earumque judicium ad supremum Consilium remittatur.

tur. Denique subjunxit, quod nunc ta- Sæcul. XVI.
lia quidem dissimulare compelleretur, A.C. 1525
cum non de præcipua negotii summa, sed de commissa nonnisi violentia, & usurpatione ageretur.

§. XCVII.

Epistola Reginæ ad Parlamentum Lugduni data.

Regni administratrix, quæ tum Lugduni agebat, die vigesima quarta Junii ad Parlamentum literas dedit, in quibus significabat, se iniquo ferre animo, quod Parlamentum cum supremo Senatu jurgio contenderet, licet ipsa hujus caussæ cognitionem haud alio ex fine quam ut litibus finem imponeret, sibi reservasset, hancque in rem præsentium Latori negotium dedisset, ut caussam avocaret, id vero ipsum scribebat fuisse ita decretum ex sententia eorum, quos Parlamentum deputasset. *Pinsson. l. 2. p. 749.*

Perlecta Reginæ epistola, atque discusso instrumento, quo illa hujus caussæ cognitionem sibi vindicabat, idem Lisetus Regis Advocatus sese opposuit, asseruitque, rem esse periculis plenam, atque hac de re monendam esse Reginam, eique exponendum, quod illius mandatis morem gerere, Parlamento haud integrum esset, proin interea, do-

Sæcul. XVI. A.C.1525.

nec illius responsum perciperetur, præcipiendum, ut ejusmodi avocatio executioni haud daretur, nec litigantes causſam suam in alia quam Parlamenti Curia prosequerentur, nullatemus vero coram supremo Senatu sese sisterent, nisi causſa sua cadere, & centum auri marcarum mulctam pendere mallent.

§. XCVIII.

Parlamenti edictum pro executione primæ suæ sententiæ.

Die tertia Julii eodem anno Parlamentum omnia tribunalia convocavit, atque edicto sanxit, insuperhabita, quam Regina præcepisſet, evocatione sententiam in causſa Senonensis Archiepiscopatus, necnon Abbatiæ S. Benedicti ad Ligerim nuper latam omnino executioni dandam esſe. Præterea Generali Procuratori ac litigantibus inhibuit, ne ad aliud tribunal causſam deferant, indictis pœnis supra relatis: Die vero vigesima septima ejusdem mensis Procurator Generalis graviter contra Parlamentum querebatur, eoquod in Aurelianensi urbe edictum fuisſet promulgatum, quo ejus sententiæ in causſa Abbatiæ S. Benedicti stare interdicebatur. Post hæc perceptis istius querelis, omnes Curiæ simul congregatæ decreverunt, datis literis

literis Reginæ supplicandum, ut Cancellarium ad Parlamentum ablegaret, cum maximi momenti res esset, quæ eidem communicaretur. Perscripserunt iidem ad ipsum Cancellarium, ac præterea quosdam nominabant Consiliarios, qui literas, ut vocant, evocatorias necnon alias ab eodem Cancellario præter consuetudinem signatas, atque emissas discuterent, simulque responsum ab eo perciperent super articulis, quos ei Procurator Generalis exhiberet. Denique decernebant, eundem in jus vocandum esse, nisi ad diem decimam quintam Novembris ultro in Curia compareret. Sæcul. XVI. A.C.1525.

§. XCIX.

Causſa Aurelianenſis Abbatiæ ad S. Euortium.

Utrique huic causſæ haud incongrue subjicimus tertiam, quæ hoc quoque anno mota fuit: cum enim Abbas monasterii Aurelianensis ad S. Euortium decederet, ac alius subrogaretur, Regina pro parte sua Ludovicum Carthusianum nominavit, inhibuitque Parlamento hujus causſæ cognitionem, quam sibi reservaverat: Nihilominus ab hac Reginæ sententia appellatio interponitur, illamque Parlamentum ratam habet. Hanc mandati sui vilipensionem *Pisſon. l. c. p. 749.*

Sæcul. XVI. A.C. 1525. Regina summopere indignata, gravibus omnino verbis conceptam perscripsit Epistolam ad Parlamentum, quod tamen se appellationem defensurum respondit, quinimo die vigesima secunda Augusti Lisetus Regis Advocatus pronunciavit, quod Parlamenti jussu examinaverit sententiam *Præsidialis Curiæ* Aurelianensis, a qua provocationis prosequendæ diploma, quod Religiosi ex Abbatia ad S. Euortium impetrassent, tanquam corruptela declaratum fuisset irritum. His idem addidit, edictum fuisse promulgatum, quo hujus Abbatiæ Syndicus necnon illi, qui diploma effectui dederunt, comprehendi jubebantur, proin Procuratorem Generalem in jus esse vocandum, Religiosis vero inhibendum, ne Parlamentum accederent. Postea Parlamenti auctoritatem superba prorsus magniloquentia efferebat, ac comprobare nitebatur, quod Regis Senatus præscriptos potestatis suæ limites excederet, si sese causis ordinariis ingereret, indeque concluserit, expectandum esse Reginæ responsum, interea vero Aurelianensi Præfecto, aliisque Regiis Ministris injungendum, ne ullum Senatus Regii edictum, quale esset Decretum circa Abbatiam S. Evortii effectui darent, nisi prius probe fuisset examinatum, ne forte Parlamenti auctoritas læderetur, si

si vero Aurelianensis Curiæ Præsidialis Ministri Parlamento morem gerere recusarent, nullum magis expeditum remedium occurrere ajebat, quam si lata in eos sententia carceri mandarentur. Sæcul. XVI. A C. 1525.

§. C.

Parlamenti edictum de ejus sententia executioni danda circa Abbatiam S. Euortii.

Supplicaverat Reginæ Parlamentum, ut Cancellarium ad Curiam remitteret; illa vero acceptis hisce literis reposuit, jussitque, ut Parlamentum prius hujus petiti rationem redderet; hanc ob rem quidam hujus Curiæ Senatores ad Regni Administratricem ablegati fuere. Equidem Lisetus libellos, quos contra Cancellarium scripserat, excusare aggrediebatur, verum Curia quantocius ei reposuit, ea, quæ muneris sui essent, perficeret. Postmodum die quinta Septembris Parlamentum promulgato edicto sanxit, ut cuncta ejus decreta in causa Abbatiæ S. Euortii omnino executioni mandarentur, insuperhabitis omnibus, quæ supremus Regis Senatus opponeret, cujus Procurator Generalis in jus vocatus sese coram Parlamento sisteret. Præterea Generali Parlamenti Procuratori inhibitum, ne in supremo Con-

Sæcul. XVI. A C. 1524.

filio compareret, ad Reginam tamen Parlamentum Deputatos, qui suorum edictorum executionem fieri, ab ea rogarent, decrevit, scripsitque ad Principes, Duces, & Pares Franciæ, quorum potens apud Regni Administratricem patrocinium exorabat, eisque persuadere conabatur, ut eandem ad tuendam Parlamenti auctoritatem inducerent, præterea hos Principes rogabant, ut congregationi, quæ altera post festum S. Martini die celebraretur, assisterent, ibique cum Parlamenti membris de gravissimis omnino negotiis conferrent. Tandem concluserunt, Cancellarium, si usque ad decimam quintam Decembris diem comparere differret, lata in eum sententia omnino cogendum, ut sese judicio sisteret.

Illuxerat dies festus S. Martini, cum Bardus Præses, postquam demandatum sibi negotium apud Reginam perfecerat, Curiæ exponeret, Regni Administratricem de Parlamenti temeritate graviter conquestam, eoquod hoc Tribunal, inquiebat illa, potestatem sibi a Rege Filio suo datam, restringere præsumeret, seque negotiis, quæ tamen illud minime spectarent, ingereret. Retulit pariter Bardus cuncta, quæ Regina speciatim de exorta ob Senonensem Archiepisco-

episcopatum, necnon ob Abbatias S. Benedicti ad Ligerim, & Aurelianensem S. Euortii contentione edixerat; percepta horum relatione Parlamentum datis literis Reginam rogabat, ut sua auctoritate magni Consilii acta interrumpi juberet, vicissim vero Parlamentum, se quoque hucusque gesta suspensurum pollicebatur, addens, nunquam sibi in mentem venisse, ut facultatem a Rege illius Filio, qui se absente illam Regni Administratricem constituisset, Reginæ concessam limitaret, præterea etiam asserebat, quod nunquam injuriam Cancellario inferre ullo pacto voluerit, sed eum ad Parlamentum vocando unice intenderit, ut cum eo quædam summi momenti negotia pacifice componeret. Hæc lis per aliquot menses suspensa permansit. Sæcul. XVI. A.C. 1525.

§. CI.

Fœdus a Venetis Cæsarem totius Europæ potentissimum pertimescentibus adversus eum sancitum.

Interea Veneti Papiensis victoriæ terrore vehementer perculsi verebantur, ne Cæsar, cum potentissimus esset redditus, totam Italiam victricibus suis armis subjicere moliretur; quapropter summo Pontifici exponebant, se fœdus contra

Sæcul. XVI A. C. 1525

tra Cæsarem conflaturos, ac maxime certos esse, huic quoque Angliæ Regem accessurum, cum id rerum suarum commodum exigeret. Horum rationes Pontifici adeo graves videbantur, ut & ipse huic fœderi nomen daret. Verum adhuc concipiendis illius articulis incumbebant, cum Papa cursoriis equis Hieronymum Ginuccium Cameræ Apostolicæ Clericum in Angliam ablegaret, ut Regem quoque ad eandem armorum societatem induceret; interea vero Capuanus Episcopus præcipuus Papæ Minister Placentia Papiam contendit, ut partam de Gallis victoriam Lanoyo gratularetur. Hunc Præsul ad ineunda concordiæ pacta adeo propensum experiebatur, ut rupta omni mora Romam reverteretur, ac Papam a suscepto fœderis consilio dimoveret, quapropter Clemens nimia inconstantia, cujus tamen pœnas paulopost dedit, abreptus Albaniæ Ducem compulit, ut cum suo exercitu e portu Civitatis veteris solveret, ac in Gallias rediret: insuper Ginuccium Caleto, ubi jamjam advenerat, reverti jussit; igitur privata commoda publicis præferens, fœdus cum Neapolis Prorege, qui Cæsaris nomine agebat, concludere festinabat, cujus præcipuos jam articulos exhibeamus; sancitum itaque I. Cæsar Francisco Sfortiæ inauguratio-

nis

nis diploma pro Mediolanenſi Ducatu concedat, eique hujus ditionis poſſeſſionem reddat. II. Florentini, ſeu eorum nomine Pontifex, Cæſareo exercitui centum aureorum millia ſolvat; eoquod ita promiſſum eſſet in quodam articulo fœderis cum defuncto Papa initi, vi cujus integro anno poſt obitum alicujus, qui fœderi acceſſerat, Cæſari ſubſidia ſolvi jubebantur, ea tamen lege, ut hæc centum aureorum millia reſtituerentur, ſi Cæſar intra quadrimeſtre fœderi nomen dare renueret. Præterea tres articuli, qui ſpeciatim Papam reſpiciebant, privatim ſcribebantur. I. Mediolanenſes non alio, quam ſale Romandiola advecto utantur, qui tamen eis juxta pretium a Leone X. præſtitutum vendatur. II. Cæſar Ferrariæ Ducem adſtringat, ut Reggium, & Ruberiam urbes, quas defuncto Papa Eccleſiæ eripuerat, reſtitueret. III. Summus Pontifex in Neapolis Regno beneficia libere conferat, Cæſar vero juri cedat, quod ex Conſtitutione Urbani II. Papæ in Siciliæ Clerum habere contendit. Denique alio articulo Papa ſpopondit, ſe Cæſari centum aureorum millia daturum, Ducemque Ferrarienſem in gratiam recepturum, dummodo is parem Pontifici ſummam perſolveret.

Sæcul. XVI. A. C. 1525.

§. CII.

Sæcul XVI. A.C. 1525.

§. CII.

Cæsar de parta victoria per nuncios certior factus.

Ant. de Vera hist. de Charles V. p. 101. & 103.

Altera post Papiense prælium die Antonius Caracciolus Piscarii Marchionis Nepos per Genuensem ditionem ad Cæsarem decernebatur, omnique, qua posset celeritate iter suum perficere jubebatur, nec minus eodem tempore Panelozza Equestris Ordinis Commendator Regiis publicæ fidei literis munitus per Franciam mittebatur, ut sacram Cæsaream Majestatem de tota rei gestæ serie penitius edoceret. Faustum hoc partæ victoriæ nuncium accepit Carolus Imperator Madriti, ubi tum agebat, ac Infantem Catharinam Sororem suam, quæ proxime Joanni Lusitaniæ Regi nuberet, valere jubebat. Equidem lætitia, quam ob tantos triumphos conceperat, abs dubio summa fuit, quam tamen adeo modeste supprimebat, ut adversam capti Galliarum Regis vicem dolere videretur, simulque festivos ignes accendi prohiberet, illisque, qui ejusmodi festivitates institui petebant, reponeret, nonnisi ob victorias de infidelibus partas triumphos esse ducendos.

§. CIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

§. CIII.

Cæsar, quid de Galliarum Rege capto agendum, deliberat.

Præterea, quo pacto cum Galliarum Rege ageret, Cæsar convocato suorum consilio deliberabat. Hos inter Episcopus Osimensis, qui Carolo a confessionibus erat, Gallum sine lytro liberum esse dimittendum, nullamque ei conditionem præscribendam censuit: hac enim humanitate, ajebat, non modo immortale sibi nomen aquisiturum, sed etiam Franciæ Regem sibi perpetuum amicum redditurum, qui abs dubio tantam Cæsaris magnanimitatem grato animo compensabit, his idem Episcopus addidit, Carolum opitulante Galliarum Rege facile Germanis, Italisque Jura dicturum, si vero duris nonnisi conditionibus Christianum Principem libertati restitueret, odia inde ac cruenta bella eventura, ac famosum immanis ambitionis nomen in universa Europa Cæsarem reportaturum; præterea Lutheranis suppeditaturum occasionem, eo liberius reliquam Septentrionis partem hæresi sua inficiendi, cum jam ferme mediam illius oram corrupissent. Ex adverso Cattinara Cancellarius contendebat, Regem in perpetuam custo-

diam

Sæcul. XVI. A. C. 1525

diam esse conjiciendum, Franciam vero a Cæsare subigendam, cum nullo validiori medio nimiam Turcarum potentiam frangere posset, quam totam Christianam Rempublicam ad unam Monarchiam redigendo, cujus caput Imperator, centrumque Francia esset. Denique Albæ Dux censebat, Galliarum Regem esse cogendum, ut libertatem suam lytro redimeret, acquisitam vero inde pecuniam tantæ victoriæ digna fore præmia, indeque maximum, quantum fieri posset, fructum esse reportandum.

§. CIV.

Conditiones libertatis Franciæ Regi oblatæ.

Amborum sententia communi applausu acceptata fuit, quapropter Rodii Comes supremus Cæsareæ aulæ Magister cursoriis equis in Italiam decernebatur, ut Regi significaret, Cæsarem eidem libertatem reddere paratum, ea tamen lege, ut præter prætensa illius jura in Neapolis Regnum, & Mediolanensem Ducatum, sine omni prorsus conditione ac reservatione Burgundiæ Ducatum restitueret, Provinciam & Delphinatum a Franciæ Imperio avelleret, ac Borbonio Duci unacum ceteris omnibus terris cederet, ut ex iis Regnum erige-

erigeretur, quod nullo pacto a Franciæ Imperio dependeret, ac nequidem eidem clientelari nomine obnoxium esset, nec minus Galliarum Rex Angliæ Regi in omnibus plene satisfaceret, quicquid ille ab eo jure sibi debitum peteret. Has conditiones Franciscus Rex constanter rejecit, professus, se potius in carcere moriturum, quam Regnum ulla Provincia spoliaturum. Sæcul. XVI. A.C.1525.

Dum hæc gerebantur, Borbonii Dux, & Piscarius indignatione in Cæsarem concepta, quod ea, quæ illis promiserat, non persolvisset, invicem conspirabant, injuriamque, quam sibi illatam credebant, ulcisci constituebant. Ergo consilium ceperunt, Franciæ Regem in suam redigendi potestatem, eumque libertati asserendi; dummodo is Piscario sua in Neapolin jura cederet, & Borbonium bonis, dignitatibus atque officiis restitueret, eique in uxorem daret ejus Sororem, quæ nuper defuncti Alensonii Ducis conjux erat. Hunc in finem Lanoyo exponebant, Regem Neapolin esse transferendum, jamque consilium maturari cæperat: at Franciscus Galliarum Rex ex nimia captivitatis suæ indignatione libertatis spem sibimetipsi præciderat; tædio enim servitutis obrutus, facile libertatem honestis sub

Sæcul. XVI A.C.1525.

conditionibus se obtenturum credebat, si ipsus in Hispaniam ire, atque suam ex captivitate liberationem supplex rogare posset; quapropter hoc consiliumLanoyo proposuit, quod & ipse ratum habuit, ut eo certius Regem a Borbonii & Piscarii potestate avelleret, atque in Cæsaris arbitrio relinqueret; ea vero consilia, quæ adversus præfatum utrumque Belliducem cuderent, ut Rex nemini manifestaret, unice Lanoyus eundem adstrinxit, voluitque, ut pro suo in Hispaniam itinere proprias triremes, sed inermes transmitteret.

§. CV.

Galliarum Rex in Hispaniam deductus.

Cunctis annuit Rex, datamque fidem exsolvit; quippe Gallicæ triremes nullo tamen milite instructæ advehebantur, quibus Lanoyus Hispanas imposuit copias, ac ipsemet unacum Rege vela fecit, videntibus juxta ac consentientibus Borbonio Duce, & Piscario, qui Neapolin versus iter institui existimabant. Equidem Franciscus Rex secundis ventis in Hispaniam deferebatur, verum vix appulsus, suum agnovit errorem, quo tali sese credidit loco, ex quo ægre admodum a suis liberari posset.

posset, aliunde vero auxilii inops, nonnisi hostis sui arbitrio ac benevolentiæ relictus hærere, ac non sine ingenti timore, ne in perpetuum carcerem conjectus sortem suam liberæ victoris potestati committere cogeretur. Nec omnino inanis erat Regis timor; quippe non modo nullis honorum significationibus excipiebatur, sed nequidem illam, quam sperabat, magnanimitatem experiebatur: nam denegabatur eidem Cæsarem alloquendi copia, imo illam nullo pacto concedendam significabatur, nisi prius de suæ libertatis conditionibus utrinque conventum esset. Includitur ergo in Madritensi arce, ex qua libera exeundi facultas de die concedebatur, dummodo nonnisi mulo vectus, semperque suis præsidiis cinctus permaneret. Sæcul. XVI. A C 1525.

§. CVI.

Rex Madriti periculoso morbo correptus.

Asperior hæc agendi ratio tantopere Regis animum afflixit, ut gravi morbo obrutus, in maximum vitæ discrimen adduceretur. *Mem. du Bellai 3. Sleid l. c. l. 5. p. 166.*

§. CVII.

Idem a Cæsare salutatus.

Verebatur Cæsar, ne Rege mortuo

Sæcul. XVI A.C. 1525.

partæ victoriæ fructu privaretur, quocirca eum invisurus ante captivi sui cubile equo descendit, ac portæ proximus caput detexit. Galliarum Rex mox ubi adventantem conspexit, cubicularem, qua tegebatur, vittam detraxit, ac ferme inter lacrimas Cæsarem prævenit, eumque flebili voce allocutus inquit: „ Ecce me! Cæsareæ Majestatis suæ captivum, suæque potestati subditum, „ non libertatis, sed vitæ gratiam a te „ exoro; „ cui repositit Imperator: „ non „ te velut captivum, sed tanquam fratrem, & amicum meum habeo, nec „ aliud mihi est consilium, quam ut tibi „ & libertatem & vitam donem. „ Hæc Cæsar generoso animo dicens Regem amplectitur, ejusque capiti vittam, quam adhuc manu tenebat, imponit. Postera autem die rursus Regem invisit, nullam tamen de concedenda libertate mentionem fecit, sed mediam ferme horam cum eo collocutus illum valere jussit, hæc subjungens verba: brevi Ordinum comitia, quæ Toleti celebrantur, absolventur, postea te sæpius invisurus Madritum revertar; interim salutis tuæ curam habeto, tua causa semper mihi cordi erit, ejusque exitum tuæ voluntati relinquo.

Ant. de Vera hist. de Charl. V. p. 111.

§. CVIII.

§. CVIII.

Sæc XVI. A.C. 1525.

Galliarum Rex ſanitati reſtitutus.

Ex tam benevola Cæſaris viſitatione Franciſcus Rex, medicorum judicio, indies morbo levari cæperat, ac ſaltem tertium usque diem febri ſua defunctus paulo poſt integræ valetudini reſtituebatur. Credebant nonnulli, quod Rex haud parum convaluiſſet ex Alenſoniæ Duciſſæ adventu, quæ ſecuritatis literis a Cæſare impetratis munita, Menſe Septembri *Aquis mortuis* e portu ſolvit, & Madritum venit, ut Regem fratrem ſuum officioſa ſalutatione conſolaretur. Eadem ab ejus Matre, quæ tum Regnum adminiſtrabat, plenam obtinuit facultatem, ut cum Cæſare, qui ea adventante adhuc Madriti agebat, de Regis libertate paciſci poſſet; verum illa haud diu in Hiſpaniis morabatur, cum facile perſpiceret, recuperata Regis fratris ſui ſalute adeo non ejus liberationem maturari, ut potius inde longiorem moram acciperet. Nihilominus illa negotio finem imponere conſtituit; cum vero Cæſarem a præſcriptis conditionibus nihil remittere cerneret, in Gallias rediit, & Franciſcum de Tournon Ebredunenſem Archiepiſcopum ſubrogavit, qui pacis negotia apud Imperatorem proſequeretur.

Sæcul. XVI. A.C. 1525

Ceterum Rex captus Duciſſæ Regias tradidit literas, quibus Delphino ejus filio Regni adminiſtrandi facultatem conceſſit, eumque in Regem coronari permiſit. Hoc facto palam teſtabatur, quod potius in carcere mortem oppetere, quam iniquis conditionibus ſibi propoſitis libertatem ſuam redimere velit. Poſthæc Cæſar Alenconiam Duciſſam abeuntem inſequi, illamque finito liberi commeatus termino comprehendi juſſit; verum illa iter ſuum tanta celeritate perfecit, ut ultima die, qua datæ ſecuritatis literæ exſpirabant, vix non Franciæ fines attingeret, ubi Claremontius eam præſtolabatur, ac tam valido præſidio munitam excipiebat, ut Cæſaris juſſa exequi non auderent illi, qui eam inſequebantur.

§. CIX.

Libertatis perficiendæ negotium Madriti continuatum.

Quamvis Carolus Cæſar Toletum ad Regni comitia reverteretur, non tamen ob ejus abſentiam Madriti ceſſavit libertatis Franciſco Regi procurandæ negotium. Hanc in rem Joannes de Selva duas pacis ineundæ vias propoſuit, per quarum primam fœdus inter utrumque Monarcham ſanciendum cenſebat, ut eorum querelæ utrinque extinquerentur,

tur, quo consilio Carolus Imperator clariorem longe laudem, nomenque Cæsarea Majestate dignum consecutus fuisset. Alterum autem concordiæ medium erat, ut vel certum libertatis petitæ lytrum Regi præscriberetur, vel præscriptum mitigaretur, eoquod æquitatem excedere videretur. Sæcul. XVI. A.C. 1525.

§. CX.

Postulata Cattinaræ Cæsarei Cancellarii.

Ad hæc reposuit Cattinara Cancellarius, prius tollendum esse dissidiorum fomitem, ac demum de solida inter utrumque Monarcham pace agendum; hanc in rem Regis jussu Cæsaris postulata fuisse discussa, eaque probe examinata, nullatenus immodica, sed potius valde moderata censeri, additque, cum Cæsar, quamvis Occitaniam, & Delphinatum, utpote Regna Imperio, vel Arragoniæ obnoxia prætenderet, ac nequidem Franciscus justum præscriptionis titulum opponere posset, pro sua tamen modestia nonnisi Burgundiæ Ducatum postularet, quem Ludovicus XI. Franciæ Rex iniqua usurpatione Mariæ de Burgundia, quæ Caroli V. Avia, & Caroli postremi Burgundiæ Ducis filia erat, eripuit.

Sæcul. XVI. A.C. 1525

Præterea petiit Cancellarius, ut Rex ſupremo in Belgium dominio nuncium mitteret, id exigente pacto, quod Ludovicus XI. cum Carolo Burgundo Peronnæ iniit, ac ſe huic juri ceſſurum ſpopondit, ſi forte Atrebatenſe fœdus inter Carolum VII. ejus Prædeceſſorem, & Philippum *Bonum* violaturus eſſet; cum igitur Franciæ Reges horum ſucceſſores hujus fœderis fidem fefelliſſent, hanc injuriam reparare, Franciſco incumbere ajebat. Ad utrumque hunc articulum Joannes de Selva quædam reponere conabatur, declarans, Burgundiæ Ducatum, priusquam Burgundi Duces illum poſſediſſent, jamjam Franciæ Imperio fuiſſe junctum, atque ab illo tempore, quo præfati Duces eo potiti eſſent, nonnunquam Franciæ liberis in portionem hæreditariam fuiſſe relictum; ſi tamen Cæſar prætenſo in hunc Ducatum juri vehementius inſiſteret, hanc litem in Curia Parium Franciæ eſſe dirimendam, hunc enim Ducatum Parium Franciæ ditionibus eſſe annexum. Ferventibus hisce litigiis Franciſci Regis liberatio præter ſpem ſuam diutius differebatur.

§. CXI.

§. CXI.

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

Borbonii Dux in Hiſpaniam delatus.

Dum hæc interea agitabantur, Borbonii Dux in Hiſpaniam profectus Madritum venit, Cæſaris juſſu (ut fertur) accitus; Carolus enim, cum circa Francifci Regis libertatem absque illius conſenſu nihil decernere ſtatuiſſet, ejus præſentiam oppido neceſſariam fore ſignificabat. Adventantem Carolus Imperator ſummis honoribus excepit, paulo poſt tamen Dux haud obſcure cognoverat, quod Cæſaris benevolentia ſibi Procerum invidiam accerſeret, illisque ejus præſentia permoleſta accideret; Nec temera erat hæc ſuſpicio; quippe horum unus ſecreta, quæ in eum fovebat conſilia, palam prodebat; cum enim a Cæſare rogaretur, ut in ſuo Palatio Borbonio Duci habitationem concederet, hæc repoſuit Carolo: *Se Cæſari, quod vellet, denegare haud poſſe, verum ſciret, ſe domum ſuam, ubi diſceſſiſſet Borbonius, ſolo æquaturum, exiſtimare enim ſe, illam, ubi proditoris infamia contaminata eſſet, indignam fore, ut deinceps ab honoratis Viris inhabitaretur.* *Guicc. l. 16.*

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

§. CXII.

Cæsaris artes erga summum Pontificem.

Interim Suessæ Dux Romæ comperat, quæ Cæsar circa nuperum fœdus cum Clemente VII. initum decrevisset, quocirca protinus Papam adiit, eique Cæsaris nomine significavit, quod Carolus quidem ad fœderis executionem, ac testandam fidei suæ integritatem propensum gereret animum, non nulla tamen occurrerent, quæ circa tres articulos exponeret, cum Cæsar arbitraretur, eos haud posse ratos haberi; & quidem Primo sancitum ajebat, ut urbes a Ferrariæ Duce usurpatæ restituerentur, quamvis Cæsar haud possit S. R. Imperii juribus derogare, nec Ducem adstringere, ut Reggium, utpote urbem clientelari nomine Imperio obnoxiam Sedi Apostolicæ redderet. II. Inquiebat, quod Prorex potestatem suam excesserit, nec Mediolanenses incolas ad salem in Papæ ditionibus emendum obstringere, nec hac supra re pactum cum Pontifice inire potuerit, cum id unice Mediolani Ducem respiceret, nec Cæsareæ Majestati integrum esset, pro altero fidem suam obstringere. III. Denique dicebat, Cæsari minime probari articu-

ticulum, qui Neapolis Beneficia spectaret, nisi saltem ea addatur clausula, ut hac in re juxta usitatum Neapolis Regum Prædecessorum suorum morem procedatur. Cum igitur Papa probe cognosceret, nolle Cæsarem hosce tres articulos ratos habere, vicissim & ipse reliqua acceptare recusabat, proin totum utrinque negotium velut infectum permansit. Sæcul. XVI. A.C.1525.

§. CXIII.

Investituræ diploma pro Mediolanensi Ducatu a Cæsare Francisco Sfortiæ concessum.

Alius adhuc articulus Cæsaris fidem quodammodo suspectam reddebat; quippe Hurtado Lopesius in Italiam ire jubebatur, ut Italos in Caroli obsequio contineret. Hic idem ad Franciscum Sfortiam pro Mediolani Ducatu inaugurationis diploma deferebat, adjecta tamen conditione, quæ vix impleri posse credebatur; nam vi istius Dux obstringebatur, ut ad compensandos sumptus, quos Cæsar in tuendo Ducatu impendisset, ducenta aureorum millia penderet, præter alia ejusdem monetæ millia, quæ ob diploma numerare compelleretur. Summa hanc conditionem explendi difficultas non paucis suspicionem ingessit, Cæsarem eo consilio Sfortiam ita oneravisse, ut

Sæcul. XVI A.C. 1525.

ut Mediolanum ſibimetipſi vindicandi obtentum conſequeretur.

§. CXIV.

Piſcarius ad Cæſareos Italia pellendos a Morono ſollicitatus.

Hæc agendi ratio tantopere Hieronymum Moronum Mediolani Cancellarium commovit, ut Franciſcum Sfortiam in hujus Ducatus poſſeſſione firmare, conſtanter animo conſtitueret, & hanc ob rem Cæſareos penitus ex præfata urbe expellere moliretur, qui etiam ſub idem tempus opportune intellexerat, Piſcarium Marchionem Cæſari indignari, eoquod ei Carpienſem Principatum denegaſſet, illumque Veſpaſiano Columbæ dono dediſſet: Hujus igitur iram, averſumque animum in rem ſuam vertere, eumque ad ſua conſilia pertrahere ſtudebat, huncque in finem eundem rogabat, ut patriæ ſuæ, priusquam ab exteris penitus opprimeretur, vindex ac liberator exiſteret. Præterea eidem exponebat, Sfortiæ nonniſi nudum Ducis nomen relinqui, nec alia, quam ut exercitui Cæſareo ſtipendia numeraret, auctoritate frui, interim tam ipſum quam ejus ſubditos ad extremas redigi anguſtias ob immodicam auri vim, quam Cæſar pro diplomate exigeret; inſuper adde-

Ant. de Vera hiſt. de Charl. V. p. 122.

addebat, quod ad excutiendum fervitutis jugum Italis haud vires deficerent, dux vero, qui præiret, deeſſet, popularesque ſui exterum dominium pertæſi Piſcarium pro ſuo Principe exoptarent, eoquod inter Neapolitanos Proceres potentia ac divitiis nemini ſecundus eſſet; rem ceteroquin nullius ferme negotii eſſe ajebat; cum Papa, Veneti ceteriique Italiæ Principes libenti animo, totisque viribus ſuppetias ferrent, imo ipſa etiam Francia præſto futura foret, nec minus Angliæ Rex aliunde Cæſari infenſus exiſteret, ut proin ejus arrogantiam tandem ſupprimi, ſummopere gaviſurus ſit. Piſcarius ejusmodi propoſitionem non ſine ingenti ſtupore excepit, nec tamen illam penitus rejecit, ſed ex Cancellario ſciſcitabatur, cujus juſſu hæc ipſi propoſuiſſet: repoſuit Moronus, Papam Venetosque datæ fidei ſponſores fore; nec minus idem quoque firmari curaverat per Mentebonam ſuum a ſecretis miniſtrum, quem Roma evocavit; adſtipulabatur etiam Sigismundus Santus, qui idonea agendi facultate inſtructus, Venetiis ex induſtria huc advenerat. Sæcul. XVI. A. C. 1525.

§. CXV.

Sæcul. XVI. A. C. 1525.

§. CXV.

Pollicitatio Neapolitani Regni Piscario facta, atque ejus anxietas hac super re sublata.

Ne Piscarius Moroni consiliis totum sese addiceret, unica obstabat anxietas; quippe dubius hærebat, an fidem Cæsari, cujus etiam subditus esset, promissam jure violare posset. Verum Moronus confestim reposuit, illum equidem Imperatori subjectum esse, arctiori tamen vinculo Pontificis obsequio adstringi, cum hic supremus esset Neapolis Princeps, & Cæsar nonnisi Dominium utile haberet, in hujus autem præjudicium directo Domino obsequi, omnino liceret, atque aliunde beneficiariam hujus Regni possessionem a Papa Carolo V. jure concedi haud potuisse, eoquod ipse jamjam Cæsaris dignitate insignitus esset; idipsum vero omnino adversaretur retroactis cum Sede Apostolica pactis circa Neapolis Regnum initis, vi quorum utraque ditio simul ab eodem possideri haud posset. Nihilominus, cum Piscarius in hac occasione vir timoratus, ac honestus haberi ambiret, ad tollendam animi anxietatem Theologiæ, ac jurisprudentiæ peritissimos suppressis tamen petentium nomini-

Ant. de Vera l. c. p. 123.

minibus consulere voluit. Hi omnes ad mentem summi Pontificis decidebant, quod Diploma Cæsari concessum non valeret, utpote præcipuo inaugurationis articulo contrarium, quo inhibitum, ne beneficiaria hæc ditio ab ullo Cæsare possideri posset, ut proin subditus Neapoli ortus ex conscientiæ legibus potius summo Pontifici tanquam supremo Domino, quam Imperatori morem gerere adstringeretur, eoquod hic duntaxat feudi Dominus esset. Sæcul. XVI. A.C. 1525.

§. CXVI.

Fœdus Papæ, Piscarii, Mediolanensis Ducis, & Venetorum adversus Cæsarem.

Igitur fœdus cum Piscario concluditur, illudque Moronus Mediolanensis Ducis nomine, Mentebona autem pro Clemente VII. & Santus pro Venetis subscribunt. Præcipui illius articuli erant. I. Ad Cæsareos ex Italia propulsandos inter fœderatos mutua erit armorum societas, cui etiam Galliarum Rex accedere sollicitabitur. II. Piscarius illius caput erit, ac probatæ fidei Cæsareas, quotquot poterit, copias ab exercitu segregabit, ut disjunctæ eo facilius opprimi possent, si fors ad expugnandum Neapolis Regnum sua Piscario servitia præ- *Guicc. l. 16. Brantome vie du Marquis de Pescaire.*

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

præstare renuerent. Pactis hisce conditionibus quantocius Mentebona Romam petiit, ut eas Pontifex ratas haberet; Santus vero Lugdunum ire spopondit, ut Regni Administratricem ad firmandum hoc fœdus induceret. Hæc eo libentius nomen suum dedit, quo acerbius in Cæsarem odium foveret, eoquod ipse Regem ejus filium libertati restituere pertinacius cunctaretur: Itaque Fœderatis accedens, non solum religiosum rei gestæ silentium, sed etiam mediam sumptuum partem promisit. Sub idem tempus Mentebona disparuit, nec ultra unquam reversus est; Santus vero e Francia redux in Grisonum alpibus a Latronibus occisus fuit; quamvis rumor esset, utrumque Antonii Levæ impulsu a Sicariis fuisse sublatum.

§. CXVII.

Conspiratio ab ipsomet Piscario Cæsari manifestata.

Paulo post nunciatum erat Piscario, Mentebonam nuspiam ultra inveniri, Santum quoque fuisse trucidatum, quocirca Piscarius secretas eorum epistolas fuisse interceptas, ac cuncta conspirationis arcana prodita veritus, Castaldum intimum amicum suum ad Cæsarem ablegabat, qui clandestina eidem mani-

manifestaret consilia, simulque significaret, se ejusmodi molitionibus simulate assensisse, easque detegere fuisse cunctatum, ut totam conspirationis seriem penitius assequeretur, eoque certius fœderatos falleret. Rescripit Piscario Cæsar, eumque admonuit, ut cum Papa, Venetis, & Morono Cancellario agere pergeret: ipse vero interea cum iisdem rem ita gessit, ut brevi certæ in Italia pacis spes affulgere videretur. Sæcul. XVI. A. C. 1525

§. CXVIII.

Cæsar Italis manifestat, sibi conspirationem esse detectam.

Paulopost Imperator Castaldum ad Piscarium remisit, eique significari jussit, nunc e re fore, ut Italis ostendatur, eorum conspirationem esse detectam, proin Moronum Cancellarium custodiæ dandum, nilque intentatum relinquendum, ut Mediolanensis Ducatus rursum in Cæsaris obsequium revocetur.

§. CXIX.

Cæsaris jussa Piscario data pro Mediolanensi Ducatu expugnando.

Piscarius accepto Cæsaris mandato quantocius copias suas auxit, Papiam & Laudam munimentis firmavit, ac nova his urbibus præsidia imposuit, denique Morono significari jussit, rupta *Guicc. l. 16.*

Sæcul. XVI. A. C. 1525.

omni mora Novarram contenderet. Præ-texebat Piscarius, magni moliminis rem effectui tandem esse dandam, re tamen ipsa Cancellarium comprehendere, eoque facilius Sfortiam cliente suo privatum opprimere intendebat. Paruit Moronus, eumque Piscarius in quoddam cubile adduxit, in quo Antonius de Leva sub tapete absconditus latebat, quo facto Piscarius eum induxit, ut documenta exhiberet, ex quibus tam sua, quam Domini acta instrui possent; postea autem Moronum valere jussit. Cancellarius ubi ex Piscarii cubiculo exierat, valde attonitus hæsit, cum Leva eidem Cæsaris mandata significaret, captumque die decima quarta Octobris hoc anno ad Papiense castrum abduceret.

§. CXX.

Mediolani Ducatus capto Morono a Piscario occupatus.

Moroni captivitate evertebantur consilia Papæ & Venetorum, præcipue vero Mediolani Ducis, qui de se actum esse existimabat, eo potissimum nomine, quod Piscarius Mediolanum, Cremonam, cunctasque urbes Abduæ flumini adjacentes sibi tradi peteret. Hoc fato non parum adversa Sfortiæ valetudo

letudo augebatur, qui tum ex peſtifera ſebri decumbebat; hinc cuncta, quæ Piſcarius poſtulabat, confeſtim conceſſit, ac munitiora Mediolanenſis Ducatus loca Hiſpanorum poteſtati reliquit. Saecul. XVI. A.C 1525.

Piſcarius occupatis hisce urbibus improvida Sfortiæ facilitate, qua ſeipſum ſpoliabat, inſolentior factus, tam importune inſtitit, ut inſuper Mediolani, & Cremonæ arces ſibi cedi peteret, ſimulque a Duce poſtularet, ut Angelum Rixium, & Politianum, quorum primus Sfortiæ, alter Morono a ſecretis erant, ſibi traderet, lata in eos ſententia puniendos, ſi rei invenirentur. Ad hæc repoſuit Sfortia, quod ſibi haud integrum foret duas hasce arces, quæ ſolæ ſibi ſupereſſent, alteri quam Cæſari tradere; cum ab hoc illas fidei ſuæ commiſſas accepiſſet, de cetero ajebat, ſe ſecuritatis literas petiturum, ut nomine ſuo Legatum ad Cæſarem in Hiſpanias mittere poſſet. His inſuper addidit, quod Rixii ſui a ſecretis Miniſtri præſentia indigeret, Politianum autem ideo retineret, ut comprobatum redderet, quod ipſo nec volente, nec ſciente Moronus, cum ſe ex graviſſimo morbo in extremum vitæ diſcrimen adductum cerneret, ementito Ducis nomine plura ediderit mandata. *Ant. de Vera hiſt. de Charles V. p. 125.*

Secul. XVI. A.C. 1525.

§. CXXI.

Mediolanenſes fidem ſuam Cæſari juramento obſtringentes.

Ant. de Vera loc. cit. p. 126.

Percepto Sfortiæ reſponſo Piſcarius, quæ clam moliebatur, aperte prodebat, ſtatimque Mediolanenſis Ducatus Ordines convocans, Sfortiam læſæ Majeſtatis reum pronunciabat, cives vero, ut fidem ſuam ſacramenti Religione Cæſari obſtringerent, compulit. Poſtmodum Cremonenſe caſtrum juxta militaris diſciplinæ Leges obſideri, arcem vero Mediolanenſem profunda foſſa cingi juſſit; hac ratione Cæſar Mediolanum occupandi adeo veroſimilem nanciſcebatur obtentum, ut nec Papa, nec Veneti hanc ob rem jure conqueri poſſent, cum Cæſaris eſſet, debita pœna Sfortiæ perfidiam plectere, eo quod conſpirationis conſcius idoneis teſtibus probaretur. Nihilominus ſummus Pontifex gravi in Piſcarium indignatione concepta, eundem ingratitudinis, fractæque fidei reum arguebat, eidem exprobrans, quod variis artibus alios ad ſua ſtudia eo fine pertrahere conaretur, ut illos nefarie proderet, ſimulque in ſummi Pontificis exitium eo potiſſimum tempore conjuraſſet, quo ab eodem perpetuam Beneventani Ducatus adminiſtrationem accepiſſet, quamvis tum inter

inter omnes Ecclesiæ ditiones nulla reditibus amplior esset. Sæcul. XVI. A.C. 1525.

§. CXXII.

Sfortia a Venetis in suo Ducatu defensus.

Præterea Veneti majori quam Pontifex, cura angebantur; hi enim, si concordiæ pactis, quæ Martinus Carracciolus apud Rempublicam Cæsaris Legatus erexerat, accederent, omnem recuperandæ libertatis spem sibi præcidi cernebant, si vero hanc pacem cum Cæsare rejicerent, merito verebantur, ne bellum ad continentem Reipublicæ ditionem extensum sustinere cogerentur; palam enim minitabatur Piscarius, se captis Mediolanensi & Cremonensi arcibus mox infesta Venetis arma illaturum. Nihilominus potius extrema quævis aggredi decreverant, quam ultra Austriacæ Domus imperium in Italia tolerare: quapropter de honesto, quo iniquum eorum consilium tegerent, obtentu parum solliciti, absque ambagibus Caracciolo aperiunt, fœdus, quod cum Cæsare a Venetis initum memorasset, eo duntaxat fine ictum fuisse, ut Sfortia in Ducatus Mediolanensis possessione firmaretur; huic vero armorum societati Cæsarem nunquam accessurum, se haud obscure ex eo colligere a-

Secul. XVI. A.C. 1525.

jebant, quod Ducem ditione sua exueret, proin nisi prius Sfortia in Ducatus sui jura reponeretur, nunquam se vires suas Cæsareis juncturos; nec ab hac conditione se aliquid remissuros declarabant.

§. CXXIII.

Papa fœderi accedere hæsitans.

Si Clemens Papa pari modo obfirmatum monstrasset animum, in graves angustias conjectus fuisset Imperator; ast ille nimia solertia usus in laqueos, quos non ita pridem evaserat, incidit. Agebat Madriti Salviatus Cardinalis Papæ Legatus, qui cum Cæsare de pace tractabat, cum tamen eodem tempore de conflando fœdere adversus Cæsarem cum Venetiarum ac Franciæ Legatis ageret. Hujus Legationis exitum sollicite expectabat Pontifex, cumque longior illius esset mora, diem præstituit, qua armorum societas cum Gallis, Venetisque concluderetur; sub idem vero tempus nuncium acceperat, fœdus itidem Madriti esse firmatum, vi cujus Cæsar consentiebat, ut Reggium & Rubiera Sedi Apostolicæ redderentur; hoc igitur nuncio lætus Imperatori adhærere constituit, nec ultra de fœdere cum Gallis ac Venetis mentionem fieri sustinebat.

§. CXXIV.

Sæcul. XVI. A. C. 1525.

§. CXXIV.

Fœderis pacta a Cæsare proposita Papæ judicio ambiguis verbis repleta.

Paulo post Ervera Ordinis Equestris Commendator hujus fœderis tabulas in Italiam detulit, easque ad Suessæ Ducem, qui Romæ pro Carolo V. legatione fungebatur, transmisit, ut illas summus Pontifex ratas haberet. His perlectis Clemens eas ambiguis, tamque dubiis verbis conceptas reperit, ut assensu suo illas firmare renueret. Equidem Imperator se Mediolanensem Ducatum Sfortiæ, si pristinæ restitueretur valetudini redditurum, aut si moreretur, illius possessionem Cæsareo diplomate Borbonio Duci asserturum spopondit: nihilominus Datarius, nomine *Giberti*, summo Pontifici significabat, quod vox: *moreretur*, ambigua esset, cum de morte civili æque ac naturali intelligi posset, ut proin nequidem violata promissi fide Cæsari integrum foret, Sfortiam instructis contra eum actis condemnare, & Borbonio Ducatum, quo Sfortiam spoliaverat, concedere.

§. CXXV.

Papa ab Hispano Legato circumventus.

Ipsemet Suessiæ Dux plurimum se mi-

Secul. XVI A.C. 1525

rari simulabat, quod fœderis conditiones ambiguis adeo verbis conscriptæ essent, id tamen ex industria minime factum constanter asseverabat, Pontifici etiam significans, pacta, ut sibi benevisum fuerit, libere conciperet, insuper fidem suam obstrinxit, se Cæsari persuasurum, ut huic fœderi infra bimestre subscriberet, dummodo vicissim Papa sponderet, se interea quiete permansurum, nec ullo pacto armorum societati cum Gallis, Venetisque sancitæ accessurum. Hæc Legatus tanta proposuit fiducia, ut Papa promissi amplitudine seductus cunctis conditionibus annueret, id licet dissuadentibus suorum amicorum non paucis, qui dolum subesse haud temere suspicabantur.

§. CXXVI.

Piscarii Marchionis obitus.

Paul. Jov. hist. Piscarii. Guicc l. 16. Ant de Vera p. 17. Mezerai abregé chro to. 4. p. 317.

Hæc Mense Novembri gesta fuere anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto, quo Mediolanensis Dux pristinæ restitutus erat valetudini: econtra vero Piscarius Marchio die vigesima nona ejusdem Mensis anno ætatis suæ trigesimo sexto Mediolani vivis ereptus est, non sine ingenti Venetorum commodo, qui abs dubio temeritatis suæ, qua coram Caracciolo se Cæsaris hostes declarabant, severas dedissent

sent pœnas. Ceterum rumor erat, Pis- Sæc. XVI.
carium veneno fuisse sublatum; paulo A. C. 1525.
ante mortem suam Moronum liberum dimitti jussit, verum Antonius de Leva ejusmodi mandatum flocci habuit. Corpus ejus Neapolim delatum est, ubi hodiedum ejus tumba ac sepulcralis inscriptio visitur.

§. CXXVII.

Borbonii Dux delato exercitus imperio in Italiam a Cæsare missus.

Imperator comperta Piscarii morte, quantocius Borbonium in Italiam contendere jussit, ut ibidem Cæsarei exercitus imperium susciperet; nec minus Cæsar eundem Mediolanensis Ducatus diplomate augere constituit: Ast Salviatus Cardinalis ei exposuit, sibi haud persuaderi posse, quod Itali Ducem, qui e gente eorum non esset, unquam toleraturi forent.

§. CXXVIII.

Cæsaris consilium de Borbonio in Mediolani Ducem creando.

Nihilominus Imperator, spreto Salviati consilio, Borbonio hæc significari jussit: „ Animo constitui, beneficia„ riam Mediolani possessionem tibi con-

Sæcul. XVI A.C. 1525

„ ferre, accedente Italorum consensu, „ quem vero cum ultro obtinere ab eis „ non valeam, invitis iis te Mediolani „ Ducem creabo; hanc ob rem cum „ Galliarum Rege de concordia agam; „ jam enim utriusque consensu cuncti „ pacis articuli fuerunt acceptati, ex- „ cepto illo, quo Franciscus I. Eleono- „ ram sororem meam ac Lusitaniæ Re- „ gis viduam in uxorem postulavit; e- „ quidem me minime latet, hanc tibi „ in sponsam fuisse promissam, nihilo- „ minus animo revolvas, in tuo con- „ sensu de Eleonoræ nuptiis cum Gal- „ liarum Rege ineundis pacis summam „ esse positam. „ Reposuit Borbonius Cæsari, „ privata mea commoda publi- „ cis minime præferenda scias, Augu- „ stissime Imperator, Regiæ, quam mi- „ hi gratiose spopondisti, affinitatis „ haud me dignum existimo, nisi eam „ amborum juxta ac totius orbis poten- „ tissimorum Principum reconciliatio- „ ni præponere velis, si tamen hæc ab „ illa omnino dependet, id vero unice „ instanterque rogo, ut nulla mora in Ita- „ liam tendere mihi permittas, ne nu- „ ptiis interesse compellar. „ Placuit Cæsari Borbonii obsequium, ac reddita gratiarum actione nonnisi diploma eodem die expediri jussit, quo eundem exercitus sui Ducem in Italia constituit;

in

in secretiori tamen Senatu decerni præcepit, ut quamprimum adversus Sfortiam judicii acta plene essent instructa, simul beneficiario nomine Mediolani Ducatum consequeretur, quamvis Cattinara Cancellarius æque ac Prorex nullatenus eidem assensu suo suffragarentur. Sæcul. XVI. A.C. 1525.

§. CXXIX.

Borbonii Dux in Italiam profectus.

Accepto Cæsaris mandato Borbonius rupta omni mora Barcinonem contendit, ut eo expeditius triremes, quibus in Italiam veheretur, instruerentur; decernebantur eodem tempore Franciæ Deputati, qui pactis de Francisci Galliarum Regis liberatione ultimam manum admoverent. Hæc cum interea agerentur, Galli cum Angliæ Rege fœdus pepigere. Committebatur grave hoc negotium sollicitudini Joannis de Brinon, Vilanæ, & Autelli Toparchæ supremi Rothomagensis Parlamenti Præsidis, necnon Joachimi Passani, quem Regina Regni Procuratrix plena agendi facultate muniebat; cum vero hæc nonnisi generalis esset, ipse autem speciali potestate indigeret pro decernenda solutione pecuniarum, quas Galliarum Rex Anglo debebat, idcirco ad ean- *Guicc. l.16.* Auteüil

Sæcul. XVI A.C 1525.

eandem die decima sexta Augusti nova mandata mittebantur. Tractabatur hoc negotium unacum Volsejo Cardinale, cujus opera Mooreæ, quæ est Regis Angliæ villa, die trigesima Mensis Augusti hoc anno quinque pacta fuere concluſa.

§. CXXX.

Pacta inter Angliæ Regem, & Francici Regni Administratricem firmata.

Primo pacto sanciebatur armorum societas Angliam inter & Franciam adversus omnes, qui alterutram invaderent, comprehensis etiam utriusque Fœderatis, dummodo nullam quam alterutri horum Regum eripuissent, ditionem possiderent a tempore, quo Londinense fœdus die secunda Octobris Anno milleſimo quingenteſimo decimo octavo firmatum fuit. Hac conditione excludebatur Imperator, qui nuper Mediolani Ducatum armis suis subegerat. Præterea Henricus spopondit, se captivi Galliarum Regis liberationem opera sua apud Cæsarem effecturum, pactis quibusdam, iisque honestis conditionibus.

Daniel hist. de France to. 5. p. 549 Du Rapin. Thoiras hist d'Angl. hom. 5. p. 207.

Alterum fœdus illam, quam Galliarum Rex Henrico debebat pecuniarum sum-

ſummam concernebat, variique hanc in rem revocabantur tractatus Annis milleſimo quingenteſimo decimo quinto, decimo octavo, & vigeſimo initi, præter aliud pactum circa reſtitutionem Tornacenſis urbis. Ceterum totius debiti ſumma aſcendebat ad duodeviginti centum nonaginta novem millia, & ſeptingentos triginta ſex nummos aureos, quorum quilibet triginta octo ſolidos Turonenſes valore ſuo exæquat. Sancitum itaque, ut hæc ſumma ſolutionibus ſucceſſive diverſis numeraretur, ac quadringenta ſeptem millia, & trecenti ſexaginta octo aurei quadrageſimo a firmato fœdere die, totidem vero ſtatim die prima Novembris, ac tandem usquedum debitum plene expungeretur, quolibet ſemeſtri æqualis ſumma penderetur. Inſuper ſtatuebatur, quod Henrico forte ante totam ſolutionem fatis cedente, reſidua adhuc ſumma ejus Hæredibus ac ſucceſſoribus ſolveretur, ſi vero vita ſuperſtes eſſet, inſuper eidem, non niſi tamen ad dies vitæ, centum aureorum millium penſio adjiciatur. Hunc articulum Regni Adminiſtratix jurata fide ac præſentibus Angliæ Legatis firmare compellebatur, eidem Franciſcus Rex mox, ubi in Gallias rediit, ſubſcripſit. Præterea datæ fidei Sponſores Henrico tradebantur

Sæcul. XVI. A.C. 1525

Sæcul. XVI. A. C. 1524.

tur Borbonius Cardinalis, Vindocinenſis & Longevillanus Duces, Mallevriarius, Briennus & S. Pauli Comites, nec non Monmorencius, Lautrecus & Prezæus. Oppignorabantur etiam urbes Pariſienſis, Lugdunenſis, Aurelianenſis, Toloſana, Ambianenſis & Burdegalenſis, præter Turonium, & Rhemos. Ægre admodum Regni Procuratrix alteri huic pacto aſſenſit, eoquod regno inde maximum onus accederet; annuit tamen, ſed Regis Miniſtri coram Parlamento adverſus hæc geſta Menſe Octobri palam ideo reclamabant, ut ſaltem horum oppoſitio Regi, ſi forte neceſſitas exigeret, utilis eſſe poſſet.

Tertio, Regni Adminiſtratrix Mariæ Henrici VIII. Sorori, & ſuperſtiti Ludovici XII. conjugi cuncta, quæ eidem ad uſumfructum ex bonis mariti ſui conceſſa, ac debita fuere, intercalatis ſolutionibus numerare jubebatur, ita, ut ſubſcripti fœderis die quinque aureorum millia, totidemque quolibet ſemeſtri ſolverentur, donec reſiduum debitum penitus expunctum eſſet. Præterea fides dabatur, ut ipſa deinceps portione ſibi relicta libere frui poſſet. Præter hæc in eodem articulo lis de utriusque Nationis commercio dirimebatur.

§. CXXXI.

Sæcul. XVI. A. C. 1525.

§. CXXXI.

Scotiæ negotia.

Quarto tractatu conventum, Regem Scotiæ inter Franciæ Fœderatos haud numerandum, nisi Scoti a vigesima quarta Decembris die adversus Angliæ Regem nil hostile molirentur. Quintum denique pactum præscribebat, ne Galliarum Rex ullo pacto permittat, ut Albaniæ Dux in Scotiam reverteretur, donec Jacobus V. pupillarem ætatem egressus esset. Postremo Regni Administratrix dato Chirographo sese obstrinxit, numeraturam se Cardinali Volsejo residuam pensionis suæ summam, quæ a quatuor omnino annis nunquam soluta ad triginta ferme aureorum millia ascendebat.

§. CXXXII.

Tractatus Mooresis utrinque firmatus.

Cunctos horum pactorum articulos Regni Gallici Administratrix ratos habuit, juratoque fide firmavit, nec minus eos itidem Parisiensis, Tolosanus, & Burdegalensis Senatus acceptarunt. Proceres quoque, necnon Magistratus urbium, quæ cautionem præstabant, promissi syngraphas tradiderunt. Denique ipsus etiam Franciscus Galliarum Rex,

Sæcul. XVI. A.C. 1525. Rex, quamvis adhuc in Hispania captus hæreret, pacta proprio chirographo subscripsit, suique consensus tabulas die vigesima septima Decembris datas in Angliam transmisit. Fœdere igitur ita concluso, atque utrinque firmato Regni Procuratrix animum erexit, ut majori cum fiducia de conditionibus transigeret, quibus Rex ejus filius in libertatem assereretur. Aliunde haud exigua spes affulgebat, fore, ut Rege Anglo Gallorum studiis addicto ipse etiam Papa, Venetique illis accederent, cum adversus Cæsarem fœdus inire hucusque solo metu absterriti fuissent.

§. CXXXIII.

Comitia Augustæ celebrata.

Die vigesima quarta Mensis Maji Cæsar ad primam Octobris diem Comitia Augustæ celebranda indixit, atque in convocationis diplomate exposuit, se quidem animo constituisse, ex Pontificis sententia Synodum congregare, cum vero hoc negotium longioris esset moræ, ac aliunde in potissimis Germaniæ Provinciis Wormatiense edictum effectui haud fuisse datum comperisset, necnon plurimæ turbæ ac dissidia inter ipsos Principes, ac S. R. Imperii status essent suborta, & Turcæ quo-

quoque invasionem in Germaniam molirentur, hinc inferebat, quod perpensis hisce rationibus comitia convocare, peropportunum esset consilium, ut in illis de remedio tot malis opponendo deliberaretur. Ast hic Principum conventus præfixo tempore haberi non poterat, quocirca illum ad S. Martini festum differre oportebat; nihilominus Principum pauciſſimis ob rusticorum seditionem Augustam confluentibus, comitia ad primam Maji diem anni sequentis Spiræ celebranda indicebantur. Sæcul. XVI. A.C. 1525.

§. CXXXIV.

Induciæ inter Anglos, & Scotos prorogatæ.

In Scotia Angusanus Comes Regni administrationem, quam sibi non nisi ad quadriennium creditam habuit, adeo in rem suam vertebat, ut illam evoluto etiam hoc temporis spatio dimittere renueret. Hujus ambitio tantopere Argilam Comitem offendit, ut indignatione commotus aula excederet, Lenonius vero Comes, quamvis non minus eidem infensus esset, inde tamen non recessit. Regina æque ac Aranus Comes comperto Lenonii odio cum eo fœdus pangere moliuntur, eumque in-

Secul. XVI. A. C. 1525

ducunt, ut Regi inſpiraret generoſum ſeſe e manibus Anguſani Comitis eripiendi deſiderium, quamvis tamen is hoc propoſitum nonniſi anno ſequenti effectui dare poſſet.

Ceterum Scotiæ Proceres ſolemnem in Angliam decernebant legationem, cujus caput erat Caſſilis Comes, qui Regis nuptias cum Maria Angliæ Regis Filia conciliaret. Obſtabant tamen haud leves hinc inde difficultates, ob quas induciæ protrahebantur, ut Comes opportunum nanciſceretur temporis ſpatium, quo in Scotiam proficiſci, ibique nova mandata accipere poſſet. Nihilominus hac in re concluſum nihil; ſat enim vero ſimile eſt, quod Henricus haſce filiæ ſuæ unicæ, Regnique Hæredis nuptias cum Rege Scotiæ haud acceptas habuerit, præſertim cum vix ullum commodum ex ejusmodi connubio perciperet, ac eo tempore nil propius eſſet, quam ut fœdus cum Gallis iniret; hinc Scotorum opem parum curaſſe videtur.

INDEX

INDEX
TOMI XXXIV.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
CONTINUATÆ.

A.

Abbatiæ S. Benedicti & S. Euortii vacant; lis inde exorta. Pag. 542. 551.

Absolutio, Lutheri errores circa illum 47.

Achmetes Turcici exercitus Dux Rhodum Insulam obsidet 226. obsidionem strenue promovet 230.

Adrianus Florentius, Cardinalis, Dertusæ Episcopus, Cæsar clam ejus electionem ad Pontificatum agitat 153. eligitur Pontifex unanimi omnium suffragio 154. novi Pontificis vita 156. nomen suum non mutat, sed Adrianus VI. vocatur 157.

157. populo Romano ejus electio parum grata accidit 158. ex Hiſpania in Italiam venire feſtinat 176. Genuam proficiſcitur 207. Franciſco Sfortiæ aliisque ob Genuæ deprædationem veniam dare recuſat 208. Romam ingreditur 209. coronatur. *Ibid.* morum emendationi adlaborat 210. a quæſtus ſtudio omnino ſe alienum demonſtrat 211. quosdam Principes in gratiam recipit 212. Fridericum Saxoniæ Electorem admonet, ne Luthero faveret 240. Cheregatum ad comitia Norimbergenſia tanquam Sedis Apoſtolicæ Legatum decernit 243. eundem mandatis ibidem proponendis inſtruit 243. hanc in rem ad Electores, & Imperii Ordines ſcribit 247. Legatum in Sueciam mittit 304. S. Bennonem in Cœlitum album refert 310. S. Antoninum Sanctorum faſtis inſcribit 313. Carolum V. Imperatorem privilegiis auget 314. , cum Cæſare armorum ſocietatem contra Lutheri aſſeclas init 315. Principes Chriſtianos ad pacem vel ſaltem ad inducias permovere ſatagit 316. Soderinum Cardinalem ob perduellionis crimen comprehendi jubet 317. inducias ſuadet 322. fœderi contra Gallos inito accedit 323. Rhodienſes Equites, ne a ſui Ordinis Magiſtro diſcederent, jubet 349. ſupremum Magiſtrum perbenigne exci-

excipit 350. eundem ad alloquium admittit 351. 352. morbo corripitur 351. unicum Cardinalem creat 353. moritur 354. ejus elogium 355. ejusdem libri 357.

Æthiopiæ Rex cum Lusitaniæ Rege fœdus init 112.

Albæ Dux Galliarum Regem captum ad libertatem suam lytro redimendam cogendum suadet 560.

Albretus, eum in suum Regnum reponere, tentat Galliarum Rex 84. inde iterum expellitur 86.

Aleander Papæ nuntius Lutherum anathemate percelli suadet 1. ex ejus libris quadraginta propositiones extrahit 3. contra illum in comitiis Wormatiensibus perorat 4. Lutherum ad comitia vocari non vult 6. Papam de Lutheri raptu certiorem facit 27. vitæ periculum subit 28.

Alensonia Ducissa capti Francisci I. Galliarum Regis Soror fratris sui libertatem obtinere frustra nititur 565. 566.

Alphonsus Ferrariæ Dux in Papæ gratiam redit 213.

Amaraldus Adrianus Rhodius Eques ac Ordinis Cancellarius de tradenda Rhodo cum Turcis conspirat 214. miserum In-

sulæ statum Solimano detegit 226. ejus perfidia detegitur 227. judicii acta adversus eum instruuntur 228. crimen pernegat 228. convictus capite plectitur 229. sine pœnitentiæ signo moritur. pag. 230.

Anabaptistæ, historia de earum secta 281. illorum errores 282. 441. eorum Coriphæi Wittemberga expelluntur 282. eorum secta apud Helvetios ab Hubmaejero divulgatur 444.

Andreas Ferrariensis Augustinianus Mediolanenses in Gallos concitat 125.

Angli Picardiam invadunt 204. Hedenæ obsidionem solvunt 205. Picardiam invadunt 345. iterum recedunt 346.

S. Antoninus ab Adriano VI. Sanctorum catalogo inscribitur 313.

Argentinenses Sacerdotes connubii ineundi libertatem petunt 420. a Senatu eam obtinent 421.

Armellinus Franciscus Cardinalis, ejus mors, & vitæ historia 29.

Arx S. Angeli Laudam inter & Papiam a Cæsareis expugnatur 527.

Asparrus totum ferme Navarræ Regnum occupat 85. capitur 87.

Augustana comitia a Carolo V. indicta 592.

B.

Bacocius Thomas Cardinalis, ejus gesta & obitus 130.

Bajardus Eques Maceriacam urbem Cæsareis dedere cogitur 99. a Piscario cæsus 457. trucidatur 462.

Bajona incassum ab Hispanis obsessa pag. 342.

Beda Natalis Universitatis Parisinæ Syndicus quasdam propositiones damnari petit 141. contra Apologiam Jacobi Merlini per Origene concinnatam scribit 400. Erasmi paraphrases, totamque ejus doctrinam damnat 500.

Belgium a Gallis invaditur 101.

Belgradum a Solimano Turcarum Imperatore expugnatur 137. Sacræ Reliquiæ Constantinopolim translatæ, sed rursus Belgradum missæ 138.

Benedictinorum Abbatia ad Ligerim, mortuo Abbate circa Successorem lis exoritur 542. Religiosi inique suis bonis atque eligendi libertate privantur. pag. 543. 545.

Benno S. ab Adriano VI. inter Cælites annumeratur 310.

Berquinus Ludovicus hæresis accusatur 385. ejus libri a Parlamento Parisiensi sup-

primuntur 386. hæc cauſſa ad Facultatem Theologicam 386. poſtea ad Pariſienſem Epiſcopum devolvitur 388. Rex hunc Auctorem e carcere dimitti jubet 389. Berquinus ſuas hæreſes abjurat. *ibid.* Facultas Theologica queritur, quod Epiſcopi in cauſſa Berquini jurisdictionem ſuam exercere fuerint prohibiti 399.

Biblia Polonice reddita, ac Socinianæ translationi oppoſita 170. utiles ſunt genuinæ verſiones ad confutandos hæreticos 171.

Bicoca, fœderati ibidem caſtra metantur 186. Gallos cædunt 190.

Bohemi, Lutherus eos a Pontificis obſequio avellere nititur 165.

Bonivetus Mareſcallus Fontem rapidum occupat 103. in Italiam mittitur 339. e Mediolanenſi Ducatu auffugere compellitur 341. fœderatis reſiſtendo impar 458. 459. a Cæſareis profligatur 460. vulneratur 461. Regi male conſulit 575. 480. 523. eidem ſuadet, ne oblatas inducias acceptaret 485. occiditur in prælio 534.

Bornoſſus Arnoldus Ordinis FF. Eremitarum S. Auguſtini, propoſitiones erroneas de Sacramento Pœnitentiæ tradit 383.

Borbonius Dux Franciæ Conneſtabilis Gallis indignatur 326. a Ludovica Regis Matre divexatur ob ſpretas nuptias 327. 328. a Rege exercitus imperio exuitur 327. 329. pacta cum Cæſare contra Franciæ Regem init 330. clandeſtina ejus conſilia Regi deteguntur 331. a Rege inviſitur 332. crimen ſuum fatetur 334. Regi illudit 337. auffugit, plures vero ejus amici capiuntur 336. in Italiam venit 337. Cæſarei exercitus Dux nominatur 338. fœderis articulis adverſatur 469. ſe a Cæſare offenſum exiſtimat 471. Maſſiliam obſidet 471. inde profugit 473. recentes copias Cæſareis adducit 484. copias ſuas ad pugnam excitat 522. Gallos ingenti clade proſternit 534. Galliarum Regem libertati reſtituere ſtatuit 561. in Cæſarem conſpirat 561. in Hiſpaniam proficiſcitur 569. Cæſarei exercitus Dux in Italia conſtituitur 585. inaugurationis diploma pro Mediolanenſi Ducatu ei a Cæſare offertur 585. in Italiam contendit 587.

Bulla quæ incipit *in Cœna Domini*, Lutherus edito libello illam impugnat 168.

C.

Cajetanus Thienæus ad reſtaurandam morum diſciplinam a Papa ſeligitur 210.

Ordinis Theatini auctor 492. vota Religionis nuncupat 493.

Caletum, ibidem colloquium habetur circa diffidia inter Carolum V. & Franciscum I. 97. effectu caret 98.

Campegius Cardinalis a Papa Legatus ad Norimbergenſia comitia ablegatur 405. ejus elogium 406. mandata eidem a Pontifice data 406. ad comitia venit 407. Papæ literas ad Saxoniæ Ducem mittit 409. orationem in conventu habet 410. Religionem & bellum contra Turcas cordi habere rogat 412. Principes ad Legati orationem reſpondent 414. centum eorum gravamina eidem tradunt 414. hac ſuper re Legatus Principibus reſpondet. *ibid.* varias moleſtias ei Principes creant 413. 418. 420. 422. contra Norimbergenſe edictum reclamat 424. pro Cleri emendatione quosdam articulos proponit 424. 425. hi itidem Principibus non arrident 429.

Captivitas Babylonica. Lutheri liber ſub hoc titulo damnatur a Sorbonæ Doctoribus. pag. 37.

Caraffa ad reſtaurandam morum diſciplinam ſeligitur 210. Ordinis Theatini Auctor 492. vota Religionis emittit 493.

Cardi-

Cardinales Sede vacante Romæ quosdam Miniſtros eligunt 146. Conclave ingredi renuunt, niſi prius liberato Ferrerio Cardinale 148. conclave ingrediuntur 149. Unicus ab Adriano VI. creatur. 353. Cardinales conclave ingrediuntur 358.

Carlſtadius tumultus Wittembergæ excitat 161. diſſidia fovet cum Luthero, eoquod ſe novum Doctorem nominaret 162. 163. præſentiam Chriſti realem in Euchariſtia impugnat 164. nuptias contrahit ſacrilegas 165. ejus diſſidia cum Luthero 435. ejus errores 436. capitalem inimicitiam fovet contra Lutherum 437. eidem imprecatur 439. a Luthero ad edendum librum provocatur 438. librum ſcribit contra Lutherum 440. e Saxonia & Argentina pellitur 440. ejus libri ab Argentinenſibus prohibentur 441.

Carolus V. Imperator, adverſus Lutherum Wormatiæ comitia indicit 3. eundem accerſiri jubet 5. eidem publicæ fidei literas dat 6. ad eundem literas mittit 7. contra illum ad Ordines Imperii ſcribit 18. eundem carceri dandum ſuadet 19. edictum Wormatiæ contra illum edit 29. Franciſcum I. Galliarum Regem bello invadere parat 82. inaugurationis

tionis diploma pro Neapolis Regno a Papa petit 82. conjuratio in Cæsarem mota 84. a Roberto de la Marck ex Galliarum Regis instigatione invaditur 87. ab eodem ad pugnam provocatur 88. a Galliarum Rege studiose vexatur 89. fœdus contra Cæsarem Papa & Galliarum Rex ineunt 90. 91. merito Imperator contra Regem queritur 92. bellum inchoat contra eum 95. victor in Belgio existit 95. Musomum & Maceriacam obsidet, capitque 98. 99. in Angliam navigat, & cum Henrico VIII. fœdus pangit 175. in Hispaniam redit 176. conjuratis clementer veniam impertitur 177. fœderatos adjuvat 178. Picardiam & Campaniam invadit 204. ad Episcopatus nominandi privilegium a Papa obtinet 314. bellum contra Lutherum adornat 315. Borbonius relictis Gallorum studiis Cæsaris partes sequitur 330. pacta utriusque erecta. *ibid.* Imperator promissa se adimpleturum spondet 338. Cæsarei exercitus Dux Conneſtabilis nominatur 339. Norimbergense decretum reprobat 430. Gallos profligat 460. & seq. fœdus cum Angliæ Rege adversus eos sancit 466. ad pacem a Papa admonetur 466. fœderis pacta contra Gallos init 467. dissensionem habet cum Lusitaniæ Rege circa Molluc-

Molluccenſes Inſulas 497. Pontifici indignatur 513. ejus claſſis diſpergitur 516. Cæſareorum victoriæ 526. Gallos extrema clade profligat 534. ipſum Regem capit 535. Veneti adverſus Cæſarem fœdus ineunt 555. Cæſar de victoria contra Gallos parta certior factus 558. ejus modeſtia. *ibid.* quid cum capto Galliarum Rege agendum deliberat 559. conditiones Regi pro ejus libertate proponit 560. 566. 567. captum Regem inviſit, ac ſolatur 563. propoſitis fœderis articulis obluctatur 570. inaugurationis diploma pro Mediolanenſi Ducatu Franciſco Sfortiæ concedit 571. fœdus contra Cæſarem initur 572. 575. Carolus Imperator de conſpiratione edocetur 576. 577. Piſcario præcipit, ut Ducatum Mediolanenſem occupet 577. eundem Ducatum ſibi ſubjicit 580. Borbonio Duci exercitus ſui imperium in Italia committit 585. eidem Ducatus Mediolanenſis inveſtituram promittit *ibid.*

Carvajallus Bernardinus Cardinalis moritur 372.

Caſtillonæus Mareſcallus Cæſareos aggredi ſuadet 103.

Catharina de Bore e monaſterio ſuo auffugit 279.

Cattina-

Cattinara vide *Gattinara.*

Chabannius Mareſcallus in Cæſareos irruere fruſtra Regi ſuadet 102. Fontarbiam obſidione liberat 203.

Cheregatus Papæ Nuntius ad comitia Norimbergenſia deputatus 243. mandata eidem data ibi proponere jubetur 243. Norimbergam venit 252. ejusdem rationes a Principibus eluduntur 253. ipſe rationes Principum confutat 259. ejus reſponſum Principibus diſplicet 262.

Chriſtiernus II. Daniæ Rex Regno pellitur 300. templa ſpoliat. *ibid.* in nauffragio cuncta ablata amittit 301.

Claudia Franciſci I. Galliarum Regis uxor moritur 474.

Clemens VII. Papa, antea Medicæus, nunc Clemens dictus 364. vitæ ſuæ hiſtoria 365. Rhodios Equites potenter tuetur 367. coronatur 368. tranquillum illius regimen 369. ad comitia Norimbergenſia Campegium Cardinalem Legatum decernit 405. eundem mandatis inſtruit 406. literas illi ad Saxoniæ Electorem tradit 408. ab Eraſmo literas accipit 447. Cardinalium Senatum circa Germaniæ negotia convocat 455. agitur de convocando Concilio 456. Cæſarem & Angliæ Regem fruſtra ad pacem hortatur

tatur 466. inducias Cæsarem inter & Franciæ Regem conciliare nititur 485. secreta fœderis pacta cum Galliarum Rege firmat 486. falso accusatur, quod eidem Neapolitanam expeditionem suasisset 487. 489. Ordinem Theatinorum approbat 491. Viros Apostolicos in Mexicum mittit 495. Jubilæum indicit 499. ob fœdus cum Galliarum Rege initum Cæsaris indignationem incurrit 513. hoc fœdus a Cæsare ratum non habetur 570. Cæsari indignatur 580. ejus anxietas 581. Cæsaris promissa æquivocationibus scatere existimat 583. ab Hispaniæ Legato decipitur 583.

Clericus Joannes hæreticus fustigationis pœna mulctatur 307. tanquam primus Lutheranæ Sectæ Martyr a Beza proclamatur 308.

Clichtoveus, ejus propositiones damnantur 141. 142.

Cochlæus Lutherum ad revocandos errores sollicitat 20.

Colle Bonifacius Ordinis Theatini Auctor 492. vota solemnia nuncupat 493.

Columna Pompejus Cardinalis ad Pontificatum adspirat 359.

Columna Prosper Pontificii exercitus Dux Parmam cingit 113. obsidionem solvit

vit 114. Gallos cædit 188. moritur 338.

Combotus, ejus propoſitiones de juribus Epiſcoporum damnantur 501.

Comenſis urbs a Cæſareis capitur 121. a fœderatis expugnatur 193.

Comitia Wormatiæ contra Lutherum indicta 3. Norimbergenſia 242. ad ea accedit Campegius a Papa miſſus 405. Ratisbonenſia pro emendatione Cleri 424. 425. Spirenſia 433. Auguſtana a Cæſare convocata 592.

Conceptio B. V. M. eam Lutherus impugnat 44.

Concilia Generalia a Luthero impugnantur 20. 65.

Concordatum, lis illius occaſione circa Regiam nominationem exoritur 541. 542. Parlamentum ſeſe opponit 548. 549.

Conclave pro electione Adriani VI. 149. pro electione Clementis VII. 358.

Confœderati plures urbes Gallis eripiunt 120. 122. 193. eorum exercitus mortuo Leone X. Papa diſſipatur 124. 178. a Mediolanenſibus pecunias accipiunt 317. Venetos a Gallorum ſtudiis avocare moliuntur 319. fœdus contra Gallos ineunt 322. huic etiam Papa accedit 373.

Confeſſio

Confessio, Lutheri errores circa illam 44. 46. 47.

Connestabilis, vide *Borbonius*.

Consilia Evangelica a Luthero rejiciuntur pag. 54.

Consiliarius Paulus Ordinis Theatini auctor, atque Ecclesiasticæ disciplinæ restaurator 492. sua vota emittit 493.

Constantinopolis, ingens schisma in hac Ecclesia exoritur ob tributum Solimano præstandum 371.

Conti seu de Comitibus, ejus obitus 129.

Contritio, Lutheri errores circa illam 44.

Coppus Leonardus, novem Moniales ex suo monasterio abducit 278. hunc raptorem Martinus Lutherus sacrilege deprædicat 279.

Cornarius Cardinalis moritur 510.

Cremona pactis conditionibus a fœderatis expugnatur 193.

Croy, ejus inimicitia cum Aimerio 87. Guilielmi Cardinalis obitus 128.

D.

Dania Lutheri secta inficitur 300. 301.

David vide *Æthiopiæ Rex*.

Diez Blasius Rhodiensis Cancellarii famulus proditionis conscius 227. laqueo suspenditur 229.

Dionysius Areopagita, a Luthero vilipenditur 62.

E.

Eckius Lutherum ad revocandos errores sollicitat 10. 12. 20.

Emanuel Lusitaniæ Rex cum Æthiopiæ Rege fœdus inire meditatur 112. eidem Viros doctos submittit 113. moritur 126. ejus elogium 127. Joannes III. ejus Filius Regni successor 127.

Emserus Germanam Novi Testamenti translationem a Luthero concinnatam impugnat 169.

Enkenwordius Guilielmus ab Adriano VI. ante ejus mortem Cardinalis creatur 353. mortuo Pontifici monumentum erigi curat 358.

Episcopi Germaniæ a Luthero convitiis petulanter proscinduntur 166. propositiones contra eorum jura damnantur 501.

Equites Rhodienses vide *Rhodus*.

Erasmus Rotterodamus, ei summopere insana Lutheri rabies displicet 73. ad Clementem VII. Papam scribit, seque Catholi-

tholicum profitetur 447. a Melanchtone ad hæresin sollicitatur 449. eidem suos errores exprobrat 450. tractatum scribit de libero arbitrio contra Lutherum 452. suam paraphrasin in novum testamentum perficit 499. hoc opus acriter impugnatur 500.

Esparrus vide *Asparrus.*

Eucharistia, Lutheri errores circa illam 39. 50.

F.

Facultas vide *Universitas.*

Fanatici in Longobardia, eorum errores 308.

Ferdinandus Romanorum Rex edictum contra rebelles Ecclesiæ promulgat 242.

Ferrariæ Dux Reggium Sedi Apostolicæ restituit 369. cum Galliarum Rege fœdus init 515.

Ferrerius Cardinalis a Prospero Columna captus 148. Cardinales conclave ingredi recusant, nisi prius ipse liber dimitteretur. *ibid.*

Fliscus Nicolaus Cardinalis moritur 509.

Fœderati vide *Confœderati.*

Fontarbia ab Hispanis obsidetur 202. obsi-

dione liberatur 203. rursus incassum expugnatur 343.

Francia nova a Joanne Verrezano Florentino detegitur 496.

Franciscus I. Galliarum Rex, bellum contra Cæsarem parat 82. Navarræ Regnum recuperare frustra nititur 84. regno expellitur 86. Robertum de la Marck in Cæsarem concitat 87. dissidia studiose suscitare quærit 88. dolose pacem cum Cæsare inire simulat 89. cum Papa fœdus pangere statuit 90. 91. ejus querelæ contra Cæsarem 93. 94. bellum inchoat contra eundem 95. apud Henricum Angliæ Regem frustra contra Cæsarem queritur 96. pacis colloquium instituit cum Cæsare 97. Cæsareos profligandi occasionem negligit 102. 116. 324. 479. ejus exercitus in Italia ad miserum statum redigitur 104. ob suorum cladem vehementer affligitur 196. miserum exercitus sui statum a Lautreco edocetur 197. contra Gallos fœdus initur 322. fœderatos profligandi occasionem negligit 314. Borbonium Connestabilem vexat 329. de ejusdem secretis consiliis cum Cæsare habitis admonetur 332. eundem per clementiæ viam ad officium redigere satagit 332. eum invisit 333. eidemque satisfieri promit-

tit

tit 333. ab eodem deluditur 335. plures Conneſtabilis amicos capi jubet 336. mota in Galliis conjuratione in Italiam ire renuit 339. eo Bonivetum ablegat 340. ingenti terrore percellitur ob Angliæ Regis exercitum Pariſienſi urbi vicinum 346. Maſſiliam obſidione liberat 472. Cæſareos inſequi aggreditur 475. Mediolanum verſus cum ſuo exercitu procedit 476. Mediolanum ingreditur 481. Papiæ obſidionem inchoat 482. irrito conatu Ticinum flumen ab urbe deflectere molitur 483. ſecreta fœderis pacta cum ſummo Pontifice firmat 486. exercitus ſui partem inconſulto ad Neapolis Regnum tranſmittit 488. aliud agmen Savonam verſus ab exercitu avellit 490. cum Ferrariæ Duce fœdus init 515. Papiæ obſidionem continuare ſtatuit 523. ingenti clade afficitur 534. a Cæſareis captus abſtrahitur 535. Borbonio gladium ſuum tradere renuit 535. ſe Lanoyo Proregi captum tradit 536. ab eodem comiter habetur 537. totus ejus exercitus profligatur 538. occiſorum & captivorum numerus 539. Rex licet captus, ab Hiſpanis tamen & Germanis benigne habetur 540. pro obtinenda libertate eidem conditiones proponuntur 560. Rex eas acceptare renuit 561. in Hiſpaniam ire ſtatuit 562.

ibidem ſine ullis honorum ſignificationibus excipitur 563. morbo corripitur. *ibid.* a Cæſare officioſe inviſitur. *ibid.* ſanitati reſtituitur 565. ejus Soror pro illius liberatione agit 565. duæ viæ pro obtinenda libertate proponuntur 566. conditiones a Cattinara propoſitæ 567. circa ejus liberationem fœdus initur inter Angliæ Regem, & Franciæ Adminiſtratricem 588. hoc fœdus firmatur 591.

Frangettus Fontarabiam Hiſpanis tradit 343. nobilitatis honoribus ſpoliatur 344.

Fridericus Holſatiæ Dux Chriſtierno II. Daniæ Regi ſubrogatur 300. Lutheri ſectam in Daniam introducit 301.

Fridericus Saxoniæ Elector Lutherum defendit 5. eum ſtudioſe Wartembergam abduci jubet 26. Miſſas abrogare tentat 77. a ſummo Pontifice rogatur, ne Luthero faveret 240. Anabaptiſtas e ditione ſua expellit 284. ad tuendam fidem Catholicam a Papa admonetur 409. Carolſtadium e Saxonia pellit. 440.

Fürſtenbergius Bellidux profligatur 344.

G.

Galli ab Hiſpanis cæduntur, & Navarræ Regno pelluntur 86. in Belgio victoriam reportant 101. ad miſerum ſtatum in Italia rediguntur 104. eorum exercitus ſexdecim Helvetiorum millibus augetur 179. a fœderatis profligatur 189. 195. cæduntur 460. & *ſeq.* accepta clade in Franciam reverti coguntur 465. Mediolano pelluntur 466. Cæſareos inſequi negligunt 479. eorum exercitus plurimum imminuitur 524. ingenti clade proſternitur 534.

Cattinara Cancellarius Calletum mittitur pro concilianda pace inter Carolum V. & Franciſcum I. 97. Galliarum Regem captum in perpetuam cuſtodiam eſſe conjiciendum ſuadet 560. alias libertatis obtinendæ vias proponit 567.

Genua a Fœderatis expugnatur 194.

Georgius Saxoniæ Dux Luthero ſe opponit 172. 174.

Germani Principes a Papa rogantur, ne Luthero faverent 247. rationes Nuntii Apoſtolici eludunt 253. Nuntio obluctantur 262. centum gravamina proponunt 262. ad propoſitiones Campegii Cardinalis reſpondent 413. Deputatos

nominant, qui cum Cardinale agant. pag. 418.

Gonzaga arcem S. Angeli Cæsareis tradit 527.

Gouffier Adrianus Cardinalis moritur 376.

Grassi Achilles Cardinalis, ejus obitus & gesta 379.

Gravamina centum contra Papam a Germana Natione proponuntur 264.

Grimanus Cardinalis ejus integritas 152. moritur 377.

Grisones, apud eos seditio concitatur cum magno Gallicarum rerum dispendio 525. a Gallico exercitu recedunt 526.

Guicciardinus Mediolanensibus opem fert 106. cum Gallis pacis colloquium habet 107.

Guisius Fürstenbergium in Burgundia profligat 344.

Gustavus Ericon Sueciæ Rex Lutheri sectam introducit 301. Christiernum expellit 302. hoc regnum hæreditarium efficit 303. Monasteriorum bonis pellectus Lutheri hæresin introducit 303. publice a Romanæ Ecclesiæ fide deficit 305. palam Lutheri sectam in Regno propagat 434. Ecclesias spoliat 435.

H.

Hæretici juxta Lutherum non sunt igne plectendi 58. in Francia & Belgio castigantur 306. 307.

Hedena obsidione liberatur 205.

Helvetii Cæsari opem ferunt 117. a Gallorum exercitu recedunt 118. mortuo Leone X. in patriam revertuntur 124. sese Gallis jungunt 179. eisdem non obtemperant 183. contra eos seditionem movent 187. Gallos ad prælium ineundum cogunt 188. eorum clades 189. ad suam patriam revertuntur 192. anabaptistarum hæresi inficiuntur 444. a Gallorum exercitu recedunt 532.

Henricus VIII. libellum de Sacramentis contra Lutherum scribit 64. 65. ejusdem liber summo Pontifici offertur 69, titulo *Defensoris fidei* a Papa decoratur 70. a Luthero indignissime habetur 72. pacem inter Cæsarem & Galliarum Regem conciliare nititur 89. 92. 96. 97. 98. novi testamenti versionem a Luthero factam reprobat 172. cum Carolo V. Cæsare fœdus pangit 175. Picardiam invadit 345. Parisienses ingenti terrore afficit 346. fœdus cum Cæsare contra Gallos sancit 466. 467. a Papa ad pa-

cem admonetur 466. fœdus cum Franciæ Administratrice firmat 588.

Hiſpani Gallos profligant 86. Fontem rapidum obſident 202, obſidionem ſolvere compelluntur 203. Bajonam incaſſum obſident 342. Fontarabiam expugnant 343.

Hubmeierus Anabaptiſtarum ſectam apud Helvetios divulgat 444. illuſoria ejusdem palinodia 446.

I.

Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus Sacras Reliquias a Solimano ablatas pecunia redimit 138. a quibusdam ſeditioſis Clericis Patriarchatu pellitur 371, iterum reſtituitur 372.

Imagines ſacræ a Zwinglio rejiciuntur 294. 297.

Immunitas Eccleſiaſtica, eam impugnat Lutherus 59.

Indulgentiarum abuſus per Papam tolluntur 211.

Joannes III. Luſitaniæ Rex Emanueli Patri ſuo ſuccedit 127. in corpus S. Thomæ Apoſtoli inquiri jubet 370. illud etiam in arca lapidea reperitur. *ibid.* diſſenſio-

sensionem habet cum Cæsare ob Moluccas Insulas 479.

Joannitius Sozopolitanus Episcopus in Constantinopolitanum Patriarchatum intruditur 371, rursus expellitur 372.

Ismael, vide *Sophus*.

Jubilæum, ejus initium pro anno 1525. p. 499.

K.

Kollin Conradus Ord. FF. Prædicatorum Lutherum confutat 278.

L.

Lanoyus Carolus Neapolis Prorex Pontifici persuadet, ut fœderi contra Gallos nomen daret 323. Mediolanensem Ducatum strenue propugnat 478. se recipit 479. Papiensibus obsessis pecuniarum subsidia per stratagema infert 519. Hispani acceptis subsidiis placantur, Germani vero ad seditionem propensi videntur 520. 521. Galliarum Regem prælio devictum, captumque abducit 535. eum in Hispanias deducere statuit 562.

Latomus a Luthero impugnatur 74.

Lauda urbs a fœderatis expugnatur 193.

Lautrecus Mediolano discedit 104. absque pecuniis redire compellitur 109. omnium Nobilium invidiam sibi accersit 111. Pallavicinum capite plecti jubet, ejusque bona ex avaritia sibi vendicat 112. fœderatos profligandi occasionem negligit 116. Mediolanum auffugere cogitur 119. 180. Papiæ obsidionem solvere compellitur 184. submissas pecunias ei surripiunt fœderati 186. a fœderatis cæsus 187. illatæ cladis culpa ei imputatur 198. minus benigne a Rege excipitur 199. culpam diluit 200.

Leo X. Lutherum anathemate percellit 1. de Lutheri raptu edocetur 27. Henrici VIII. librum de Sacramentis recipit 69. Regem titulo *Defensoris fidei* honorat 70. Cæsari inaugurationis diploma pro Neapolis Regno concedit 82. falso dissidii inter Carolum V. & Franciscum I. causa fuisse dicitur 83. a Galliarum Rege ad fœdus contra Cæsarem inducitur 90. 91. fœderis pacta 91. Gallis Ecclesiæ ditiones invadentibus indignatur 108. ob fœdus inter Lusitaniæ & Æthiopiæ Reges lætatur 113. Mediolanensem Ducatum invadit 115. moritur 123. ejus elogium 124. post ejus mortem fœderatorum exercitus dissipatur 124.

Lescunus Mediolanenses profligat 106. pacis colloquium cum Guicciardino Reggii habet 107.

Leva Antonius Papiæ Gubernator, dum Franciscus I. urbem obsidet 482.

Lex, Lutherus leges Ecclesiasticas contemnit 41.

Liberum arbitrium a Luthero impugnatur 59. ab Erasmo propugnatur 452.

Liturgia nova a Luthero excogitata 273.

Ludovica Franciæ Regina bellici ærarii Præfectum falso accusat, eumque mortis supplicio plecti jubet 201. 202. Borbonium Conneſtabilem ob spretas nuptias dire divexat 328. circa eliminandam hæresin consulit Facultatem Theologicam 397. ad quasdam Ecclesias vacantes nominat 541. 545.

Ludovicus Palatinus Elector Lutherum includi diffuadet 19.

Lutherus a Leone X. per novam bullam excommunicatur 1. contra eum Aleander perorat. 4. a Saxoniæ Electore defenditur 5. ad comitia Wormatiensia citatur 7. a Cæsare publicæ fidei literas accipit. *ibid.* Wittemberga Wormatiam proficiscitur 8. contra Cæsaris præceptum concionatur, datamque fidem

dem violat 8. contra pias actiones declamat 9. ſuadentibus, ne Wormatiam iret, obluctatur 9. interrogatur de ejus libris 10. ad revocandos ſuos errores ſollicitatur 10. reſpondere renuit 11. iterum interrogatur, *ibid.* ſe libros divulgaſſe fatetur 12. hæreſin ſuam revocare recuſat 15. 16. 17. contra eum Imperator ad Principes ſcribit 18. Concilia Generalia Lutherus damnat 20. 22. quasdam conditiones ei Trevirenſis Archiepiſcopus proponit 33. ſuam pertinaciam datis ad Cæſarem literis excuſat 25. in itinere raptus ad Wartembergenſe caſtrum abducitur 26. de ejus fuga varii rumores ſparguntur 27. ad revocandos errores per Cæſaris edictum urgetur 29. a Facultate Theologica Pariſienſi quædam ejusdem propoſitiones damnantur 34. ab Henrico VIII. ejus errores confutantur 64. contra Regem & Pariſienſem Facultatem impudenter debacchatur 70. a Melanchtone defenditur 71. contra Angliæ Regem proterve ſcribit 72. ejusdem rabies ipſi etiam Melanchtoni diſplicet 73. varios edit libellos 74. Latomum impugnat 74. cum diabolo circa Miſſæ abrogationem colloquitur 75. relicto ſuo receſſu Wittembergam redit 159. ob non petitam licentiam ſe apud Saxoniæ Electorem excuſat

excuſat. *ibid.* Carolſtadio infenſus eſt, eoquod hic novi Doctoris officium ſibi arrogaret, 163. eundem ob initas nuptias collaudat 164. Bohemos a Papæ obſequio avellere nititur 165. librum ſcribit contra Epiſcopos Germaniæ 166. ſemetipſum Eccleſiaſten ac Prædicatorem appellat 167. adverſus Bullam, quæ incipit: *In Cœna Domini* calamum acuit 168. Novum Teſtamentum Germanice reddit. *ibid.* damnatur hæc verſio 172. adverſus damnatæ verſionis edictum ſcribit 173. Papæ monita, necnon Cæſaris edictum contumeliis proſcindit 269. Senatum populumque Pragenſem doctrina hæretica imbuere conatur 271. ad Valdenſes circa Euchariſtiam ſcribit 272. novam Liturgiam excogitat 273. hac ſuper re admonitus ſe excuſat 276. alios libros contra Vota edit 277. ejus impudicitia 278. novem Moniales ex ſuo monaſterio abſtractas cum plauſu excipit 278. tractatum de Religioſorum monaſteriis ſcribit 279. eorum bona pro ſuo arbitrio diſtribuit 280. anabaptiſtas infectatur 282. Lutheri ſecta in Daniam, & Sueciam introducitur 301. ejus libri in Polonia damnantur 309. Lutherus contra S. Bennonis canoniſationem calumnioſe ſcribit 513. Lutheri doctrina ac libri a Pariſienſi Parlamento damnantur

nantur 389. cum eo tanquam cum hæreticis agendum decernitur in Norimbergenſibus comitiis 422. contra hoc edictum declamat Lutherus 424. ejus disſidia cum Carolſtadio 435. contra eundem vehementer declamat 473. illum ad librum adverſus ſe edendum arroganter provocat 438, eidem imprecatur 439. Carolſtadius librum contra eum publici juris facit 440. Luthero inſtigante e Saxonia pellitur 440. ob ſuos errores ab Eraſmo Rotterodamo redarguitur 451. ejus error circa liberum arbitrium ab Eraſmo impugnatur 452.

Lutherani Principes centum gravamina contra Papam proponunt 264. edictum Norimbergæ promulgant 268.

M.

Maceriaca urbs a Cæſareis obſeſſa 99. obſidio ſolvitur 101.

Magdalena, an nonniſi unica detur? 142.

Magnus Joannes Sueciæ Legatus 304. creatur Upſalenſis Archiepiſcopus 304. ſed oblatam dignitatem non acceptat. *ibid.*

Marchianus Robertus a Galliarum Rege contra Cæſarem inſtigatur 87. Imperatorem

rem ad pugnam provocat 88. a Cæsare profligatur 95. ejus filius capitur 95.

Martinus Sanctus: ab ejus Sepulchro Franciscus I. Galliarum Rex clathrum argenteum pro cudendis nummis aufert 205.

Massilia incassum a Borbonio obsessa 471.

Medicæus Joannes Bellidux Gallorum castra sequitur 516. vulneratur 524.

Medicæus Cardinalis Mediolanum invadit. 115. ad Pontificatum adspirat 359. Papa eligitur sub nomine Clementis VII. 364. 365.

Mediolanum a Cæsareis capitur, 20. a Gallis evacuatur 466.

Melanchton adversus Parisiensem Facultatem Theologicam scribit 70. Lutherum defendit 71. literas ab Erasmo de furore Lutheri accepit 73. ejus libri a Parisiensi Parlamento damnantur 391. eos etiam Facultas Theologica censuris perstringit 392. ac propositiones ex illis decerptas damnat 392. de suorum malitia apud Erasmum queritur 449. rogat eum, ne Lutheranam doctrinam impugnet 450. ab Erasmo ad deferendos errores admonetur 450.

Merlinus Jacobus pro Origene apologiam

conscribit 400. lis exinde exoritur 401.

Mexicum: ad hanc regionem Papa Viros Apostolicos mittit 495. hi ibidem Synodum celebrant. 495.

Missæ, a Luthero impugnantur 38. circa earum abrogationem cum diabolo colloquitur Lutherus 75. de illis abolendis Saxoniæ Elector agit 77. Wittembergæ abrogantur 80. privatas Missas abrogari præcipit Lutherus 276. a Zwinglio rejicitur Missa 296.

Moluccæ: de hisce Insulis contentio exoritur inter Cæsarem, & Lusitaniæ Regem 497.

Moncada Hugo Cæsari dissuadet, ne Borbonio totius exercitus imperium committeret 470. capitur 516.

Montmorentius Navarram obsidet, capitque 181. 182.

Moronus Cancellarius Mediolanensis a Gallis ex urbe pellitur 105. armis sibi reditum in patriam parat 105. Mediolanenses in Gallos concitat 125. Cæsareos in propugnando Ducatu Mediolanensi strenue adjuvat 478. Cæsareos ex Italia pellere nititur 572. ad hoc instigat Piscarium. *ibid.* in carcerem conjicitur 578.

Münzerus Anabaptiſtarum caput 281. Wittemberga expellitur 282. Alſtadium ſe recipit 284. Ruſticos ad ſeditionem & bellum concitat 284. 443. apud Thuringenſes magnam ſibi auctoritatem conciliat 285. ſuam hæreſin ſpargit 441. ejus errores. *ibid.* fanatica ipſius mendacia 442. Norimberga ejicitur 443.

Muſomum urbs a Cæſareis obſeſſa, captaque 98.

Muſtapha Turcici exercitus Dux Rhodum Inſulam obſidere incipit 215. ſiniſter obſidionis ſucceſſus 220. 221. exercitus imperio exuitur, eique Achmetes Baſſa ſubrogatur 226.

N.

Naſſoviæ Comes Muſomum occupat 98. 99.

Navarræ Regnum Franciſcus I. recuperare molitur 84. totum ferme occupat 85.

Nebriſſenſis Antonius: ejus obitus & ſcripta 380. 381.

Norimbergenſis conventus a Cæſare indictus 242. ad ea Campegius a Papa mittitur 405. ibidem edictum promulgatur 422. plurimi ſeſe opponunt 423. Cæſar illud reprobat 430.

Novarra, hanc urbem fœderati tueri conſtituunt 179. a Gallis capitur 182.

Novum Teſtamentum Lutherus Germanice reddit 168. hæc verſio damnatur 172.

O.

Oecolampadius fidei ac Religionis ſuæ defertor, novæque reformationis Sectator 453. ejus errores 454.

Olaus Petri Lutheri hæreſin in Sueciæ Regnum introducere molitur 303.

Opera pia, a Luthero reprobantur 8. omnia eſſe æqualia Lutherus docet 42.

Origenes, illum vindicat Jacobus Merlinus 400. illius apologia damnatur. 400.

P.

Pallavicinus Joannes Baptiſta Cardinalis moritur 512.

Pallavicinus Joannes Ludovicus Gallorum Bellidux a Cæſareis profligatur & capitur 526.

Pallavicinus Manfredus Cremonenſem urbem capere fruſtra tentat 106. 109. ab hoſte capitur 109. judicii acta in eum inſtrui

instrui præcipitur 111, capite plectitur 112.

Parisiense Parlamentum Lutheri libros damnat 389. itidem Melanchtonis libros legi prohibet 391. se Reginæ nominationi ad quasdam Ecclesias vacantes opponit 548. 553.

Papia, incassum a Lautreco obsessa 184. obsessio continuatur 518. obsessis pecuniarum subsidia inferuntur 519. Hispani acceptis subsidiis placati, Germani vero ad seditionem propensi videntur 520. 521. hujus urbis obsidio Galliarum Regi funesta 523. ibidem prælium Gallis summopere infaustum committitur 530. Galliarum Rex ibi capitur 535.

Parma a Prospero Columna cingitur 113. obsidione liberatur 114.

Peccata: errores Lutheri circa illa 52.

Petruccius Raphael Cardinalis moritur pag. 373.

Picelo urbs a fœderatis capitur 193.

Piscarius Cæsaris Bellidux Mediolanum occupat 120. Comum capit 121. Bajardi copias profligat 457. contra Cæsarem conjurationem conflat 561. ad fœdus contra Cæsarem a Morono sollicitatur 572. hæc ipsa conjurantium con-

consilia Cæsari manifestat 576. Mediolanum occupat 577. moritur 584.

Polonia vide *Biblia:* Poloni libros Lutheri, eorumque Auctorem damnant 309.

Praga: Lutherus Senatum & Pragensem populum hæretica doctrina imbuere conatur 271.

Pratus Antonius Cancellarius Caletum mittitur pro concilianda pace inter Carolum V. & Franciscum I. Galliarum Regem 97. a Regina ad Senonensem Archiepiscopatum, & Abbatiam S. Benedicti nominatur 541. lis inde exoritur 542.

Præcepta juxta Lutherum observari nequeunt 52.

Propositiones vide *Universitas.*

Purgatorium, Lutheri errores circa illud 54.

Pyrrus Bassa Solimanum a crudeli suorum nece avertit 221. ob sinistrum exitum Rhodienses ad ultroneam deditionem sollicitat 232.

R.

Ratisbona: ibidem pro emendando Clero comitia aguntur 424.

S. Reliquiæ, eas Solimanus Belgrado abstulit,

lit, sed data pecunia Christianis restituit 138.

Reuchlinus Joannes, ejus fata, libri, & obitus 134.

Rhodus Insula a Solimano Turcarum Imperatore invaditur 213. cum eodem Ordinis Cancellarius de Insula tradenda clam conspirat 214. Equites ad strenuam defensionem se accingunt 216. Principum opem incassum implorant 217. Rhodienses egregie se defendunt 220. 223. Insula quatuor ex partibus oppugnatur 222. Equitibus Solimanus deditionis pacta offert 232. Magister ea respuit 233. incolæ deditionem fieri postulant *ibid.* Senatus deditionem decernit 234. deditionis articuli 235. Turcæ urbem ingrediuntur 236. ablata restituere jubentur 237. Solimanus supremum Ordinis Magistrum invisit 237. 238. Insula ab Equitibus derelinquitur 347. Clemens VII. Papa hos Equites potenter tuetur 367.

Riarius Raphael Cardinalis moritur 131.

Romani, eis electio Adriani VI. parum grata accidit 158.

Rustici ad seditionem per Münzerum concitantur 284. 443. Comitem de Lupfen armis invadunt 444.

S.

Sacramenta, errores Lutheri circa ea 38.

Sancti, adversus eorum cultum propositiones sparguntur 402.

Santus Venetorum Legatus fœderi contra Cæsarem inito accedit 575. trucidatur 576.

Satisfactio, Lutheri errores circa illam 48.

Saxonia vide *Fridericus*.

Scotia fœdus cum Anglis proponit, 591. induciæ inter utrumque Regem prorogantur 593.

Schinnerus Sedunensis Cardinalis Helvetios ad opem Cæsari ferendam sollicitat 117. moritur 372.

Selva Præses Caletum mittitur pro concilianda pace inter Carolum Cæsarem, & Galliarum Regem 97. duas vias pro obtinenda capti Galliarum Regis liberatione proponit 566.

Semblecajus militaris ærarii Præfectus a Regina Franciæ accusatur 201. morti adjudicatur 202.

Senonensis Archiepiscopatus: in eo ob quemdam a Capitulo electum, & alium a Regina nominatum lis exoritur 541.

Sepul-

Sepultura, an liceat pro ea aliquid petere? 139.

Sfortia Franciſcus in Mediolanenſem urbem recipitur 183. ob Genuæ deprædationem a Papa veniam obtinere nequit 208. fœderatis pecunias ſubminiſtrat 318. inaugurationis diploma pro Mediolanenſi Ducatu duris admodum conditionibus a Cæſare obtinet 571. adverſus Cæſarem fœdus init 575. ſuo Ducatu exuitur 578. perduellionis reus declaratur 580.

Simonia: de ea propoſitiones damnatæ 503.

Sociniani, Biblia in Polonia corrumpunt 170.

Soderinus Cardinalis de perduellione convictus comprehenditur 307. moritur. 507.

Solimanus Turcarum Imperator Hungariam invadit 137. Belgradum expugnat 137. S. Reliquias inde Conſtantinopolin tranfert, ſed data pecunia Chriſtianis reſtituit 138. Rhodum expugnare parat 213. ob ſuorum ignaviam vehementer irafcitur 220. Turcas ſua præſentia animat 221. ob ſiniſtrum irruptionis ſucceſſum in rabiem agitur 224. Inſulæ obſidionem ſolvere paratus eſt, ſed a proditoribus confirmatur 225. Rhodienſibus deditionis

ditionis pacta offert 232. sed repulsam fert 233. deditionis articulos a Rhodiensibus propositos acceptat 235. urbem spoliari prohibet 236. a supremo Ordinis Magistro invisitur 237. vicissim eundem officiosa salutatione honorat 238.

Sophus, Ismael Persarum Rex, ejus obitus 239. Christianos contra Turcas sæpe concitat 240. Tamasus ejus filius successor 240.

Spirensia comitia in fidei caussa 433.

Storckius Anabaptistarum caput 281. Wittemberga expellitur 282. incertum: quo fato perierit 284. suam hæresin ubique spargit 441. ejus errores. *ibid.*

Sturmius Casparus Lutherum ad comitia comitatur 11. 25. Lutheri literas ad Cæsarem defert 26.

Suecia vide *Gustavus*.

Suevia: Anabaptistæ ibidem Rusticos ad bellum concitant 443.

Surejus Anglici exercitus Dux in Picardia & Campania 345.

T.

Terouana urbs obsidione liberatur 325.

Testamentum novum a Luthero Germanice reddi-

redditum 162. hæc verſio damnatur 172. eam Lutherus propugnat 173. Eraſmus in novum Teſtamentum paraphraſes ſcribit 500.

Theatini, hujus Ordinis origo 491.

Theoleptes Patriarchali dignitate exuitur, 139.

Theologia Scholaſtica, injurioſe de ea ſcribit Lutherus 61.

Thomas Sanctus, ejus corpus Meliaporæ inventum 369. hujus inventionis hiſtoria 370.

Tigurini Zwinglio adhærent 285. conventu habito S. Imagines, Miſſamque abrogant 293. 295. 297.

Trevirenſis Elector Lutherum ad acceptandam Conciliorum Generalium doctrinam fruſtra hortatur 20. quasdam ei conditiones proponit 23. 24.

Trivultius a Reggienſibus trucidatur pag. 107.

Turcæ juxta Lutherum non ſunt debellandi 59. Rhodum invadunt, vide *Rhodus.*

Turingia, Münzerus ibidem ſuam hæreſin divulgat 284.

Val-

U.

Valdenſes ad eos Lutherus circa Euchariſtiam ſcribit 272.

Vandenæſſius Comum tuetur 121. trucidatur 462.

Wartemberga: eo Lutherus captus adducitur 26.

Væus Lutherum ad revocandos errores hortatur 21.

Veneti Gallis adverſantur 116. a fœderatis ſollicitantur, ut a Gallis deficerent 319. hac ſuper re ancipites hærent 320. Gallorum ſtudia deſerunt 321. fœdus contra eos initum firmant 322. fœdus contra Cæſarem ineunt 555. 575. Veneti Sfortiam in ſuum Ducatum reponi conſtanter poſtulant 581.

Verezzanus Joannes Florentinus Franciam novam detegit 496.

Viecius Jacobus Biblia Polonice reddit, eaque Socinianæ translationi opponit 170.

Villerius Liladamus ſupremus Rhodiorum Magiſter 213. ab Ordinis Cancellario proditur 214. ad ſtrenuam defenſionem ſe accingit 216. ſuos Equites ad omnes Europæ Principes auxilia rogatum mittit 217. Equites Turcis cladem inferunt

runt 220. Amaraldum Proditorem capite plecti jubet 227. 230. deditionis pacta ei a Solimano propoſita acceptare renuit 232. incolæ eum ad deditionem compellunt 233. deditionis articuli 235. Solimanum inviſit 237. viciſſim ab eo officioſa ſalutatione honoratur 238. e Rhodo excedit ac Cretam contendit 347. Equites ſuos, ut cum eo permanerent, per Papæ Bullam conſtringit 349. ad civitatem veterem venit 350. cum Papa colloqui petit 351. ad alloquium admittitur 352.

Vindocinenſis Dux Anglos e Picardia excedere compellit 346.

Univerſitas Pariſina quasdam Lutheri propoſitiones damnat 34. a Melanchtone impugnatur 70. Wittembergenſis Miſſas privatas abrogat 77. 80. Pariſina quasdam propoſitiones circa ſepulturam damnat 139. 140. alias de Pœnitentia reprobat 383. Berquini propoſitio contra B. V. Mariam damnatur 386. Melanchtonis propoſitiones cenſuris perſtringuntur 392. ad Franciæ Reginæ petitum de eliminando hæreſi Facultas reſpondet 397. propoſitiones contra cultum Sanctorum 402. & contra Epiſcoporum jura 501. pro Simonia, aliisque erroribus damnantur 503. 504.

Vota

Vota Lutherus rejicit 42. 75. 277.

Upſalenſis Archiepiſcopus a Guſtavo Sueciæ Rege ingenti clade afficitur 302. a Papa auxilium in ſummo fidei diſcrimine implorat 435.

Volſeus Cæſari addictus 97. Papatum ambit 152.

Wormatienſia comitia contra Lutherum a Cæſare indicta 3.

Urbinatis Dux in Papæ gratiam redit 213.

Z.

Zwinglius in urbe Tigurina ſuam hæreſin late diffundit 285. ejus errores 286. 288. conventu habito illius doctrina examinatur 386. ex ejus erroribus ſexaginta ſeptem propoſitiones eruuntur 288. illius doctrina ibidem recipitur 292. alter ibidem conventus habetur 293. agitur de S. Imaginibus & de Eccleſia 294. Miſſa rejicitur 296. S. Imaginum cultus aboletur 297. Zwinglius ad hæreſis ſuæ defenſionem libros conſcribit pag. 298.

ERRATA *sic corrige:*

Pag. 32.	facere	- -	favere
33.	jubemur	- -	jubemus
280.	ſolvendi	- -	ſolvendo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FLEURI
HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOM. XXXIV.

Th
5178

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN